COMICI ENUCLEATI,

Sive

ELECTA PLAUTINA ET TERENTIANA

Cum Veterum ac Recentiorum

Notis. & Indice

Thesium Philologicarum.

In usum

Illust. GymnasI Alcmariani,

& Juventutis Batavæ.

per

REINERUM NEUHUSIUM

Gymnasii Alcmar. Rect.

AMSTELODAMI

Ex officina Jansoniana.

CIƆ IƆ C XLVI.

DEDICATIO.

Nobiliß. Ampliss. Prudentißimis Viris,

D. D.

CONSULIBUS

&

SCHOLARCHIS

Illust. Reip. Alcm.

D. CORNELIO à SONNEVELT. *Cos.*

D. THEODORO VRYBURCH. *Cos. Scholarchæ.*

D. TAMMONI van der DOES. *Cos.*

D. JOANNI LAURENTIO CLOCK. *Cos.*

D. THOMÆ ab EGM. à NIEUBURGH.

In Comitiis Illust. Holl. & VVestf. Ordd. Consiliario. Excos. Scholarchæ.

D. ADRIANO SNELLIO, *Med. D. Theologo, Scholarchæ.*

S. P. D.

REINERUS NEUHUSIUS.

*2 *Amplißimi*

Amplissimi, Spectatissimi

DOMINI,

PRodeunt sub liquido Nominis vestri auspicio, Duo excellentissimi, à prisco ævo, Rei Literariæ Principes, PLAUTUS & TERENTIUS. Quos in bonum Batavæ Juventutis, ausim dicere, cum curâ & diligentiâ enucleavimus. Et nunc pro optima sui parte, ac interiore medulla, in Theatro conspiciendos damus. Ad quam rem multa & sontica mihi ratio fuit. Ubique enim locorum hoc pene obtinet vitium, ut Librorum promiscua multitudo & varietas tenellam juventutem, quo minus illa ad justam animi doctrinæq; maturitatem perveniat, quasi inter scopulos & saxa miserè detineat. Cum salubria tantum & salutaria huic ætati sint tradenda. quæ & fideliter semel imbibantur; & feliciter animis semper inhæreant.

reant. Idque ex agricolæ Poëtæ monitu, *Ruris opaci falce premas umbras*. Et Lyrico ad idem nos cohortante; *Inutilesque, ramos amputans feliciores inseras*. Spatiis valde angustis vita nostra decurrit. Et nos lentè ac diffusè adhuc omnia tractaremus? Quid bona, quid mala, tanquam insulsi ac insipidi coqui, uno jure confundimus? Eligendum est aliquid ex omni agro, quod legentis profectum alere ac recreare possit. Sic olim magni Viri suo exemplo præiverunt, in Græcis & Latinis authoribus. Theologi armillas aureas, coronides, catenas; Iurisconsulti suas Synopses, Epitomas; Medici suos aphorismos; Oratores, Poëtæ, Philosophi, Historici sua compendia, suas idæas, analecta, excerpta posteris in usum reliquerunt. Hæc nos, *Amplissimi Iudices*, in formandâ juventute, quæ juxta oculos nostros chara nobis esse debet, cum bonâ quoque fide annitimur.

Nihil enim à noſtrâ manu in Rempublicam promanare utilius poteſt, quàm ut regiâ rectâque viâ Veſtris Liberis ad Doctrinæ & Virtutis arcem ituris aliquam compendii quaſi facem præferamus. Hoc, inquam, ego in claſſicis Scriptoribus facere inſtituo. Vita ſi fuerit, volente Deo, hanc telam, quam ſum exorſus, pro virili pertexam. Omen & augurium à Comicis ſumo, qui meritò anteſignani in illâ arte & ævo. In quibus illuſtrandis & explicandis, Dii Boni! quales quantique Viri ætatem & annos conſumpſerunt: Hæc magni Scaligeri; hæc incomparabilis LipsI; hæc utriuſque Douſæ area & arena. In hiſce artibus Mureti, Sigonii, Politiani, Turnebi deſudarunt. Hîc Taubmanni, Parei, Grotii, multique alii ſegetem ſuæ gloriæ metunt. Et, noſtro tempore, in hac ſcenâ palmam & adoream jam diu ſunt promeriti Clariſſimi Salmaſii, Heinſii, Voſſii, Barlæi, Boxhornii.

hornii. Viri, de quibus jure dubitet Posteritas, an non æternitatem ipsam longè ultra victuri.

Per hæc Illustrium Virorum vestigia, *Amplissimi Iudices*, nos etiam masculo conatu incedemus. Et à tantis ingeniis operumque miraculis velim in nostro GYMNASIO, quod Dei Opt. Maximi favore, & vestrâ Curâ in hoc famæ fastigium feliciter jam assurgit, singulare aliquod monumentum existat. A quo labore ac tædio subscisivi temporis multò mihi minus famæ ac eruditionis, quàm commodi alieni polliceor. Ita tamen Genio & industriæ nostræ, cum Spartam, quam semel nacti sumus, bene exornavimus, æternum gratias habituri.

In hoc finio, *Amplissimi, Prudentissimi* DOMINI. Deumque ex intimis animi medullis precor, ut Vobis, ut Reipublicæ, ut Ecclesiæ, & GYMNASIO huic nostro diu perpetuoque omnia eveniant Bene,

Omnia

DEDICATIO.

Omnia Feliciter. *Ex museo Alcmariano* cIↃ IↃ CXLVI. *sub præcipitem Augustum. Aetatis anno* XXXIX.

Illustri Vestro Nomini

Deditissimus

REINERUS NEUHUSIUS.

ELECTA

ELECTA PLAUTINA.

M. ACCI PLAUTI
AMPHITRUO.

Argumentum.

A More captus Alcumenas Iupiter,
Mutavit sese in ejus formam Conjugis,
Pro Patriâ Amphitruo dum cernit cum hostibus,
Habitu Mercurius ei subservit Sosia:
Is advenienteis, servum ac dominum, frustra habet.
Turbas uxori ciet Amphitruo: atque invicem
Raptant pro mœchis. Blepharo captus arbiter,
Uter sit, non quit, Amphitruo decernere.
Omnem rem noscunt: geminos Alcmena enititur.

Hadr. Turnebus.

AMPHITRUO *Plauti, & genera loquendi, & jocorum argutias habet, quæ tenebras offundere lectori possunt.*

ELEC-

ELECTA PLAUTINA.

Ex
AMPHITRUONE.

CAP. I.

PROLOGUS.

VT res rationesque vestrorum omnium
Bene expedire vultis. *expedita rationes,* liquidæ sunt : contrà, *impedita*, quæ conturbatæ.

Bono atque amplo auctare perpetuo lucro.

Lucrum ut perenne vobis semper suppetat.

Nunciis præsim & lucro mihi esse à Diis datum. *Mercurius Deorum enim nuncium agit, & lucrum mortalibus affert.*

Humanâ matre natus, humano patre

Pace advenio, & pacem ad vos affero.

Hoc est, veniâ vestrâ. Formula antiqua.

Nam injusta ab justis impetrare non decet;

Iusta autem ab injustis petere, insipientia est.

Sed mos illic nunquam fuit patri meo, ut exprobraret, quod bonis faceret boni.

Vt conquisitores singuli in subsellia eant per totam caveam.

Cavea in amphitheatro ultimus locus, in quo populus sedebat, à formâ excavatâ sic dicta.

Conquisitores, *hîc sumuntur pro speculatoribus, & exploratoribus.*

Virtute ambire oportet non favitoribus:

Sat habet favitorum semper, qui rectè facit.

Gravidam Alcumenam uxorem fecit suam.

Vsuramq; ejus corporis cepit sibi. *pulchre hoc CL.* SALMAS. *in Plauto Boxh. pag. 9.*

Et gravidam fecit is eam compressu suo.

Sed ita assimulavit se quasi Amphitruo siat.

Pater nunc intus animo suo morem gerit. *quod proprie meretricum ac lenonum.*

Propterea ornatus in novum incessi modum.

Ita versipellem se facit, quando lubet.

Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas. *Pinnulæ, ornamenta ex nobilibus pennis, quæ aureis acubus petasis affigebantur.* Petasus à πετάννυμι: *Estq; pileus viatoribus solem defendens.*

Torulus inerit aureus sub petaso. *à torquendo, quasi tortulus. Hoc est more Atheniensi capillum habere congestum in conum.*

Act. I. Sc. I.

Inde cras è promptuariâ cellâ depromat ad flagrū.

Quasi incudem me miserum homines octo validi cædant. *Octo enim lictores habebant Triumviri isti capitales.*

Opulento homini hoc magis servitus dura est.

Ipse dominus dives operis, & laboris expers non reputat laboris quid sit: nec, æquum anne iniquum imperet, cogitabit.

Ergo in servitute expetunt multa iniqua: Habendum & ferendum hoc onus est cum labore.

Numero mihi in mentem fuit, Dii gratias pro meritis agere.

Qui mihi advenienti os occillet probe. *Igitur aliqui ab ore. aliqui ab osse, quasi ossatim totum caput comminuat.*

Id vi & virtute militum victum atque expugnatum est oppidum.

Præda atq; agro adoreaque affecit populares suos. *Romani omnem ex agris fructum vocabant* Adoream, *postea pro laude & præmio accipi vox hæc consuevit. Solebat militibus in præmium dari frumentum.*

Si dixero mendacium, solens meo more fecero.

Men.

Mentiri & mendacium dicere diff. Qui mentitur, ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur. qui mendacium dicit, ipse fallitur.

Continuò Amphitruo delegit viros primorum principes. *Hoc est legatos ex proceribus delectos.*

Tubæ utrinque canunt contra: consonat terra: clamorem utrinque efferunt. Imperator utrinque vota suscipere, hortari exercitum.

Pro se quisque, id quod quisque potest & valet, Edit; ferro ferit: tela frangunt: boat cælum fremitu virûm: ex spiritu atque anhelitu nebula constat: Cadunt vulneris vi & virium, &c.

Animam amittunt, priusquam loco demigrent: Quisque ubi steterat, jacet, obtinetque ordinem.

Ilicò equites jubet dextra inducere.

Fædant & proterunt hostium copias. Fædare est *tam apud Virgil. quam Sallust. non* turpe *sed* crudele *signum.*

Nunquam etiam quicquam adhuc verborum est prolocutus perperam.

Hæc illi est pugnata pugna usque à mane ad vesperam.

Sed prælium id tandem diremit nox interventu suo.

Prælium à premendo, *quod quasi in prælo tunc sanguis humanus premitur.*

Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum.

Velati *dicebantur, qui caput cinctum licio laneo habebant.*

Nec tantum velata olim precantium capita, sed & vittis manus. ut in illo Virg. Præferimus manibus vittas, & verba precantum.

Deduntque se, divina humanaque omnia, urbem & liberos.

In deditionem atque arbitratum, cuncti, Thebano poplo.

Ritus dedendi fuit apud priscos. vide Boxhornii Plautum.

Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.

Nam neque se Septentriones quoquam in cælo commovent.

Nocturnus, noctis Deus, qui pro Vespero vel Lucifero sumitur.

Nec Iugulæ, nec Vesperugo, neq; Vergiliæ occidunt.

Iugula, Stella Orionis. pars est Orionis. *Vesperugo* alio nomine Vesperum & Vesperam appellant.

Vergiliæ, Græcè Pleïades, suntque septem stellæ in Tauro.

Perge nox, ut occæpisti: gere patri morem meo:

Optumè optumo optumam operam das: datam pulchrè locas.

Credo edepol equidem dormire solem, atque appotum probè.

Mira sunt, nisi invitavit sese in cænâ plusculum.

Edepol, *formula jurandi, per ædem Pollucis quando jurabatur. sic* Eccere *per ædem Cereris.* Invitavit, hoc est, *nisi meracius & plus æquo biberit.*

Ego pol te istis tuis pro dictis & malefactis, furcifer, Accipiam, inveniesque infortunium.

Qui complexus cum Alcumenâ, cubat amans, animo obsequens.

Illic hoc homo denuo vult pallium detexere.

Quasi me despoliare velit ac denudare: & textoris operâ rursum indigeat, ac ille hoc pergat pertexere.

Certè advenientem me hic hospitio pugnæ accepturus est.

Hoc est, Accipiet me peregre advenientem non hospitio aut canis, sed pugnis: ita ut alludatur ad hospitium, cui pugna vel pugnus fuerint insignia. Pareus.

Quisquis homo huc profecto venerit, pugnos edet. So.

Apage, non placet me hoc noctis esse: Cænavi modò:

Proin.

Proin tu istam cænam largire esurientibus.

Agite pugni, jam diu est, quod ventri victum non datis.

Significat se esse grassatorem, & ex spoliis hominum se vitam tolerare. Taub.

Heri quod homines quatuor In soporem collocastis nudos.

Plagis malè mulctatos & ictibus sopitos, propeque exanimatos stravistis. Mors enim & Somnus sunt fratres germani. Vide Boxh. in antiqua formula collocandi mortui, hoc loco.

Illic homo me interpolabit, meumque os finget denuo.

Interpolare, est novam formam è vetere fingere, aliquid immittere & interponere, à fullonibus.

Exossatum os esse oportet, quem probè percusseris.

Mirum nisi hic me quasi murænam exossare cogitat.

Hoc est fuste bene dolare, vel ossa usque eo comminuere, ut nullum eorum reliquum sit vestigium. Hinc proverbium: *Exossare murænam. Sumitur quoque pro vexare aliquem majorem in modum.*

Olet homo quidam malo suo.

Hoc est homini cujusdam odor ad nares meas pervenit magnâ cum ipsius pœnâ.

Gestiunt pugni mihi. Sos. si in me exerciturus, quæso, in parietem ut primum domes.

Volucrem vocem gestito, *hoc est pinnatam. Mercurius enim alatus pingitur. Nihil enim sermone, cujus typum gerit Mercurius, velocius. qualia verba Hom.* πτερόεντα *appellat, pinnis apta, hoc est, pinnata, Apulejus.*

Vox mihi ad aures advolavit. SOS. næ ego homo valde infelix sum, qui non alas intervelli.

Illic homo à me sibi malam rem arcessit jumento suo.

Hoc est, sibi, quasi proprio agat jumento.

Hinc enim mihi dextera vox aures, ut videtur, verberat.

Quò ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?

Qui ignem in laternâ corneâ clausum geris. Fiebant olim ex cornu & vesicâ. Taubm. *Noctiluca aliàs dicitur.*

Ego tibi istam hodie scelestam comprimam linguam.

Hæc propriè alias. obscœnum sensum explicatum vide à Lamb. in Plauto Boxhorniano:

Faciam ego hodie te superbum, ni hinc abis.

Varia est explicatio. Superbi videntur, qui plagis ita sunt contusi, ut pedibus ambulare nequeant, auferantur sublimes necesse est. Capiunt alii de mortuo, quod sublimi & superbâ pompâ efferantur æque pauperes, quàm divites. Taubm. de divite delicato, quod pedibus suis vix ambulet.

Auferère; non abibis, si ego fustem sumpsero.

Næ tu istic hodie malo tuo compositis mendaciis.

Advenisti, audaciæ columen, consutis dolis.

Hinc, sutelæ, *dolosa astutia*, apud Festum. Nannius *ducit ab iis, qui assuendo aliquid capiti morbum simulant. Sic ῥάπτειν apud Gr. aliquid struere, quod alteri damnosum sit.*

Imo equidem tunicis consutis huc advenio, non dolis.

Tunica Plauti ævo communis Romæ servorum vestis fuit: rusticorum item in coloniis & municipiis.

Sed postea, tempore Imp. penulæ, *in usu servorum.*

Fugit te ratio. Sos. utinam isthuc pugni fecissent tui!

Sc. ita pugni me fugissent, sicuti me rationem fugisse dicis.

Non loquar nisi pace facta, quando pugnis plus vales.

Hic

Hic homo ſanus non eſt. Sos. quod mihi prædicas vitium, id tibi eſt.

Mihi etiam miſero nunc malæ dolent.

Quæ illic res ſunt geſtæ, memoriter memorat.

Signi dic quid eſt : *Primum nudas duntaxat literarum notas pro ſignis habebant. Sic Aegyptii per certa animalia mentem ſuam exprimebant. Annus, per Draconem, mordentem ſuam caudam, ſignificabatur, &c.*

Cadus erat vini: inde implevi hirneam. Me.

Eam ego,ut matre fuerat natum,vini eduxi meri.

Hirnea, vel potius, Irnia, genus vaſis eſt vinarii: antiquitus Erneum, παρὰ τὸ ὄρνεον, quod avis figuram haberet.

Eam hirneam vini meri, ita ut ex vite, ſeu uvâ fuerat expreſſum, eduxi, id eſt, ebibi, exſiccavi.

Sic Horat. *ducere nectaris ſuccos.*

Quemadmodum ego ſæpe in ſpeculum inſpexi : nimis ſimilis eſt mei. tam conſimilis eſt, atque ego. Sura, pes, ſtatura, tonſus, oculi, naſum, dens, labra, malæ, mentum, barba, collum; totus ! quid verbis opus eſt ? Si tergum cicatricoſum, nihil hoc ſimili ſimilius.

Quadrigas ſi nunc inſcendas Iovis, atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Credibile eſt Iovis currus omnium fuiſſe celerrimos, ut qui alati, *authore Platone.*

Nam ſi me irritaſſes, hodie lumbifragium hinc auferes.

Vivo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mihi.

Sc. imago mea præferetur, quod nunquam quiſquam faciat me mortuo. Pareus *lumborum fracturam interpretatur. Solebant Romani Ludos funebres Romæ, hoc eſt Gladiatorios in illuſtrium virorum funeribus ſic quaſi in luctu publico, ad rogum inſtituere. Quo Soſia reſpicit, per joculum & ludum inquit,* nunc mihi fiunt ludi, *hoc eſt nunc ego ludiſicor*

ludificor probè, cui nullus postea ludos facere volet in morte.

Vt ego hic hodie raso capite calvus capiã pileum.

Cum servi manumittebantur, raso capite pileum accipiebant. Idque in templo Feroniæ, *quæ libertorum dea. Quam vorat Varro* Fieloniam. *in hoc templo sedile lapideum fuit, in quo inscriptum* : Bene meriti servi sedeant: surgant liberi. *Pileus insigne libertatis fuit.* Ad Pileum vocare, *hoc est ad Libertatem.*

CAP. II. Sc. 2.

Bene prospereq; hoc hodie operis processit mihi.

Erroris ambo ego illos & dementiæ Complebo.

Atque insimulabit eam probri. *hoc est stupri.*

Eamque seditionem in tranquillum conferet.

Vno ut labore absolvat ærumnas duas.

Sed, ubi summus Imperator non adest ad exercitum, citius, quod non facto est usus, fit, quam quod facto est opus.

Verum quod erat natum tollito. *Infantes olim, simul ac nati, humi deponebantur. Ab humo vero pater tollebat, & in sinum recipiebat. Qui autem non tollebatur, pro abdicato habebatur.* Vide de hoc Lips. Epist. 1. Cent. ad Belg.

Nimis hic est scitus Sycophanta. *Idem quod* calumniator. *Quum Athenis vetitum esset efferre ficus, qui eos deferebant, accusabantque, Sycophantæ sunt appellati. Dictæ* παρὰ τὸ σῦκα φαίνειν, hoc est à ficuum dilutione. *Ali ad Æs. Fab. referunt, quum una cum aquâ ficuum quoque frusta ejecerit, sic prodito calumniatore.*

Quam blande mulieri palpabitur. Timidam palpo percutit. *Hoc est blando plausu & poppysmo demulcere.*

Nunquam edepol quemquam mortalem credo ego uxorem suam sic efflictim amare, proinde ut hic te efflictim deperit. *Efflictim, hoc est vehemen-*

menter, usque donec effligatur. Effligere *idem*, *quod perdere.*

Sc. 3.

Iam tuatim facis, ut tuis nulla apud te sit fides.

Tuatim, hoc est tuo more, ita ut facere consuevisti.

Iam quidem hercle ego tibi istam scelestam, scelus, linguam abscindam.

Tune me, verbero, audes herum ludificari?

Nec potest fieri, tempore uno, Homo idem duobus locis ut simul sit?

Herum qui ludificas dictis delirantibus.

Miserrima isthæc miseria est servo bono, apud herum, qui vera loquitur, si id vi verum vincitur.

Neque lac lacti magis est simile, quam ille ego similis est mei.

Non soleo somnicolosè heri imperia persequi.

Non ego cum vino simul ebibi imperium tuum.

Ita Diis placitum, voluptatem ut mærôr comes consequatur: quin incommodi plus malique adsit, boni si obtigit quid.

Satin' parva res voluptatum in vitâ. *Hoc est in vita hominum paucæ & raræ voluptates, si cum molestiis comparentur. Res voluptatum pro ipsis voluptatib. dicitur. sic ferri rigor. grave robur aratri.*

Laudis compos revenit: id solatio est.

Virtus præmium est optimum. Virtus omnibus rebus anteit profectò. Virtus omnia in se habet: Omnia adsunt bona, quem penes est virtus.

Eos auspicio meo atque ductu, primo cætu vicimus.

Imperator, à quo cæteri omnes dependent, auspicia etiam habet. Suetonius de Augusto: Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam.

Ni ego illi puteo animam omnem intertraxero.

Hoc est, exsiccavero. aqua est putei anima.

Eam salutat magis haud quisquam, quam canem.

Et cum te gravidam, & cum pulchre plenam adspicio, gaudeo.

Quid tu me deridiculi gratia sic salutas?

Haud æquum facit, qui, quod didicit, dediscit.

An te auspicium commoratum est? an tempestas continet?

Hæc quidem deliramenta loquitur. *Lira est arationis genus, cum agricolæ factâ semente dirigunt sulcos. Hinc* Delirus *qui à recto ordine, & quasi à sulco & lira rationis evagatur.*

Paulisper mane, dum edormiscat unum somnum.

Bacchæ Bacchanti si velis adversarier, ex insanâ insaniorem facies, feriet sæpius: si obsequare, unâ resolvas plagâ.

Irritabis crabrones. *Crabronum sylvestres in arborum cavernis degunt: hyeme conduntur. vita bimatum non transit. Ictûs ipsorum haud temere sine febri est. ter novenis punctis interfici hominem.* Plin.

Verum, non est puero gravida. AM. quid igitur? SO. Insaniâ.

Delirat uxor. atrâ bili percita est.

Aut molâ salsâ hodie, aut thure comprecatam oportuit. *Græci hordeo non molito in sacris, in priscæ memoriam vitæ, utebantur, in qua homines nondum molere fruges, sed solidis vesci solebant.*

Est igitur molâ salsa, *tanquam molitura salsa; ut mola, quâ frumenta franguntur, nomen molito farri tribuatur.* Taubm.

Illud præter alia mira miror maximè.

Quæso quin tu istanc jubes pro cerritâ circumferri?

Cerriti & larvati malè sani, aut Cereris irâ, aut larvarum incursione, animo vexati.

Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum.

Quis præstigiator hanc frustratur mulierem?

Per

Per ſupremi regis regnum juro, & matrem familias Iunonem.

Non ego illam mihi dotem duco eſſe,quæ dos dicitur: ſed pudicitiam, & pudorem, & ſedatum cupidinem, Deûm metum,parentum amorem, & cognatûm concordiam.

Delinitus ſum profectò ita, ut me, qui ſim, neſciam. *Hoc eſt mente alienatus. apud Ictos* delenimenta & delenifica dicta *ſumuntur pro incantationibus, & venenis,quibus mens de ſuo ſtatu dejicitur.*

CAP. III. Sc.4.

DVrare nequeo in ædibus: ita me probri, ſtupri, dedecoris, arguunt.

Quam tu impudicam eſſe arbitrare & prædicas,
Cum ea tu ſermonem nec joco, nec ſeriò
Tibi habeas, niſi ſis ſtultior ſtultiſſimo.

Nunquam quicquam animo meo fuit ægrius.

Si quid dictum eſt per jocum, non æquum eſt id te ſerio prævortier.

Nunc quando factis me impudicis abſtines,
Ab impudicis dictis avorti volo.

Nam in hominum ætate multa eveniunt hujuſmodi:

Capiunt voluptates, capiunt rurſum miſerias.
Iræ interveniunt, redeunt rurſum in gratiam.

Si reventum in gratiam eſt, bis tanto amici ſunt quam prius.

Atque ita Servum par videtur frugi inſtituere.

Proinde heri ut ſint,ipſe item ſit,vultum è vultu comparet,

Triſtis ſit, heri ſi triſtes: hilarus ſit, ſi gaudeant.

Rectè facit, animo quando obſequitur ſuo: quod omnes homines facere oportet, dum id modo fiat bono.

Faciam, ut ſit madidus ſobrius. *Iocus eſt in ambiguitate vocis*, madidus. *quod ad interiora & exteriora refertur.*

Omnes

Act. IV. Sc. 1.

Omnes plateas perreptavi, gymnasia & myropolia. *taberna unguentaria.*

Nam me mortuum satius est, quam illam quæstionem inquisitam hodie amittere.

Tibi Iupiter Diique omnes irati certò sunt.

Sc. 2.

Penè effregisti, fatue, foribus cardines.

Verbero, etiam quis ego sim me rogitas? ulmorum acheruns?

In cujus tergo quasi moriuntur ulmi. Cujus tergum ulmeas virgas vorat, quemadmodum animas acheruns.

Quia enim te macto infortunio. Verba funditas.

Faxo, ut bubulis coriis onustus sis, Saturni hostia.

Hoc est, scuticis ex boum corio consutis.

Supposita.

Carthaginenses bello diutissime afflicti, dicebant Saturnum sibi iratum esse: quod prius excellentiores è filiis sacrificarint: postea verò clam emptis infantibus & educatis, liberorum loco immolabant. Hinc Sosia hic videtur dici Saturni hostia. *Taubm.*

Ita ego te certò cruce & cruciatu mactabo.

Larva umbratilis tu me territas? *Sic homines nihili larva dicuntur.* Apulejus, *Larvalem formam dicit.*

Si minusculo digito increpuerint fores, hac tegulâ

Tuum diminuam caput, ut cum dentibus linguam excrees.

Hasce illicò ædes toto demoliar cardine.

Ad id redigam miseriarum, ut semper sis miser.

Bacchanal te exercuisse oportet. *Cum delirare aliquem dicere vellent,* Bacchanal exercere *ajebant. Nam* Luna, Bacchus, Ceres *furoris præsides credebantur. unde* Lunatici, Ceriti, Bacchi.

Evades

Evades nunquam, quia te sacrificem.

Dii vestram fidem! quæ intemperiæ nostram agunt familiam!

Dii faciant, ut tu quoque concisus pugnis, & illisis dentibus, id impransus creduas. me malis mulctavit modis.

Mira profecto. sed gradus condecet grandire.

Vacuus mihi venter crepitat.

De summo summus Iupiter statuet, sic fatum habet.

Cladesque exanclarem impatibiles.

Famem exspectat obambulans. Cic. 5. Tusc. *Socratem ferunt, cum usque ad vesperam contentius ambularet, quæsitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se, quo melius cœnaret, obsonare ambulando famem.*

Priusquam stomachum detexerit, *Hoc est, iram exuerit, decoxerit.*

Illæc machina meas onerat scapulas.

Fames & mora bilem in nasum conciunt. *Veterum opinio fuit*, ut frontem pudoris, risus lienem, amoris jecur, *sic & iræ* sedem esse nares. *Hinc Persius:* Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna.

Non ociûs quivi, si me Dædaleis tulissem remigiis. *Hoc est, si volassem.*

Non potuimus nostros grandire gradus.

Sive grallatorius, sive testudineus fuerit.

Grallatores sunt, qui incedunt grallis, quæ sunt perticæ ligneæ: quibus magna spatia conficiunt.

Hinc in Pænulo. Vinceris cervum cursu, & grallatorem gradu.

Præstigiator forte aut veneficus hanc excantat familiam.

Quis ante ædes tantas tandiu turbas concitat?

Quem Telebois sacrificabo manibus. *id est, Teleboarum interfectorum umbris mactabo.*

Lances detergam omnes, omnes trullas hauriam.

Vas

Vas potorium. trua, *vas aquarium, quo è culinâ aquam calefactam in lavatrinam, hoc est domesticum balneum fundebant. Vult dicere: Trullarum omne genus exhauriam.*

Vt primum coivit cicatrix rufula, sublurida. *Luridus color à similitudine coloris* luræ, *hoc est utris coreacei, atque adeò à similitudine corei appellatus.* Turnebus.

Rationes jacent, judicium silet. *Cum nulla se prorsus promit conjectura veritatis despicienda, unde ferri possit sententia.*

Qui perverse perturbavit familiæ mentem meæ.
Quis me Thebis alter vivit miserior?

Act. V. Sc. 1.

Spes atque opes vitæ meæ jacent sepultæ in pectore,
Neque ulla est confidentia jam meo in corde, quin amiserim.

Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cælum, consequi,
Iam ut opprimar, ut enecer.

Animo male est, aquam velim! corrupta sum, absumpta sum, caput dolet, neque audio, neque oculis prospicio satis.

Strepitus, crepitus, sonitrus, tonitrus, ut subitò, ut properè, ut validè tonuit!

Ita me increpuit Iupiter, nec secus est, quàm si ab Acherunte veniam.

Prô Iupiter sepultus est, quasi sit mortuus.

Invocat deos immortales manibus puris, capite operto *puras manus tam à sordibus & illuvie, quàm à cæde & sanguine, in sacris exigebant antiqui. Fiebant ea lavationes fere in vivo flumine.* Operto quoq; capite, *in salutandis & adorãdis diis stabant, corpus dextrovorsum in orbem circumagentes. Procumbebant etiam, dextramque ori admovebant, osculumque labris premebant. tum deinde sedebant.* Vide Plaut. Boxhorn.

De-

Devolant angues jubati deorſum in impluvium duo maximi.

Iubæ anguibus & draconibus tribui ſolent, quæ ſtrictæ ſunt in eorum capitibus eminentes. Quâ impluebat, impluvium *dictum*.

Mira memoras; nimis formidoloſum facinus prædicas.

Nam mihi horror membra miſero percipit dictis tuis.

Scilicet boni dimidium mihi dividere cum Iove.

FINIS AMPHITRUONIS.

M. AccI

M. Acci Plauti
ASINARIA.

Camerarius.

INgens turpitudo & nefarium flagitium hac fabulâ exponitur, societatis, & eorum, quæ animadversione acerrimâ digna, non solum impunita essent legibus, sed jocis etiam verborum vulgo celebrarentur. Atque hac est horribilis ira dei, quæ impietatem ita ulciscitur, ut in omnia pessima illam facinora ruere, & delicias facere in gravissimis delictis patiatur, &c.

Ianus Guilielmius.

Festiva fabula est, & ridicula vanitatis plena ASINARIA.

ELEC-

ELECTA PLAVTINA

Ex

ASINARIA.

CAP. IV.

PROLOGVS.

FAce jam, tu præco, nunc omnem auritum populum. *Hoc est, ne usu aurium destituatur. Præcones solent & vocem & linguam habere venalem.*

Huic nomen Græcè est Onagos fabulæ. Marcus vortit barbarè, Asinariam.

Inest lepos, ludusque, in hâc Comœdiâ.

Ridicula res est.

Ονηγὸς *Asinarius. Asinaria scilicet fabula, quasi diceretur:* Fabula de asinario mercatore.

Act. I. *Sc.* I.

Superesse vitæ sospitem & superstitem. Vivus ut pestem oppetas.

Per Deum Fidium quæris. *Fidius est Iovis fil. hoc est Hercules: cujus sacramentum sanctissimum erat.*

Num me illuc ducis, ubi lapis lapidem terit? *Duo molendi genera fuerunt. aut suspensâ molâ fruges frangebantur, ut in fabâ fresâ, & in polentâ crassiusculâ, aut molæ non suspendebantur, sed lapis lapidem terebat, hoc est mola molam, cum tenuior & minutior farina ejicitur.*

Vbi flent nequam homines, qui polentam pransitant. *Hoc est hordeaceam farinam.*

A pud

Apud fustitudinas ferricrepidinas insulas. *Insulas vocat molas, quod in mediis pistrini locis collocata.*

Fustitudinas, *quod illic fustib. adigerentur servuli, si alicubi cessarent.* Ferricrepidinas, *quod compedibus vincirentur, ne aufugerent.*

Vbi vivos homines mortui incursant boves. *Hoc est ubi servi loris è pellibus bubulis factis caduntur.*

Hercle usque ex penitis faucibus. *Veteres* penitum *vocabant, quod* intimum. *Vnde &* penum & penates *dixerunt.*

Quia non suppetunt dictis data.

Neq; puduit eum id ætatis Sycophantias struere.

Me habere honorem ejus ingenio decet.

Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Nunc verba in pauca conferam. Dotalem servum.

Sive, Servus Receptitius, *qui servus non ita erat in mariti potestate, ut reliqui; sed peculiaris matrona.*

Nudo detrahere vestimenta me jubes. Defrudem te ego? *Defrudare est*, fructum minuere, *vel per fraudem aliquid eximere.*

Iubeas unâ operâ me piscari in aëre,

Venari autem rete jaculo in medio mari. *Retis genus, dictum* à jaciendo, *quod &* funda *appellatur à* fundendo, *vel à* fundo. *βόλος Gr.* Verriculum *verò, rete, quod non jacitur, sed verritur.*

Moriri sese miserè mavolet, quam non perfectum reddat, quod promiserit.

Sc. 2.

Benè merenti mala es, male merenti bona.

Ibo ego ad tres viros, vestraque ibi nomina faxo erunt.

Capitis te perdam ego & filiam, Perlecebræ, pernicies, adolescentum exitium. nam mare haud est mare, vos mare acerrimum. *Meretricula duabus reb. potissimum teneræ ætati exitium est. blandimentis sermonum, & exorabulis munerum.*

Pelle-

Pellecebræ *igitur delinimenta sunt meretricia, blandidicis dictis & suaviludiis imperitos juvenum animos irretientia. Hinc* Pellices *dictæ.*

Ego pol te redigam eodem unde orta es, ad egestatis terminos.

Sordido vitam oblectabas pane, in pannis inopia.

Sordidus panis servis dabatur. panis cibarius sc. Alii putant viliorem fuisse, quem jusculo superfuso canibus præbebant.

Sc. 3.

Fixus hîc apud nos est animus tuus clavo Cupidinis.

Hoc est solidissimo & adamantino vinculo copulatus.

Remigio veloq; quantum poteris, festina & fuge.

Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.

Ego pol istum portitorem privabo portorio.

Par pari datum hostimentum est, opera pro pecuniâ.

Hostimentum est beneficii pensatio. Hostia *est victima, & dicta, quod dii per illam* hostientur, *id est, æqui & propitii reddantur. inde hostimentum*, æquatio.

Quasi piscis, itidem est amator lenæ, nequam est, nisi recens.

Is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto condias;

Vel patinarium vel assum: verses quo pacto lubet.

Et quoque catulo meo adblanditur novus amator.

Ad suum quemq; hominem quæstum esse æquum est callidum.

Nunc quia nihil habes, maledictis te etiam ductare postulas. *ex elegantiis Plautinis est. Ait amantem frustra, ac nequicquam velle amicam verbis ductare, non donis.*

Diem, aquam, solem, lunam, noctem, hæc argento non emo: cætera quæque volumus uti, Græcâ mercamur fide. *Hoc est optimâ & repræsentatâ pecu-*

fænus dictum: ut Græci Tóκ⊝, *quasi partus mutui sumpti.*

C A P. V. *Act.* II. *Sc.* I.

QVo hanc celocem conferam? hoc est, quò mea consilia conferam. *Celox, navigium breve & celere, quod majoribus & tardioribus subservit. Significat se dubitare, quibus rationibus & qua celeritate navem in portum ducat.*

Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves.

Picus & cornix est ab læva. Corvus porro ab dextrâ.

Consuadent. *Impetrire nihil aliud est, quam* impetrare.

Idem est, quod in sacrificiis, litare. *Aliqui* Parra *pro porro, legunt. Parra recinentis omen*, apud Horat.

Avis inauspicata, ab antiquo verbo parreo, *pro* pareo, *id est*, appareo. *hæc enim avis prætereuntes suo cantu facit sæpius ad se respicere.*

Sed, quid hoc, quod picus ulmum tundit? non temerarium est, quantum ex augurio auspicii intelligo.

Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.

Argento reperiundo fingere aliquam fallaciam.

Quin tu abs te socordiam omnem rejice, & segnitiem amove.

Segnitia est tarditas; socordia, remissio. illa corporis; hæc animi. ADMITTERE, Addicere, Impetrire *auguralia verba sunt.* Quovis admitt. *hoc est in quamvis partem addicunt, & consilium suo garritu aut volatu ratum faciunt.* Hinc aves admissivæ. *Tacitus*: auctus omine, addicentibus auspiciis vocat concionem.

Aut mihi in mũdo sunt virgæ, aut atriensi Saureæ.

Quod illic obscavavit meæ falsò falaciæ.

Atrienses servi observabant atrium, ubi canabant veteres. omnia munda curabant & integra.

Obscæva-

Obſcævavit, *hoc eſt malam ſcævam, ſive omen obtulit.*

Sc. 2.

Vti ego lubentiores illos faciam, quã lubentia eſt.
Hic Lubentia ſumi videtur pro voluptatum & deliciarum deâ.

Maximam prædam & triumphum eis adfero adventu meo.

Etiam de tergo ducentas plagas prægnantes dabo.
Hoc eſt eminentes ac protuberantes, ut prægnantium uteri ſolent.

Largitur peculium, omnem in tergo theſaurum gerit.
θὴς εἰς ἄυριον, quaſi in craſtinum repoſitum. propriè eſt vetus depoſitio pecuniæ, cujus non exſtat memoria. Suppeditare alicui aliquid de ſuis theſauris, *apud Cic.* In peculio nihil habet præter plagas.

Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit,
Maximas opimitates gaudio effertiſſimas pariet.
Iubeo te ſalvere voce ſumma, quoad vires valent.
Gymnaſium flagri ſalveto. *Homo, in quo verberando ſe quotidie exercet dominus.* Pareus.

Quid agis cuſtos carceris? O Catenarum colone!
O virgarum laſcivia. *Qui toties in carcerem compingeris, ut cuſtos ejus videri poſſis. Qui aſſiduè catenas colis, ut colonus agrum. In cujus tergo quaſi exultare & laſcivire videntur virgæ.*

Quot pondo ted eſſe cenſes nudum? Non edepol ſcio.

At pol ego, qui te expendi, ſcio. Nudus vinctus, centum pondo es, quando pendes per pedes.

Vbi manus manicæ complexæ ſunt, atq; adductæ ad trabem, nec dependis, nec propendis, quin malus nequam ſies.

Ad pedes quando alligatus es, æquum centupondium.

Expendi,

Expendi, *h. e.* libravi. *Servi a. pendentes vapulabant aquum centupondium*, est justum & æquum tentum librarum pondus. *Solebat servis ad pedes aliquod pondus alligari :* ne *recalcitrarent. Crudele adeo servorum supplicium, ut totam sæpè noctem pendentes flagris exagitati fuerint.* Manicæ, *vincula sunt, quibus manus vinciuntur.* Dependis, *quo tandem modo pendeas, plane & ex omni parte improbus es.* Dependere, *non est satis pendere, nec pondus æquare.* Propendere, *plus pendere.*

Verbis velitationem fieri compendi volo. H. e. volo *non usurpari hæc verba. Odi istam verborum velitationem & contentionem.*

Hoc testamento servitus legat tibi. *id est, miseriam, tanquam legatum aliquod.*

Omnes de nobis carnificum concelebrabuntur dies.

Omnium dignissimi, quo cruciatus confluant.

Dudum scapulæ gestibant mihi. *h. e. exultabant, quasi plagas præsagientes.*

Habeo opinor familiarem tergum, ne quæram foris. *h. e. domi habeo tergum, nec quærendum foris. veteres masc.* tergus.

Quin si tergo res solvenda est, rapere cupio publicum. *h. e. pecuniam publicam.*

Hem! illa Virtus est, quando usus est, qui malum fert fortiter.

Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum. *pati etiam de bono dicitur.*

Me ex cursurâ etiam anhelitum ducere. *Virgil. Et senibus medicatur anhelis. Cave*, anhelitum *pro simplici spiritu aut respiratione capias.*

Istud, quod affers, aures exspectant meæ.

Exemplo facio facetum me atque magnificum vivum.

Iam hoc opus est exasciatum. *Exasciare est asciâ, sive securi parare, & rudiore quasi operâ præparare. significat hoc negotium inceptum esse.*

Mihi tibiq; interminatus eſt,nos futuros ulmeos. *h. e. ulmeis excipiendos virgis.*

Ne hodie malo cum auſpicio nomen commutaveris. *alluditur ad vocem Taurea, quæ loreum etiam ſignificat flagellum.*

Quin promitto inquam hoſtire contra. *Redhoſtire, par pari referre.*

CAP. IX.

Nolo ego fores conſervas meas à te verberarier: ſane ego ſum amicus noſtris ædibus.

Sc. 3.

Periculum eſt, cardines ne foribus effringantur.

Ita hæc morata eſt janua: extemplò janitorem clamat.

Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventrioſus,

Truculentis oculis, triſtis fronte, commoda ſtaturâ. *Statura procera; prolixa. proceritas commoda. ſtatura depreſſa, eminens, media, ſublimis, apud Claſſicos legitur.*

Si quidem hercle Aeacidinis minis animiſque expletus incedit. *h. e. faſtu & iracundiâ Achilleâ quod plenus ac elatus ambulet.*

Sc. 4.

Næ edepol tergo & cruribus conſuluit haud decore.

Nimis imperioſus es. Malam rem effugies nunquam.

Næ tu hercle cum magno malo mihi obviam occeſſiſti.

Vtinam nunc ſtimulus in manu mihi ſit.

Qui latera conteram tua, quæ occalluere plagis. *h. e. ſenſum mali aſſuetudine amiſere. Sic callere artes dicimus, tranſlata metaphora à corpore ad animum.*

Callum, vel us, *cutis denſior labore pedib. vel manibus*

bus facta. Callum dolori obducere *h. e. longa consuetudine ita nos comparare,* ut *doloris molestiam non adeo sentiamus.*

Quin centies eadem imperem atque obganniam.

Ita jam hercle clamore ac stomacho non queo labori suppeditare. *h. e. par esse,* ἐπαρκεῖν.

Iussine, sceleste, ab janua hoc stercus hinc auferri? *Servi Scoparii infimum genus, quorum officium erat sordentia quæque purgare.*

Iussine columnis dejicier operas aranearum? *h. e. telas araneorum, quod erat servorum scopariorum.*

Iussine in splendorem dari bullas hasce foribus nostris? *Cic. IV. Ver. pro capite clavi umbellato, in bulla modum fastigiato, quo magnatum fores configi solent.*

Tanquam si claudus sim, cum fusti est ambulandum.

Atque herus in hara, haud ædibus, habitat.

Ita iracundia obstitit oculis. Qui semper me incendit ira.

Non decet superbum esse hominem servum.

Dabitur pol supplicium mihi de tergo vestro.

Pro vestris dictis maledictis pœnæ pendentur mihi hodie.

Neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi rectè æque putent.

Malum hercle vobis quæritis.

Crura hercle diffringentur: ne istum impudicum percies. *h. e. clara voce impudicum proclames. Servorum propriè fuit crux & crurifragium.*

Præfiscinè hoc nunc dixerim. *Vetus erat opinio, periculum aliquod esse à fascino, ubi quis impensius aut laudaret se, aut præsens ab alio laudaretur. Igitur hac formula veteres usi: qua invidiam & fascinum à se amolirentur ac deprecarentur: ut alias:* absit dicto invidia.

Nunquam hodie iduces, ut tibi credam hoc argentum ignoto:

Lupus eſt homo homini, non homo. quum qualis ſit. non novit.

CAP. VI.

Quanquam ego ſum ſordidatus, frugi tamen ſum. *noli ex veſtis vilitate me metiri. Etiam formoſus animus ſub vili palliolo latet.*

Act. 3. *Sc.* 1.

Ad loquendum, atque ad tacendum tute habeas portiſculum.

Quin pol ſi repoſui remum, ſola ego in caſteria.

Vbi quieſco, omnis familiæ cauſa conſiſtit tibi. *Portiſculus proprie eſt* hortator remigum, *h. e. qui eandem pergulam tenet.* Caſteria, *locus, ubi, cum navigatio conquieſcit, remi & gubernacula conquieſcunt.*

Ille ecaſtor hinc trudetur largus lacrymarum foras.

Hoccine eſt Pietatem colere, matris imperium minuere?

Lingua poſcit, corpus quærit, animus orat, res monet. *de inopi ac paupere.*

Sc. 2.

Scapularum confidentia, virtute ulmorum freti. *confidentia hic ſigni. duritiam & patientiam.* Vlmorum aliqui putant armorum, h. e. humerorum.

Qui ſæpe ante in noſtras ſcapulas cicatrices indiderunt.

Qui me vir fortior eſt, ad ſufferendas plagas?

Vbi verbis conceptis ſciens libenter perjuraris.

Vbi duritia tua ad languorem dederis octo validos lictores, ulmeis affectos lentis virgis. *Affectus,* h. e. cæſus. *Laſſitudo conſervum, reduvia flagri.* h. e.

h. e. qui delassare consuetus valentissimos virgatores conservos suos. *Solebant enim servi olim inter se flagellare.* Reduviæ flagri, *quasi circa illum flagra se resolvant, tergi firmitudine contrita. Unde & Reluvium* ἀπὸ τοῦ luo, *id est, solvo.*

Operâ ut largus est nocturna! Cinæde calamistrate. *Cinædus, qui patitur muliebria.* παρὰ τὸ κινεῖν τὰ αἰδοῖα. *Alii cinados, quasi pudore vacuos dicunt*: à Gr. κενὸς, vacuus.

Sc. 3.

Mater supremum mihi tua dixit, ire domum jussit. *Alluditur ad ritus funereos. nam cadavere ustulato, cæteris omnib. rite peractis, præfica alta voce proclamabat*: Ilicet. *tum demum cuncti extremum* vale *clamabant. Sic* supremum dixit: Ilicet, *enim est*, ire licet. *verbum tam funeribus quàm judiciis commune.*

Nam equidem me jam à vita abjudicabo. *h. e. separabo.*

O melle dulci dulcior tu mihi es. Certè enim tu vita mihi es. Complectere. Facio lubens. Utinam! sic efferamur.

Ut miser est homo qui amat! Imo hercle verò, qui pendet multo est miserior.

Here, salve. Sed num fumus est hæc mulier, quam amplexare? Quî dum? quia oculi sunt tibi lacrymantes.

Non omnia eadem æque omnibus, suavia esse scito.

Auscultate, atque operam date, & dicta mea devorate.

Da meus ocellus, da mea rosa, da mi anime, da mea voluptas argentum mihi.

Dic igitur me tuum passerculum, gallinam, coturnicem, agnellum, hædillum me tuum dic esse, vel vitellum, compara labella tum labellis.

Redito huc conticinio. h. e. *prima parte noctis, secunda vigilia νυκτὸς ἀρχὴ.*

Q. Libane, ocellus aureus, donum decusque amoris. *Conjungit res duas omnium carissimas,* oculum & aurum.

Dic me anaticulam, columbam vel catellum, hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.

Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam. *Ideo hæ aves hîc commemorantur, tanquam delicata. quia ista & alia id genus pueris patritiis in deliciis erant.* Putillum *quomodo explicetur, vide* Boxhor. Plaut. *hoc loco.* Proserp. bestiam: *sc. ut fiam similis serpenti, cui* Plin. *bisulcam linguam tribuit.*

Demam hercle jam tibi de ordeo, nî badizas. *Tolutim quasi* volutim *& glomeratim.* Βαδίζειν, *proprium gradarii ac tolutarii equi. Bis idem igitur dicitur.*

Nam jam calcari quadrupedem agitabo adversus clivum: *h. e. contra ascensum.*

Tum postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.

Annum opto hunc perpetuum mihi hujus operis. h. e. Philemii noctes.

An quid est olim homini salute melius?

Licet laudem Fortunam, tamen ut ne culpem Salutem.

Vt consuevere, homines Salus frustratur & fortuna.

Ego caput fui hodie huic argento reperiundo.

Ego pes fui. Quin nec caput, nec pes sermonum apparet. *Pes, quod vis fundamentum* Scaligero. *Caput, rei cujusque origo.* Donat.

Act. IV. Sc. 1.

Agedum istum ostende, quem conscripsisti syngraphum. *Chirographum est privata scriptura, manu cujusque subscripta.* Syngraphum, *quod simul plures subscripserunt.*

Nam

Nam tu poëta es prorſus ad eam unicus.
In foribus ſcribat, OCCUPATAM ESSE SE.
Nec epiſtola, nec cerata tabula: *Ex cera pictura genus intelligit imagineſque.*
Suſpiciones omnes abs ſe ſegreget.
Tecum una poſtea æque pocula potitet.

Sc. 2.

Luxuria ſumptus ſuppeditare.
Neque ullum verbum faciat perplexabile.
Forte ſi tuſſire occepſit, ne ſic tuſſiat, ut cuiquam linguam in tuſſiendo proferat. *Ne lingua prolata videatur aliquem ad baſiandum invitare.* Lamb.
Tu labellum abſtergeas potius, quam cuiquam ſuavium faciat palam. Douſa *ſalivam hic exponit ſuavium, quam ſuſpicioſus amator aliorum oculis prodi aut palam fieri non vult.*

Act. V. Sc. 1.

Decet verecundum eſſe adoleſcentem. Oculis dolorem prohibet. *Veteres ei dicebant oculos dolere, qui, quod nollet, doleret.* Terent. Phorm. *Vin' facere quod tuo viro oculi dolent?*
Hoc agitemus convivium vino & ſermone ſuavi.
Vtinam! male qui mihi volunt, ſic videant.

Sc. 2.

Is apud ſcortum corruptelæ & liberis luſtris ſtudet. *Libera luſtra ſunt, ubi omni libidinandi licentia genio ſuo libere indulgent.*
Fundum alienum arat, incultum familiarem deſerit. *ſatis notus hic locus. ſic ſolent agriculturæ vocabula reb. Venereis addi.*
Aucupemus ex inſidiis clanculum, quam rem gerant.

Vt osculatur carnifex, capuli decus! *Capulus à capiendo, nam sepulchrum veteres capulum dixere, quod caperet corpora.* Turpe senilis amor.

Nauteam bibere malim, quàm illanc oscularier. *Nautea est aqua de sentina, à nautis dicta.*

Censen' tu illum hodie primùm ire assuetum in ganeum? *Veteres ganeum tabernam meritoriam dixere. ἀπὸ τῆς γᾶς τοῦτ' ἐστι γῆς, quod ea sint in terra, non, ut cænacula, supra.* Donat.

Næ illæc ecastor fœneratò funditat. *Verba hac, quæ in me fundit, magno illi constabunt.*

Iace, pater, talos. hoc Venerium est. Te Philenium mihi, atque uxori mortem. *sc. opto, voco. solebant amatores puellas, quas amabant, inter talorum jactus, invocare. Per*, Venerium, *jactum Veneris intelligit. Dicebatur talis jactus, quum quatuor tali jacti dissimiliter cecidissent. Is felix habebatur.*

Pueri plaudite, & mihi ob jactum cantharo mulsum date.

Non queo durare, Si non didicisti fullonicam, non est mirandum. *Vox propriè fullonum, quod vestu coacta & incretata durescat. Sic ubi malè affligamur, ibi nos durare posse negamus. Varie vox hac usurp.* Pareus in Lex. Plaut. *Durare.*

Ecquis currit Pollinctorem accersere? Qui eum sepeliat. *Pollinctor, qui mortuos curabat.* Pollinctores: *quasi pollutorum unctores: quia nimirum corpora mortuorum ungebant. à* pollincio, *vel* pollingo.

Pulchre hoc gliscit prælium. Ex amore tantum homini est incendium. Miseram odio enecavit. Nullus sum. At etiam cubat cuculus. *h. e. in cubitum se componit. Cuculi enim dicebantur, olim in re parum honestâ deprehensi.*

Cano capite te cuculum uxor ex lustris rapit.

Ecastor canabis hodie, ut te dignum est, magnum malum. *Horat. nos canamus aves. Emptum canat olus.* cum accusandi casu.

Totus

Totus perii. Myrrham olet. Vera hariolare.

Nec quisquam est tam ingenio duro, nec tam firmo pectore,

Quin ubi quicquam occasionis sit, sibi faciat bene.

FINIS ASINARIÆ.

M. ACCI

M. ACCI PLAUTI
AULULARIA.

JANUS DOUSA.

ITa me Dii deaque omnes amaverint! ut quidem ego Plauti Aululariam maximi feci semper, eamque adeò præ cæteris dignam censui, quam non modo juventus hæc nostra, verum etiam ætas omnis studiosissimè expeteret, nec unquam de manib. deponeret. Nam præter dictionis genus verè Romanum, tota Ethica esse, & ad pudicos honestosque mores facta videri potest. Atque utinam sarta tecta in manus nostras pervenisset.

ELEC-

ELECTA PLAVTINA

Ex

AULULARIA.

CAP. VII.

ARGUMENTUM.

Senex avarus vix sibi credens Euclio,
Domi sua defoßam multis cum opibus
Aulam invenit, rursumque penitus conditam
Exsanguis, amens servat, &c. Veteres aulas ollas dixere. Hinc *Aulularia.*

PROLOGUS.

QVi illam ſtupravit noctu Cereris vigiliis. *Sacra hac à mulieribus jejunantibus nocturna celebrabantur. quod Ceres filiam suam nocte quasierit in Aetnâ oberrans.*

Act. I. *Sc.* I.

Exeundum tibi hinc eſt foras Circumſpectatrix cum oculis emiſſitiis. *Oculi, qui huc illuc excurrunt, omnia curiose observitantes. Alii de* Lamiæ *oculis intelligunt. qua domi quidem canebat caca, oculosque habebat in vasculo repositos. verum ubi prodit foras, reponere, ac tum oculatam esse.*

Tibi ego rationem reddam ſtimulorum ſeges? *h. e. digna, in cujus corpore stimuli perpetuo defixi stent, ut in segete spica.* Lamb.

Teſtudineum iſtum tibi ego grandibo gradum. *h. e. faciam, ut majora in gradiendo spatia facias.*

Oculos hercle iſtos ego effodiam tibi.

Continuo hercle ego te dedam diſcipulam cruci.

 hoc est

hoc est, in crucem agam te, tanquam sub disciplinam, & magisterium quoddam, ubi discas oculos illos emissitios non continere, sed claudere.

Quæ in occipitio quoque habet oculos, pessima.

Nescio pol, quæ illum hominem intemperiæ tenent. *ab intemperantia. h. e. à tota mente & ratione defectio.*

Quasi claudus sutor domi sedet totos dies.

Propinqua partitudo cui appetit.

Neque quicquam melius est mihi, quam ex me, ut unam faciam literam longam, meum laqueo collum quando obstrinxero. *De littera I. vide* Plaut. BOXH. hoc loco.

Sc. 2.

Nunc defæcato demum animo egredior domo.

Nihil hic est quæsti furibus: ita inaniis sunt oppletæ atque aranei ædes. *inania, æ, inanitas est. Quæ vacua sunt, etiam* aranearum plena *dicimus. Catull.* plenus sacculus est aranearum.

Araneas mihi ego illas servari volo. *Aranea dum à superioribus filum ducit, spem venturæ pecuniæ videtur afferre. Hinc Euclionis avarities manifesta.*

Si bona Fortuna veniat, ne intromiseris.

Occlude sis fores ambobus pessulis.

Non est verisimile hominem pauperem pauxillum parvi facere.

Act. II. Sc. 1.

Nam Optima nulla potest eligi: alia aliâ pejor, frater, est.

Quod tibi sempiternum salutare sit procreandis liberis.

Mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta: lapides loqueris. *id est, durus & asper tuus sermo. sic dicimus Rosas loqui & violas.*

Ego

Ego virtute deûm & majorum nostrorum, dives sum satis.

Post mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum;

Si eam senex anum prægnantem fortuitu fecerit,

* Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero Posthumus? *Scribi volunt sine* h. est *enim à* post, *quia post patrem mortuum nascitur postumus. non à* post *&* humo, *quasi post patrem humatum nascatur. Postumus tamen censetur etiam, qui post factum testamentum natus est, etiam vivo patrefamilias: sed & qui post alios liberos, ultimusque gignitur.* Turneb.

Istas magnas factiones, animos, dotes dapsiles,

Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,

Nihil moror, quæ in servitutem sumptibus redigunt viros.

Sc. 2.

Præsagibat mihi animus, frustra me ire. *Sagire, sentire acutè est, ex quo saga anus, quia multa scire volunt. & sagaces dicti canes. is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur præsagire. h. e. futura ante sentire.*

Te esse hominem divitem, factiosum: me item esse hominem pauperum pauperrimum.

Nunc si filiam locassim meam tibi, in mentem venit,

Te bovem esse, & me esse asellum: ubi tecum conjunctus siam,

Vbi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego asinus in luto.

Tu me bos magis haud respicias, gnatus quasi nunquam siam.

Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat.

Neutribi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat.

Asini

Asini me mordicibus scindant, boves incursent cornibus. *non pro morsib. sed pro ipsis dentibus sumendum. Mordices Plauto nihil aliud, quàm dentes.*

Magnum est periculum, me ab asinis ad boves transcendere. *h. e. implicari inconveniente necessitudine. Quod pulchre Naso :* Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci : Tam premitur magno Conjuge nupta minor.

Pactum non pactum, non pactum pactum est, quod vobis lubet.

Mihi esse thesaurum domi: id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia. *h. e. obfirmato & perseveranti animo expetivit.*

Sc. 3.

Malum mœrorem metuo, ne mistum bibam. *Aliqui legunt :* ne amystin bibam, *h. e. amystide.* Est a. *amystis potio, quâ affatim hauriebant : in hauriendo optima fide non respirantes. sic dicta* παρὰ τὸ μὴ μύειν, *quod non commissis labris affatim biberent.*

Pumex non æque est aridus, atque hic est senex. *lapis fistulosus spongiæ modo.*

CAP. XI. *Sc. IV.*

Q*Vin* divum atque hominum clamat fidem, suam rem perisse, seque eradicarier, de suo tigillo fumus si qua exit foras.

Quin cum it dormitum, follem obstringit ad gulam. Cur? ne quid animæ fortè amittat dormiens. *Sic prodigiose avarus Euclio, ut priusquam cubitum iret, follem, sive fundam, h. e. sacculi genus ex alutâ confecti, sibimet ipsi obstringat ob gulam ; suam, non follis* Douza.

Etiamne obturat inferiorem gutturem,

Ne quid animæ forte amittat dormiens? *Per hoc intellige anum, sive podicem. tali metaphorâ Cato usus, quando dicit :* superiorem alvum dejicere ; *h. e. ventriculum nausea gravem vomitu exonerare.*

Aquam

Aquam hercle plorat, quum lavat, profundere.
Famem hercle utendam, si roges, nunquam dabit.

Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat;
Collegit, omnia abstulit præsegmina.
Pulmentum pridem eidem eripuit milvus:
Homo ad prætorem deplorabundus venit:
Insit ibi postulare, plorans, ejulans
Vt sibi liceret milvum vadarier. *A milvo Vades postulare, qui illum certa pecunia sponsione vadimonium obiturum præstarent.* Vadari *a. vel* convadari, *est in jus citare, die dicta.*

Cocus ille nundinalis est, in nonum diem solet ire coctum. *Congrionem istum bustuarii ordinis intelligit. quem* Semirasum ustorem *cum Catullo nominamus. qui mortuis & jam ad rogum elatis coqueret cœnam illam feralem, quod* Silicernium *vocarunt.* vide Boxh. PL. hoc loco.

Non temerarium est, ubi dives blandè appellat pauperem.

Iam illic homo aurum me scit habere, eò me salutat blandius;

Pol si animus est æquus tibi, satis habes, qui bene vitam colas.

Virginem habeo grandem, dote cassam, atque illocabilem.

Alterâ manu fert lapidem, panem ostentat alterâ.

Ego istos novi Polypos, qui sibi; quidquid tetigerint, tenent.

Vbi manum injicit benignè, ibi onerat aliquam Zamiam. *h. e. imponere & inferre Zamiam; quod idem quod jacturam inferre.* onerare est, ἐπιφορτίζειν & ἐμβάλλειν, *& onus* ἐμβολή. SALMAS.

Aurum mihi intus harpagatum est. *h. e. raptum.*

Aurum huic olet. Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior. Haud decorum facinus tuis factis facis.

Tune

Tune trium literarum homo me vituperas?
Dummodo morata rectè veniat, dotata est satis.

Sc. 6.

Hos ut accipias coquos, Tibicinamque, obsociumque in nuptias. *Quamvis* ὄψον *significet opsonium, h. e. omne id, quod unà cum pane comedimus! imo quicquid in macello vanit; quod* προσφάγιμον *dicitur; nihil ominus tamen obtinuit, tanquam victor solus* piscis, *quod eximius sit cibus, ut ita solus vocaretur.* Nans.

Cererine nuptias facturi? Quia temeti nihil allatum intelligo. *Cereri in nuptiis vinum adhiberi erat nefas, quæ* Orci nuptiæ *dicebantur, quas præsentiâ suâ pontifices ingenti solemnitate celebrabant.*

Si hercle te non elinguandum dedero, usque ab radicibus.

Quæ res rectè vortat! mihique! tibique! tuæque filiæ!

Sc. 7.

Rapacidarum ubi tantum siet in ædibus. *sc. rapacium coquorum. nam rapax genus coquorum: Patronymici more: ut pro Scipionib. Scipiadæ. jocus in eo, quod quasi familiam dederit* Rapacidarum, *ut Pelopidarum, Æacidarum.*

Cara omnia: atque eo fuerunt cariora, æs non erat.

Sc. 8.

Abeo iratus illinc, quoniam nihil est, qui emam.

Ita illis impuris omnibus adii manum. *Adire manum alicui, apud Plaut. fere significat, manu cum aliquo congredi.* Lambinus. *Veneram in macellum, & multa licitatus eram, ita ut piscatores & Lanii se aliquid ex me corrasuros esse sperarent. at ego nihil emi, & sic eis manum adii.* Vide Calligr. Parei Tit. Decipiendi, Adeundi. *Nihil aliud est, quàm manum retrahere, cum alter inhians manum porrigat.*

Festo

Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris. *prodegeris*, profuderis *signif.*

Accessit animus ad meam sententiam. *Assensus sum huic meæ sententiæ.*

Apollo, quæso, subveni mihi, atque adjuva.

Confige sagittis fures thesaurarios: *Apollinem invocat, ut ἀλεξίκακον & malorum depulsorem. Et constat Apollinem antiquitus* Apellinem, *quasi mala* apellentem *dictum.* Meursius.

Sc. 9.

Desquama pisces: tu machærio Congrum, Murænam exdorsua. dumque absum, omnia exossata fac fiant. *Macharionem aliqui coqui nomen putant. aliqui cultelli coquinarii genus putant, ut macharia murana exdorsuari debeat. Cultellos enim Gr. μαχαίρια & μαχαιρίδια dicunt.* Exdorsua, *id est, dorsum frange.*

Tu istum gallum, si sapis, glabriorem reddes mihi, quam volsus Ludius est. *Ludii adolescentes erant, qui erant tuniculas induti insignes, galeati & ensiferi. qui omnibus Circensibus & theatralibus pompis in versum incedebant, ipsis velut pompa duces Salibus similes.* Ludii dicti, *quod à Lydis hoc genus Ludicri inventum.* Si *qui eorum grandiusculi & jam vesticipes, vellebantur, glabrique reddebantur.* Turneb.

C A P. VIII. *Act.* 3. *Sc.* 1.

D*Ate* viam quâ fugere liceat, facite totæ plateæ pateant. *Hac voce monebant Lictores populum magistratibus de viâ decedere:* Date viam consuli.

Ad Bacchas veni in Bacchanal coquinatum. *in locum, in quo ad coquendum destinato, non jam sunt, nisi furentes & Bacchantes,* Boxh.

Ita me iste habuit senex gymnasium: *Ita fui isti seni pro gymnasio, in quo se exerceret.*

Neque

Neque ligna ego usquam gentium præberi vidi pulchrius. *h. e. fustes, quib. capita mihi meisque contunderet.*

Sc. 2.

Homo nullus est te scelestior qui vivat hodie.

Fustibus sum mollior miser magis, quam ullus cinædus. *vide Cinadus in indice.*

Crudum an coctum edam, quid tu curas ?

Ita me bene amet Laverna. Pipulo hîc te differam ante ædes. *Laverna dea furum, quam coqui fures invocabant.* Pipulo differre, *h. e. convitio proscindere. Vide plura de hoc in* Boxh. Plauto.

Huc introduc gregem venalium, si voles. *hoc est, Servorum, qui plerique fures.* Lamb.

Postquam implevistis fustibus istorum caput.

Sc. 3.

Coctum ego, non vapulatum dudum conductus fui.

Opera huc conducta vestra est, non oratio.

Sc. 4.

Facinus audax incipit, qui cum opulento pauper homine cæpit habere negotium, aut rem.

Occepit ibi scalpurire ungulis circumcirca. *h. e. scalpere. nam frequentativa verba interdum ponebantur pro primigeniis.*

Ita pectus meum peracuit. *h. e. irâ incensum est.*

Nimis lepidè fecit verba ad parsimoniam,

Sc. 5.

Opulentiores pauperiorum filias

Vt indotatas ducant uxores domum :

Et multò fiat civitas concordior,

Et invidiâ nos minore utamur, quàm utimur :

Et illæ rem malam metuant, quam metuunt magis. *h. e. magis abstineant à peccando, ubi minus ipsis licet.*

Ego

Ego faxim muli, pretio qui superant equos,
Sicut viliores Gallicis cantheriis. *Cantherius hoc distat ab equo, quod majalis à verre, capus à gallo, vervex ab ariete.*

Incommoditates ex magnis dotibus!
Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius:
Caupones patagiarii, indusiarii.
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murobathrarii.
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii sutores, diabathrarii.
Solearii adstant, adstant molochinarii.
Petunt fullones, sarcinatores petunt.
Strophiarii adstant, adstant semizonarii, &c.
Aut aliqua mala crux semper est, quæ aliquid petat. *Molochinarii, qui colorem tingit ad purpuram inclinantem, qualis in malvæ flore spectatur. Et malva quidem μαλάχη & μολόχη dicitur. Caupones Patagiarii, non qui vinum vendunt, sed nomen habent generale à copiis:* ut *sunt mercatores & institores patagiorum, indusiorum, flammeorum, violacei panni, & cerini.* Caupones patagiarii *dicuntur igitur* caupones indusiarii. Turneb.

Flammearii, *qui flammeo, sive rubro colore vestes tingit.* Carinarii, *qui cerino colore pannum inficiunt.* Murobathrarii, *qui calceamenta muliebria unguentis, odoribus & suffimentis imbuebant, ἀπὸ τῦ βρέχειν madefacere.*

Propolæ, *qui primum vendunt merces, & ut Persius ait:* primus tollit piper è sitiente camelo.

Diabathrarii: *Diabathra genus solearum Græcanicarum.* Strophiarii: *Strophium fascia brevis, quæ virginalem papillarum tumorem cohibet.* Semizonarii: *Qui Zonulas minus dimidio latas faciunt: quæ semicinctia dicuntur, quod partem hominis anteriorem à cingulo & lumbis ad pedes usque præcingant.*

Trecenti cum stant Phylacistæ in atriis.
Cum incedunt infectores crocotarii. *Phylacistæ sunt*

sunt, qui servos in ergastulo servabant. Hic per translationem sic dicti, illi, qui manupretium flagitant.
Crocota, *genus vestis crocei coloris?*

Itur, putatur ratio cum argentario.
Vbi disputata est ratio cum argentario.
Nam quæ indotata est, ea in potestate est viri.

Sc. 6.

Dotatæ mactant & malo & damno viros.
Opinione melius res structa est domi.
Qui intromisisti in ædes quingentos coquos.
Cum senis manibus, genere Geryonaceo:
Quos si Argus servet, qui oculeus totus fuit,
Is nunquam servet. *Geryon. rex Hisp. fingitur à poëtis tricorpor, habens terna capita, sex manus, totidemque pedes.*

Volo ex te scire, qui sit agnus curio. Eu. Qui
Ossa atque pellis totus est, ita cura macet. *Curionem agnum Plautus macrum dixit.*

Quin exta inspicere in sole etiam vivo licet:
Ita is pellucet, quasi laterna Punica. *Laternæ enim Africanæ supra cæteras erant pellucidæ.*

Loces efferendum: nam jam credo mortuus est. *apud veteres cadaver, post efflatam animam, cubiculo efferebant, & ablutum, unctum, coronatum in vestibulo ædium ad januam ipsam collocabant: ita ut pedes in viam spectarent. hoc situ illam postremam abitionem significantes. idque proprio verbo dicebant* Collocatio. Lips. Locare *etiam alio sensu sumi hic potest: nam veteres solebant cum iis, qui Libitinam exercebant, certo pretio de funereis sumptib. contrahere.*

Vt me deponat vino, eam affectat viam, *ut nihil differam à deposito.*

Cadum vini veteris à me afferrier jussero.
Aulam in Fidei fanum adferam. Fides, novisti me & ego te. Ibo ad te fretus tua, Fides, fiduciâ. cave sis tibi, ne tu in me mutassis nomen. *Athenis Fidei templum. Olim in ædib. sacris pecunia deponebatur, Ærarium Romanum in æde Saturni.*

Nam

Act. IV. *Sc.* I.

Nam qui hero ex ſententia ſervire ſervus poſtulat

In herum matura, in ſe ſera condecet capeſſere.

Sin dormitet, ita dormitet, ſervum ſeſe ut cogitet.

Quaſi pueris, qui nare diſcunt, ſcirpea induitur ratis. *Scirpum Grammatici interpretantur id, quod in paluſtrib. locis naſcitur leve ac procerum. unde segetes fiunt. Hinc* Scirpea ratis. *Detracto cortice, medulla interior candelis faciendis ſerviebat, cerâ circumdatâ.* Salmaſ.

Eodem modo ſervum ratem eſſe amanti hero æquum cenſeo.

Herile imperium ediſcat, ut quod frons velit, oculi ſciant.

Quod jubeat, citis quadrigis citius properet perſequi.

Qui ea curabit, abſtinebit cenſione bubulâ. *à verberibus corii bubuli.*

Nec ſua opera rediget unquam in ſplendorem compedes. h. e. nunquam vincietur.

Sc. 2.

O Fides, mulſi congialem plenam faciam tibi fideliam. *Congius capit ſextarios ſex, Fidelia Samium vas eſt, ad uſus plurimos.* Fidelia *vas quoque fuit, quo utebantur, qui parietes dealbabant*: duos parietes de eadem fidelia dealbare, *apud Cic.*

Non temere eſt, quod corvus cantat mihi nunc ab lævâ manu. *à dextrâ fauſta; à lævâ infauſta.*

Semel radebat pedibus terram, & voce crocibat ſuâ.. *crocitum edebat.*

Continuo cor meum cepit artem facere ludicram: *capit palpitare & micare.* Turnebus explicat geſtire. *Metaph. ab Hiſtrionib. ſumpta.*

Sc. IV.

Foras, foras, lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modo,

modo. ἔντερον γῆς. *Lumbrici etiam dicebantur, qui ex imis sordibus ad summas dignitates erant evecti: geminâ ratione terra filii.*

Quæ te mala crux agitat? Verberatissime, etiam rogitas? *hoc est, verberib. dignissime.* Μαστίγων ἀξιώτατε.

Aufer cavillam. *Cavillatio est jocosa calumniatio.* cavillare, *est à cavendo; propriumque est legulejorum,* cavere.

Larvæ hunc atque intemperiæ insaniæque agitant senem.

Atque illi socienno tuo jam interstringam gulam. *h. e. socio.*

Emortuum ego me mavelim letho malo.

Ea sublevit os mihi pænissime. *h. e. prorsus mihi fucum fecit, & pro ridiculo habuit.*

Sylvani lucus extra murum est avius. *Quidam Lucos dictos volunt; quod ibi lumina accenderentur causa religionis.* Lucus, *proprie sacra sylva. Alii, quod minime luceat ab horrido sc. sacroque silentio.*

Sc. 7.

Iuno Lucina tuam fidem! *Lucina dicta, quod ejus operâ partus in lucem prodeant, & lumen solis intueri incipiant.* Turneb.

Ibo intro, ubi de capite meo sunt comitia. h. e. *ubi de famâ & salute mea agitur. Tractum à Pop. Rom. comitiis.*

Sc. 8.

Picos divitiis, qui aureos montes colunt,

Ego solus supero. *Gryphos intelligit; qui ex hyperboreis montibus aurum effodere dicuntur.*

Hominum mendicabula. Ego modo declinavi paulum me extra viam.

Qui vestitu & cretâ occultant sese, atque sedent quasi sint frugi. *In homines tenuiores, quib. cum copia mutanda toga non esset, tamen ut nitidi & melio-*

ris

ris fortunæ apparerent, sub dies ludorum togam increta-bant. potest & ad servos referri, ut liberos se mentiren-tur.

Deus mihi author fuit, is me ad illam illexit, *Cupidinem intelligit, à quo impulsus ad filiæ amo-rem.*

Fieri infectum non potest.

Nimis vile est vinum atque amor, si ebrio atque amanti impune facere, quod lubeat, licet.

Non mihi homines placent, qui quando male fecerunt, purgitant.

Iam hercle ad prætorem te rapiam, & scribam dicam. *h. e. in jus te vocabo & accusabo.*

Is me nunc renunciare repudium jussit tibi. *In-ter divortium & repudium hoc interest: quod repudiari etiam futurum matrimonium possit. non rectè a. spon-sa divertisse dicitur.* Divortium *dictum, quod in di-versas partes eant, qui discedunt.* Lambin.

Sc. 9.

Resecroque mater, quod dudum obsecraveram, *h. e. religione jusjurandi salva.*

Act. V.

Ita mihi ad malum malæ res plurimæ se agglu-tinant.

Hæc propemodum jam res in vado salutis esse videtur.

Dii immortales! quib. & quantis me donatis gaudiis.

Igitur orabo, ut manu me mittat. *Manumitti servus dicebatur, cum dominus aut caput ejus servi, aut aliud membrum teneret, & dicebat: hunc hominem liberum esse volo. Vindictâ fieri quod solet. Vindicta erat virgula, qua magistratus vel lictor servi caput bis terve percutiebat. Sic dicta à Vindice servo Vitellio-rum: qui, quod conjurationem detexisset, de opprimendis consulibus, primus libertate à consule est donatus.*

Anti-

Antiquitus manumittendi formula hac fuit. Claud.

Deductum Vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu:
Tristis conditio pulsatâ fronte recedit.
In civem rubuere genæ: tergoque removit
Verbera, promissi felix injuria voti.

FINIS AULULARIÆ.

M. ACCI

M. ACCI PLAUTI
CAPTIVEI.

CAMERARIUS.

Fabula huic nomen CAPTIVI *Duo. Inter Plautinas omnes hæc & argumento & expositione optima & elegantißima. Eximiæ fidei exemplum servi erga herilem filium, &c.*

JANUS DOUSA.

Quotiescunque manum Plauti Captiveis injectare libet, me sibi prorsus consimilem, h. e. captivum reddunt. ***. *Ita isthæc nimis lenta vincla sunt literaria. Quò magis intendas, tanto adstringunt arctius: ratione multo meliore utique, quam Escaria illa, & Parasitica, quib. sibi apud mensam plenam rostrum deligari exoptat Peniculus Plautinus.*

ELECTA PLAUTINA.

Ex

CAPTIVEIS.

CAP. IX.

PROLOGVS.

ENim verò Dii nos quasi pilas homines habent. *h. e. versant nos pro suo libitu.* Festus: *Pilæ & effigies viriles & muliebres ex lanâ Compitalibus suspendebantur in compitis, quod hunc diem festum esse deorum inferorum, quos vocant Lares, putarent; quibus tot pilæ, quot capita servorum, tot effigies, quot essent liberi, ponebantur; ut vivis parcerent, & essent his pilis & simulacris contenti.* Vide Boxh. PL.

Homunculi quanti sunt, cum recogito! *Quam sunt nihili sc. quam eos Dii ut pilas habent!*

Act. I. Sc. I.

Amator talos cum jacit, scortum invocat. *Antea explic.*

Domi, bellique duellatores optimi. *Terent. domi militiaque.*

Quasi mures semper edimus alienum cibum.

Simul prolatæ res sunt nostris dentibus. *Rerum prolatio apud Cic. negotiorum suspensio.*

Cochleæ in occulto latent, suo sibi succo vivunt, ros si non cadit.

Item Parasiti rebus prolatis latent in occulto, miseri victitant succo suo.

Prolatis rebus Parasiti venatici sumus: quando res redierunt, molossici Odiosicique & multum incommodistici. *Venatici, h. e. graciles, macri, ad cibum*

cibum quærendum expediti. Moloſſici, odioſicique, incommodiſtici, *verba non latina; ſed joci cauſâ ſic conficta.*

Frangique aulas in caput. *h. e. ollas.* Vel extra portam ire trigeminam ad ſaccum licet. *Ita dicta porta à tergeminis Horat. & Curiatiis: quæ eadem &* Oſtienſis: *quod per eam iretur* Oſtiam. Sacculum *locum putant fuiſſe extra Trigeminam portam, in quo pauperes ſedebant ſtipem petentes: nam extra hanc portam mendicabula pauperum fuiſſe multis ex Cic probari poteſt.* Longol.

Sc. 2.

His indito catenas ſingularias. *quæ ſunt ſingularum librarum. Sic* Balliſtæ centenariæ, *quæ ſaxa centum pondo jaciebant:* talentariæ, *quæ talenti pondo.* Lambinus *ſingularias interpretatur,* ſingulares, *id eſt, ſimplices, minoreſque* atque *has oppoſitas majoribus.*

Omnes profectò liberi libentius ſumus, quàm ſervimus.

Mene vis dem ipſe in pedes?

Liber captivus avis feræ conſimilis eſt: Semel fugiendi ſi data eſt occaſio, ſatis eſt: nunquam pol illam poſſis prendere.

Ille demum antiquis adoleſcens eſt moribus. *antiqua, & quæ ab aureo illo ſæculo, habita ſunt omnia meliora noſtris.*

Cujus nunquam vultum tranquillavi gratiis. *h. e. nunquam exhilaravi illum abſque præmio aut mercede.* Gratiis, *h. e. gratis.*

Ego, qui tuo mœrore maceror, maceſco, conſeneſco; & tabeſco miſer. Memorem mones.

Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine.

Tum denique homines intelligimus noſtra bona,
Cum, quæ in poteſtate habuimus, amiſimus.

Laudo, Malum quum amici tuum dicis malum.

Vt ſæpe ſumma ingenia in occulto latent!

Opus Paniceis, opus Placentinis quoque.

Opus Turdetanis, opus Ficedulensib.

Iam maritimi omnes milites opus sunt tibi. *vide ad hæc Boxh. Plautum.*

Profundum vendis tu quidem, haud fundum mihi. *h. e. gurgitem & voraginem, tanquam si mare esses, quo omnia sorbeantur & hauriantur.*

Meus scruposam victus commeat viam. *h. e. mea cæna parabilis est, nec scrupea & aspera captatur via, ut cæna, in qua venatio est.* Pareus.

Cum calceatis dentibus veniam tamen. *sic parasitus.*

Asper meus victus sanè est. ER. sentesne esitas?

Terrestris cæna est. ER. Sus terrestris bestia est. *Calceatis dentib. id est, ita munitis, ut viam illam scruposam facile conficere possint. Metaphora ducta à viatoribus, qui per saxa & scrupos ituri calceis se diligentius muniunt.* Terrestris cæna, *quæ nihil nisi terrâ natum habet: quam Horat.* cœnam sine sanguine *dixit.*

Intus subducam ratiunculam, quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. *h. e. digitis seorsum & secreto putare rationem, ut appareat, quid nobis debeatur.*

Act. II. Sc. I.

Indigna digna habenda sunt, herus quæ facit.

In re malâ animo si bono utare, adjuvat.

Doli non doli sunt, nisi astu colas.

Inest spes nobis in hac astutiâ. Memoriter meminisse.

Ita vinculis custodiisque circummœniti sumus. *h. e. muniti.*

Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet.

Etiam cum cavisse ratus, sæpe is cautor captus est.

Nunc

Sc. 2.

Nunc ſenex eſt in tonſtrinâ : nunc cultros attinet. *h. e. admotos tenet. ut ſc. Hegio decipiatur.*

Striſtimne attonſurum dicam eſſe, an per pectinem? *Striſtim tondere, id eſt, ad cutem.* Per pectinem *eſt paulo longius à cute, interpoſito pectine, tondere. Manet in allegoriâ, ductâ à tonſore. ſignificat ſenem velut in tonſtrinâ eſſe, ut à Philocrate omnibus modis decipiatur, ſtrictim & per pectinem tondendo, & admutilando, id eſt, non leniter, ſed prorſus & penitus decipiendo.* Lambin.

Thalem talento non emam Mileſium *h. e. nolim eum talento mihi addictum emere. quia Philocrates ſcilicet multo eſt ſapientior.*

At nunc vivat, nec ne, id Orcum ſcire oportet. *nam quicquid mortuum eſt, apud Orcum eſt.*

Genio ſuo ubi quando ſacrificat. ad rem divinam quibus eſt opus Samiis vaſis utitur. *h. e. teſtaceis & fictilibus.* Samia terra *ad figulina celebrata omnium authorum teſtimoniis.*

Nam ſecundum patrem tu es pater proximus.

Tibi in quæſtione eſſemus.

Quarùm rerum te falſiloquum mihi eſſe nolo.

Viden' Fortuna humana fingit arctatque ut lubet.

Eſt profectò Deus, qui, quæ nos gerimus, auditque & videt,

Non ego omnino lucrum omne eſſe utile homini exiſtimo.

Multos jam lucrum luculentos homines reddit.

Eſt etiam ubi profectò damnum præſtet facere, quàm lucrum.

Odi ego aurum; multa multis ſæpe ſuaſit perperam.

Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber eſt, quando pluit.

Quod bonis bene fit beneficium, gratia ea gravida eſt bonis.

Dii tibi omnes omnia optata adferant!

Hoc quidem haud molestum est, quod collus collariâ caret. *Collaria, sive collare vinculi genus, quo collum adstringitur.*

Sc. 3.

Vtroque vorsum rectum est ingenium meum.

Ad te atque ad illum pro rotâ me uti licet.

Meus mihi, suus cuique est carus. Si Diîs placet,

Expedivi ex servitute filium. Cave, fidem fluxam geras.

Act. III. Sc. 1.

Miser homo est, qui si ipse sibi, quod edit quærit, & id ægrè invenit.

Sed ille est miserior, qui & ægre quærit, & nihil invenit;

Ille miserrimus est, qui cum esse cupit, quod edit, non habet.

Hercle ego huic diei, si liceat, oculos effodiam libens. *h. e. lucem eripiam.*

Neque jejuniosiorem, neque magis effertum fame vidi.

Itaque venter gutturque resident esuriales ferias. *h. e. agitant ferias, quæ Esuritioni sunt dicatæ. sive, quiescunt & cessant ab edendo & bibendo.*

Ilicet parasiticæ arti maximam in malam crucem. *Intellige: ire licet. in crucem.*

Nihil morantur jam Laconas imi subsellii viros.

Plagipatidas, quib. sunt verba sine penu & pecuniâ. *Qui sedent in imâ parte subsellii.* Res longi subsellii, *quæ multis indiget, qui deliberent.*

Ipsi de foro tam aperto capite ad lenones eunt. *h. e. profanato pudore.*

Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier. *Romani singulis Cal. promiscuè sufficiebant cœnas.*

Scivi

Scivi extemplò rem de compacto geri.

Omnes compacto rem agunt, quasi in velabro olearii. *Velabrum locus Romæ juxta Aventinum montem. à velando, quod vela illic ludo prætendi solerent. vel à vehendo secundum alios.*

Nunc barbaricâ lege certum est jus meum omne persequi. *Id est*, Romana. *Innuit a. eam, quæ à Q. Vario lata est in eos, qui in Remp. conspirassent, consilio inito, quo Pop. Romanum vitâ & victu prohiberent.* Camer.

Est mihi una spes cænatica: si ea decollabit, redibo huc ad senem, ad cænam asperam. *h. e. fallet, deficiet.* Succollare, *in collum tollere. De canâ asperâ vide antea.*

Quid est suavius, quam bene rem gerere bono publico.

Sc. 3.

Nunc spes, opes, auxiliaque à me segregant, spernuntque se.

Hic ille est dies, cum nulla vitæ meæ salus sperabilis est.

Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantellum est meis. *Genus pallii aut velamenti. Varro vocat mantelium, quasi manuterium. Sic Latinè mantelium & mantile ad tergendas manus.*

Nec confidentiæ usquam hospitium, nec divorticulum dolis. Operta quæ fuere, aperta sunt: patent præstigiæ.

Occidam, oppetamque pestem vicemque meam;

Nisi aliquam meo corde machinor astutiam.

Occisa mihi hæc res est, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam. *Atrox dicitur ab eo, quod nihil timeat. τρέσαι Gr. dicunt timere. imo atrox purum putum Græcum est, ἄτρωξ, ἄτρωγος, quod nondum maturum esui.*

Sc. 4.

Et illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.

Ne verere; multos iste morbus homines macerat,

Quibus insputari saluti fuit: *De morbo caduco loquitur, qui insputatione sanari dicitur.* vide plura in Boxh. Plauto.

Est miserorum, ut male volentes sint, atque invideant bonis.

Ardent oculi, fune opus est. *de iratis, & insanis.*

Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?

Crucior lapidem non habere me, ut illi mastigiæ cerebrum excutiam, qui me insanum verbis concinnat suis.

Os denasabit tibi mordicus. *h. e. mordendo nasum tibi auferet.*

Garriet, quod neque pes unquam, neque caput compareat.

Nunc inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam scio. *à victimis, nempe porcis quæ in sanciendis fœderib. à sacerdote saxo feriebantur. Hinc ferire, icere, percutere fœdus. Virg.* cæsâ jungebant fœdera porcâ:

Atra bilis agitat hominem. Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.

Tum igitur deruncinatus, deartuatus sum miser hujus scelesti technis. qui me ductavit dolis: *Runcina ferra genus est. Deartuatus, id est, per artus concisus.*

Væ illis virgis miseris, quæ hodie in tergo morientur meo. *Sic ulmorum Acherons.*

Macilento ore, naso acuto, corpore albo, & oculis nigris,

Subrufus aliquantum, crispus, cincinnatus.

Quid

Quid cessatis compedes currere ad me, meaque amplecti crura, ut vos custodiam? *sic antea custos carceris, à contrario.*

Nucleum amisi, reliqui pignori putamina. *putamina non solum arborum sunt, verum omnium rerum purgamenta. nam quicquid ex quaque re projicitur, putamen appellatur,* Nonius.

Os sublevere offuciis sursum vorsum. *Offucia, fucus.*

Sc. 5.

Injicite huic manicas mastigiæ.

Sator sartorque scelerum, & messor maxime. *Sartores non modò à* sarciendo, *sed & à* sarriendo *dicti sunt.* Nonius.

Num lignatum mittimur? *intellige de loris & securi. puniendi enim servi Lignatumque ituri ferebant securim & lora.* Vide Lips. Epist. quæst. lib.1.13.

Deartuavisti opes & confecisti omnes res ac rationes meas. *h. e. in articulos dissecuisti.*

Dumne ob malefacta peream, parvi æstumo.

Facito ergo ut Acherunti clueas gloriâ. *hoc est, facito, ut apud Acheruntem celebreris laudibus.*

Qui per Virtutem peritat, non interit. *h. e. non separatur prorsus à vivis.* Protinus ut moriar, non ero, terra, tuus, *Ovid.* interire *generalius est, & majorem vim habet.* Perire, *dicimur, igne, aquâ, casu.*

Recens captum hominem, nuperum & novitium. *nescio quem de grege novitiorum apud Cic.*

Vbi ponderosas, crassas capiat compedes. *hoc est, duplices.*

Inde ibis porro in Latomias lapidarias. *Latomias, h. e. lapidicinas.*

Nisi cottidianus sesqui opus confeceris,

Sexcento plago nomen indetur tibi. *Sesqui opus confeceris*, id est, *octonos & quaternos lapides effoderis.*

Periculum vitæ meæ ſtat tuo periculo. *ſervus enim cum domini damno moritu.*

Poſt mortem, in morte nihil eſt, quod metuam, mali.

Et ſi pervivo uſque ad ſummam ætatem, tamen
Breve ſpatium eſt perferundi, quæ minitas mihi.

Valè atque ſalve. *Salvere & Valere mortuos jubebant.* Virg. Salve æternum mihi, maxime Palla, æternumque vale.

Ea ſpes elapſa eſt. Quaſi in orbitatem liberos produxerim. *ſic mihi omnes pereunt.*

Neminis miſereri certum eſt, quia mei miſeret neminem.

Exauſpicavi ex vinclis. *egreſſus bono auſpicio ex vinclis; ſed demum mihi in vincula redeundum. nam ſequitur,*

Redauſpicandum eſſe in catenas denuo.

CAP. X. *Act. IV. Sc. 1.*

MAximas opimitates opiparaſque offers mihi,
Laudem, lucrum, ludum, jocum, feſtivitatem, ferias,

Pompam, penum, potationes, ſaturitatem, gaudium.

Ita hic me amœnitate amœna amœnus oneravit dies.

Sine ſacris hereditatem ſum aptus effertiſſimam. *h. e. ſine ſumptu. Sacra enim familiaria, quæ pecuniam, id eſt, heredem ſequebantur, aliquo cum ſumptu fieri neceſſe erat. Soli cives Rom. habebant ſacra hereditaria ex lege XII. Tabb.* Sacra privata perpetua manento, *qua cavebatur, ut pater filiuſque heres eadem ſacra colerent. Unde cum de poteſtate filius exibat, non amplius paternis ſacris adſtringebatur.* Sine ſacris, *cum in gentem adoptione non tranſitur.* Sic dicimur tranſire in gentem & ſacra.

Conjiciam in collum pallium. *Vide Boxh. Palliati Græci, Romani togati.*

Spero

Spero me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.

Sc. 2.

Move abs te moram. Hic homo pugilatum incipit.

Meus eſt baliſta pugnus, cubitus catapulta eſt mihi: Humerus aries. *duplex inſtrumentum priſcis. altero tela*, vel *grandiores ſagittas*, *altero lapides & ſaxa emittebant*, *&c.*

Dentilegos omnes mortales fecero. *Dentes ex ore excutiam.*

Mira edepol ſunt, ni hic in ventrem ſumpſit confidentiam. *Vino ſc. & epulis calens. potius ex ventre, quàm animo & fiduciâ virtutis, adeo confidens & minax eſt.* Boxh.

Tum piſtores ſcrophipaſci, qui alunt furfuri ſues, quarum odore præterire nemo piſtrinum poteſt.

Baſilicas edictiones atque imperioſas habet.

Satur homo eſt, habet profecto in ventre confidentiam.

Edictiones ædilitias hic habet.

Qui advehuntur quedrupedanti crucianti canterio. *Crucians canterius* Auſonio *dicitur caballus tripes & claudicans. ruptus terga verbere.* quales ad molarias machinas damnari ſolent.

Eis ego ora verberabo ſtirpiculis piſcariis.

Vt ſciant, alieno naſo quam exhibeant moleſtiam.

Qui petroni nomen indunt verveci ſectario. *Petrones, ruſtici à petrarum aſperitate: qui &* rupices; *item* varrones *à varris*, *qui ſtipites ſunt non dolati, praduri ac enodes.*

Tantus ventri commeatus meo adeſt, in portu cibus eſt.

Pultando vel aſſulatim foribus exitium affero. *h. e. minutatim.*

Iam ego ex corpore exigam omnes maculas mœrorum tibi. *propriè exiguntur è vestibus maculæ.*

Laridum atque epulas foveri foculis ferventibus.

Alium pisces præstinatum abire. *h. e. emere.*

Pernam atque opthalmia, Horæum, scombrum, & trigonum, & cetum. *Opthalmia, piscis ab oculorum magnit. sic dictus. Horæum, salsamenti genus.* Scomber, *piscis, ex quo garum optimum fiebat: qui Latinis* pastinaca marina.

Proin' tu tui quotidiani victi ventrem ad me afferas.

Ita me amabit sancta Saturitas, hæc suo me semper condecoret cognomine.

Nam hercle, nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito. *fictum à μάντις & cano. hoc est, nisi compereris, me vere vaticinatum etiam fuste castigato.* Vide plura in PL. Boxh.

Aeternum tibi dapinabo victum. *sic cana dapsilis, dicta dapsilia.*

Sc. 3.

Mihi rem summam credidit cibariam.

Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! Quanta sumini absumedo! quanta callo calamitas! *absumedo*, ab absumo, *non multum* à sumine *discrepans.* Sumen *contendunt dici, quasi* sugimen, *ac propriè in suibus, quo suilla ubera continentur.*

Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!

Nunc ibo ad præfecturam, & jus dicam larido;

Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram. *Indemnatæ, jocus: quasi innocentes suspensæ, nullâ judicis sententiâ.* Boxh.

Clades calamitasque, intemperies modo in nostram advenit domum.

Quasi

Quasi lupus esuriens, metui ne in me quoque faceret impetum.

Ego illum malè formidabam: ita frendebat dentibus.

Arripuit gladium, prætruncavit tribus tergoribus glandia. *glandulas, quæ in cervicibus. cervices hîc intellige.* Tonsillæ *in homine, in sue* glandulæ. *quæ & glandia & glandula dicuntur.*

Cocum percunctabatur, possentne seriæ fervescere. *ac si quis orcas nostrates, hoc est*, cados salsamentarios *ad focum admoveri postulet, quasi integrum bovem, Herculis βȣφάγȣ more, primo velut pedatu absumpturus.*

Act. V. Sc. 1.

Cura me sat & lacrymis maceravi. Reperta est fides firma nobis.

In lapidicinas compeditum condidi. Libella argenti. *hoc est, assis.*

Ex hac statuâ verbereâ volo erogitare.

Fieri dictis compendium volo. Ne tu spem ponas me bonæ frugi fore.

Sc. 4.

Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent.

Cruciamenta; verum enim verò nulla adæque est Acheruns, atque ubi ego fui in lapidicinis.

Illic ubi demum est locus, ubi labore lassitudo omnis est exigunda ex corpore. *Veteres, ut melius homines continerentur in officio, Cruciatus infernales in tabulis depingebant.*

Nunc edepol demum in memoriam regredior audisse me quasi per nebulam Hegionem patrem meum vocarier.

Grex:

Spectatores, ad pudicos mores facta hæc fabula est, Neque

Neque in hac ſubagitationes ſunt, neque ulla amatio.
Nec pueri ſuppoſititio, nec argenti circumductio.
Hujuſmodi paucas Poëtæ reperiunt Comœdias.

FINIS CAPTEIVORUM.

M. Acci

M. Acci Plauti
CURCULIO.

Argumentum
Camerarii.

Hujus comœdiæ argumentum tenue ac simplex. In solâ Parasiti fraude fortuitâ paulò plenius. Introducitur adolescens amans puellam à lenone avaro, quam ille quidem redimeret, nisi pecunia deesset. Hanc in Caria se posse mutuo sumere sperans, mittit illò Parasitum suum. Is pecuniam reperit nullam: sed annulum in potu suffuratur militis, à quo fuerat ad cœnam vocatus, &c.

ELEC.

ELECTA PLAUTINA

Ex

CURCULIONE.

CAP. XI.

Act. I. *Sc.* I.

Quo Venus Cupidoque imperat, suadetque amor
Tandem es odiosus mihi. Si status condictus
cum hoste intercedit dies. *Status dies vocatur, qui judicii causâ est constitutus; cum hoste, id est, peregrino.*
Caruitne febris te heri? Ostium occlusissimum, taciturnissimum.

Quod amas, amato testibus præsentibus.
Nemo ire quemquam publicâ prohibet viâ.
Dumne per fundum septum facias semitam.
Dum tete abstines nuptâ, vidua, virgine,
Iuventute, & pueris liberis, ama quid lubet.

Malus clandestinus est amor, damnum est merum.

Tam à me pudica est, quasi soror mea sit.

Flamma fumo est proxima, fumo comburi nihil potest, flamma potest.

Qui è nuce nucleum comesse vult, frangit nucem.

Qui vult cubare, pandit saltum suaviis.

Quia hic ægrotus incubat in Aesculapii fano. *Qui à diis aliquid petere cogitabant, cubabant in eorum fanis, tanquam responsa ab iis vel vigilantes, vel insomnis accepturi. Virg. 7. Aeneid.* Pellib. incubuit stratis somnosque petivit.

Me inferre vovi Veneri jam jentaculum. *hoc est, vovi me ante omnes sacra Veneri facturum, quæ sint ei pro jentaculo.*

Quid

Quid Veneri antepones pro jentaculo? *id est, quid Veneri vovebis, post sumptum jentaculum?*

Nomen ei est lenæ, multibiba atque merobiba. *qua multum meri bibit.*

Quasi tu lagenam dicas, ubi vinum solet Chium esse. *quia videtur esse instar lagenæ nunquam vino carentis. sic Latini scriptores humanum corpus solent* utrem & follem *vocare. Sic Bonosus Imp.* amphora *dictus, cum laqueo suspendisset sese, non homo.* Grut. & Pareus. *Chium vinum non habebat aquam admixtam. Cætera vina Græca fere aquâ diluta. Meracum enim erat totum.*

Quisnam isthic fluvius est, quem non recipiat mare?

Agite, bibite, festivæ fores, potatæ, site mihi volentes propitiæ:

Vultis ne olivas, aut pulpamentum, aut capparim?

Profundis vinum, quæ te res agitant.

Num mutit cardo. est lepidus. Viden' ut aperiuntur ædes festivissimæ?

Sc. 2.

Flos veteris vini meis naribus objectus est. *Lucret.* Bacchi flos. Flos vini *etiam dicitur, cum vinum in summo tenuem quamdam habet spumam.* Virg. *Laticum libavit honorem.* Et alibi, *graminis attigit herbam. Aliàs* flos vini veteris *significat simpliciter vinum vetus. nihil aliud, quàm præstantissimum vinum signif.*

Salve, anime mi, Liberi lepos, ut veteris vetusti cupido sum! *Lena merobiba loquitur.*

Nam omnium unguentûm odor, præ tuo nautea est.

Tu mihi stacte, tu cimannomum, tu rosa,
Tu crocinum & casia es, tu bdellium. nam
Vbi tu profusus, ibi ego me pervelim sepultam.

Stacte latex oleumque è cinnamomo & myrrha incisa sudans

sudans. Crocinum, *croci unguentum.* Bdellium, *arbor nigra, magnitudine Oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque.* Plin.

Sitit hæc anus. quantillum sitit? modica est, capit quadrantal. *Vas pedis quadrati, 48 sextarios continens.*

Da vicissim gutturi meo gaudium. Cuja vox sonat procul?

Vindemia hæc huic anui non satis est soli.

Canem quidem esse hanc magis par fuit: sagax Nasum habet.

Vini pollens, lepidus, Liber, tibi qui screanti, siccæ, semisomnæ affert potionem & te sedatum it. *Bacchus ipse vini copiâ instructus.*

Invergere in me liquores tuos sine ductim. *id est, infundere.* Virg. *Frontique invergit vina sacerdos.* h. e. deorsum fundit. *Hæ quasi preces sunt anus merobibæ. exprimitur voce* ductim *vini aviditas.*

Grandiorem ergo gradum fac ad me. Quæ siti sicca sum.

Age effunde hoc cito in barathrum: properè prolue cloacam. *Barathrum macelli helluonem vocat* Horat. *qui vorat quicquid in macello prostat. Proprie Barathrum locus præceps, unde emergi non possit.* dictum ab eo quod est βαρὺς. *Per Barathrum hic intellige ventrem illius anus.* Cloaca *à colluendo, quasi* colluaca. *Sunt loca cava, in quæ sordes confluunt. Festus à* cloacando, *h. e. inquinando.* Cloacarius, *qui curam habet cloacæ. Venter hujus merobibæ fatidus cum cloacâ comparatur.*

Vt ingurgitat impura in se merum avariter Plenis faucibus!

Etiam mihi stimulo quoque fodere lubet te.

Ecce autem, bibit arcus, pluet. *Credidit vetustas, Iridem demissis in terram cornibus aquam è fontibus haurire. Virg.* Et bibit ingens Arcus.

Vineam pro aurea statuâ statuam, quæ tuo gutturi sit monumentum.

Qui

Qui amat, si eget, miserâ afficitur ærumnâ
Magnum inceptas, si id exspectas, quod nusquam est.

Pessuli, heus pessuli, vos saluto libens.
Quæ mihi misero amanti ebibit sanguinem.
Hoc vide, ut dormiunt pessuli pessumi,
Nec meâ gratiâ commovent se ocyus.
Tandem edepol mihi morigeri pessuli fiunt.
Sonitum prohibe forum, & crepitum cardinum.

Sc. 3.

Viden' ut anus tremula medicinam facit? *sc. foribus*. Foribus dat aquam, quam bibant. *Fallendis maritis ad janua cardines aquam muliercula affundebant, ut streperent.* Lips. *Apud Græcos quoque amatores hac perfusione uti solent. supra:* vino has conspersi fores; bibite festivæ fores.

Vbi tu es, qui me libello Venereo citavisti? *Quia etiam edicto publico latitantes citabantur.*

Vbi tu es, qui me convadatus Veneriis vadimoniis? *Qui quasi vadibus à me acceptis me in jus vocas.*

Ipsus se excruciat, qui homo, quod amat, videt, nec potitur, dum licet.

Bonum est, pauxillum amare sanè, insanè non bonum est.

Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeant, quod suum est.

Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites.

Quid? tu Veneri pervigilare te vovisti? *allusum est ad sacra nocturna, ad pervigilia Veneris, Cereris.*

Male mereri de immerente, inscitia est.

Nulli est homini perpetuum bonum. Iam huic voluptati hoc adjunctum est odium.

Tune etiam cum nocturnis oculis, odium me vocas? *h. e. deformibus, noctu potius, quam die visendis. Romani glaucos oculos non amabant. Noctuis enim inauspicatis tales oculi sunt.*

Auro

Auro contra cedo modeſtum amatorem. *id eſt, date mihi pari & æquo auri pondere repenſum, ego tantundem auri dederim.* Turneb.

Inter nos utimur amore ſurreptitio.

C A P. XII. *Act. II. Sc. 1.*

I*Am* jam quaſi zona, liene cinctus ambulo.
Geminos in ventre habere videor filios.

Nihil metuo, niſi ne medius diſrumpar miſer.

Atque iſtam exturbes ex animo ægritudinem.

Tormento non retineri potuit ferreo,

Quin reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.

Qui hic eſt homo cum collativo ventre, atque oculis herbeis? *h. e. magno & turgido quia omnia edulia in eum conferuntur.*

Renes dolent, lien necat. Hem! iſthoc verbo vindictam para. *h. e. cum dicto jam ſtatim libera me.*

Pulmones diſtrahuntur, cruciatur jecur,

Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent. *Hira inteſtinum jejunum eſt. diminutivè hilla. pro aliis tamen inteſtinis quoque ſumitur.*

Facile eſt miſerum irridere. Dum inteſtina exputeſcunt tibi. *id eſt, ut puteant tibi.*

Vænire poteris inteſtinis vilius.

Nunc dum ſalſura ſat bona eſt. *Planè Poëta hic laſcivit. nunc enim nondum ſalſura adhiberi poteſt. id tu niſi feceris, niſi duraveris, futurum eſt, ut vilius vendaris, quàm inteſtina tua è corpore avulſa h. e. morieris.*

Sanè illi inter ſe congruunt concorditer.

Pacem ab Aeſculapio petas, ne forte tibi eveniat magnum malum.

Sc. 2.

Quin capite ſiſtat in via de ſemitâ. *id eſt, quin in caput præceps à me detur, atque ita ſiſtatur humi proſtratus in viâ, quam ita arctam reddebat, ut* ſemitam faceret. vide plura in Boxh. PL.

Tum

Sc. 3.

Tum isti Græci palliati, capite operto qui ambulant. Qui incedunt suffarcinati cum libris. *h. e. qui libros sub axillâ & pallio ferentes, ob tumentem molem quasi sufferti videbantur. Græcorum mollities hic notatur, qui toga caput involvere solebant contra ventos aut æstum.*

Conferunt sermones inter sese drapetæ. *h. e. fugitivi Græci.*

Ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium. *h. e. peditum, seu strepitum obscœnum, natum ex polentâ comestâ.*

Tum isti, qui ludunt datatim in viâ. *Datatim ludere, erat pilâ ludere: propterea quod dabatur. unde quidam* Datores *dicebantur in lusu pilæ, qui pilam dabant. Alii a.* factores, *qui faciebant, id est, qui feriebant, quique in factiones erant divisi.* h. e. in partes. Plura in Boxh. PL.

Celeriter mihi hoc homine convento est opus.

O mea opportunitas salve!

Tenebræ oboriuntur, genua inedia succidunt.

Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame.

Ita cibi vacivitate venio laxis lactibus. *non blennos, ut aliqui.* Pleni dentes, *sunt obtusi, hebetes, situ jam, præ fame & edendi longâ inertiâ, crassiores facti. ut quæ rubigine & situ obducuntur, sic pleniora evadunt. sic plenum filum pro crasso dixerunt, & subtili opposuerunt.* pleno velamina filo. SALMAS. Lippiunt, *propter salivam, quæ inde lentè defluit, & concretior redditur, & hæreſcit faucibus, dentibus, palato.* Laxis lactibus. *h. e. inanibus intestinis.*

Invoco almam meam nutricem Herculem.

Iacto basilicum. propino magnum poculum vide Boxh. PL. *quid de hoc Lips. & Salm.*

Hæc sunt ventri stabilimenta, panem & assa bubula. Caput deponit; cordormiscit.

Sub-

Act. III.

Subduxit ratiunculam, quantum æris mihi sit, quantumque alieni.

Pugnis rem solvunt, si quis poscat clarius.

Qui Homo maturè quæsivit pecuniam,

Ni eam maturè parsit, maturè esurit.

Ego hoc effectum lepidè tibi tradam.

Et quidem reliqui in ventre cellæ uni locum.

Vnocule salve. de Coclitum prosapia te esse arbitror. nam illi sunt unoculi, *Cocles, quasi ocles, qui unum habeat oculum. qui uno nascebantur oculo* Coclites dicti.

Catapulta hoc ictum est mihi. Catapultæ crebrò ad me commeant. *id est, vulnus hoc, quo monoculus sum factus, catapultâ mihi inflictum.*

Inibis à me solidam & grandem gratiam.

Apud me profecto nihil est Summano loci. *Summanus est Deus manium summus.* Id est, Pluto, *qui omnes avarißime rapit in suum thesaurum. Hinc* summanare, *pro avidè rapere.*

Hamum vorat. *hoc est, capietur, tanquam piscis.*

Ita nugas blatis. *Nugæ, à non ago.* Qui monet, quasi adjuvat.

Act. IV. Sc. 1.

Alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam.

Qui perjurum vult convenire hominem, mitto in Comitium. Qui mendacem & gloriosum, apud Cloacinæ sacrum: *Comitiales homines erant; qui religionem jurisjurandi parum colere noverant.* Cloacinæ sacrum *h. e. templum Cloacinæ Deæ, cujus simulachrum in cloacâ repertum Tatius dedicaße dicitur, ea tempestate habitaße homines mendaces & gloriosos.* Boxh.

Sc. 2.

Egone à lenone quicquam mancupio accipiam?

Qui alteri quicquam mancupio tradit, ita dat quasi suum

suum : ut accipientis ilicò faciat, dominiumque transferat purè ac in perpetuum.

Quasi aquam ferventem frigidam, ita vos putatis leges. *aquam nemo ferventem tangere audet.* sic *leges primum latæ non facilè violantur. cum tempore negliguntur.*

Indignis si maledicitur, maledictum id esse dico.

Cui homini dii sunt propitii, lucrum ei profecto objiciunt. Nunc rei divinæ operam dabo.

Non ego nunc mediocri incedo iratus iracundia,

Sc. 3.

Non edepol nunc ego te mediocri macto infortunio.

Quos Summanos somnias?

Hic hodie apud me nunquam delinges salem. *nedum ut cœna adventitia tibi detur. Salem lingere, est admodum tenuiter vivere.*

Meæ pugnæ præliares plurimæ obtritæ jacent. *ad distinctionem velitationum, quæ verbis fiunt. Hinc enim λογομαχίαι.*

Miles pulchre centuriatus est ex puncto in manipulo. *h. e. adscriptus est manipulo exauctorato, & à militiâ dimisso.*

Act. V. Sc. 1. 2. 3.

Elusi militem in alea. *Eludere gladiatorum est, cum vicerunt, & ludo finem imposuerunt.*

Quin tu is in malam crucem cum bulbis, cum boletis. *Bulbus radix rotunda, tunicata. Boletus, species fungi.*

Iupiter te male perdat: intestatus vivito.

Quas tu mihi trîcas narras? ut fastidit gloriosus!

Per tua genua te obsecro.

Tu ut hodie adveniens, cœnam des sororiam *tuæ datur sorori nuper agnitæ.* ut adventoria, *quæ dabur amico advenienti, notoque.*

Quia

Quia ego te hodie faciam pilum catapultarium. Atque ita te nervo torquebo, ut itidem catapultæ solent.

Dilicatum te hodie faciam, cum catello ut accubes. *Catulus genus quoddam vinculi, qui interdum canis appellatur: melitai canes solent cum dominis cubare.*

vos ambo in robusto carcere pereatis. *id est, in robore. nam in arcas è robore factas servi includebantur pœna causa.*

FINIS CURCULIONIS.

M. AccI

M. Acci Plauti.

C A S I N A.

Argumentum

Camerarii.

*Hujus fabulæ argumentum ut est festivum atque bellum, ita etiam admodum turpe & obscœnum. * * *. Sed ab hac spurcitiâ avertamus oculos & mentes nostras & utilia atque bona, quasi magaritas de stercore, legamus è talib. scriptis. Introducitur quidam tidiculus amator senex, & illius sodalis quasi receptor flagitiosi vicini, &c.*

ELECTA PLAVTINA.

Ex

CASINA.

CAP. XIII.

PROLOGVS.

QVi utuntur vino vetere, sapientiores puto,
Et qui libenter veteres spectant fabulas.
Qui nunc abierunt hinc in communem locum. *communis locus est, unde negant redire quemquam. Plautus* absentes *quoque dicit pro defunctis.* Abire *quoque pro* Obire *sapius dixere,* & quidem pulchrius.
Benignè, ut operam detis ad nostrum Gregem.
Tranquillum est. Alcedonia sunt circum forum. *Hæ aves nidos faciunt in mari, mediâ hyeme, quib. dieb. tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri. Hinc* dies Halcyonii. *Latinè* Alcedines, *quasi* algedines. Gr. ἀλκυὼν, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, *quod in mari fœtus excludat.*
Ludus datus est argentariis. *metaph. à ludimagistris, qui Floralib. & aliis ejusmodi diebus pueros feriari sinunt. Tunc dicuntur dare ludum, h. e. copiam ludendi facere.* Sic ludum facere, *indulgere alicui, neque quotidianum pensum exigere, quod hoc loco indulgetur argentariis.* Scaliger.
Aures vacivæ si sint, animum advortite.
Ratione utuntur, Ludis poscunt neminem. *Spectaculorum enim tempore neque libellos dare, neque in jus vocare aliquem fas erat.* Ratione utuntur argentarii *h. e. temporis habent rationem ac sapiunt,* Douza.
Diphilus hanc Græcè scripsit, post id rursum
denuo

denuo Latinè Plautus cum LATRANTI NOMINE. *nomen nempe mulieris. proprium nempe mulierum est garrire ac latrare instar canum.* vide Boxh. PL.

In morbo cubat. Serviles nuptiæ. *Ex jure Civili servorum nuptiæ non sunt justæ.* neque *servorum mulieres dicuntur* uxores, *sed* conjunctæ. *Varro.*

Act. I.

Bellam & tenellam Casinam, conservam tuam.

Me suspendio, quàm tu ejus potior fias, satius est mortuum.

Mea præda est illa: proin' tu te in laqueum induas.

Ex sterquilinio effosse, tua illæc præda sit?

Primum omnium huic lucebis novæ nuptæ facem. *Quinque facib. utebantur in nuptiis: quod is numerus quasi symbolum quoddam sit nuptiarum. vide hunc locum apud* Plutarch. in Problem.

Octo dolia, quæ nisi erunt semper plena, ego te implebo flagris. ita te aggerrunda curvum aqua faciam probè, ut postilena possit ex te fieri. *Lorum crassum, sive lignum incurvum sub jumentorum caudâ ad sustinendum βάςαγμα, cui onus imponitur.*

Nunquam edepol jejunium jeunium est æquè, atqui ego ruri reddibo te.

Mea vita, mea medulla, mea festivitas,

Mi animule, mi Olympio, sine tuos ocellos deosculer, voluptas mea. sine, amabo, te amari, meus festus dies, meus pullus passer, mea columba, mi lepus.

Obsignate cellas, referte annulum ad me. *signatorium annulum intelligit. Moris autem Romanis, ut domi supellex penusque omnis eo signaretur, ne quid negligentia aut furto periret.*

Ita solent omnes, quæ sunt malè nuptæ,

Domi & foris ægrè quod sit, satis semper est.

Idem mihi eſt dividiæ. *h. e. mœrorem & triſtitiam mihi adfert.*

Act. II. *Sc.* I.

Acheruntis pabulum. *h. e. Orci victima.* ſtabulum nequitiæ: *h. e. in quo nequitia tanquam in ſtabulo habitat.*

Vir me habet peſſimis deſpicatam modis.

Nec mihi jam jus meum obtinendi optio eſt. *Optio*, ait Feſtus, *qui nunc dicitur, antea appellabatur* Accenſus. *Is adjutor dabatur Centurioni à Trib. militum.* Vegetius *quoque oſtendit eum, qui publica tractaret, Optionem dictum.* Optiones *inquit ab optando appellati quod antecedentibus ægritudine præpeditis, hi tanquam adoptati eorum atque vicarii eſſent.* Quemvis rei perficiendæ adjutorem ſignificat.

Sc. 2.

Viri jus ſuum ad mulieres obtinere haud queunt.

Nam peculii probam nil habere addecet clam virum.

Nil domi deliquum eſt. *h. e. nihil deeſt. à delinquendo, quod delinquat, ſive deficiat.*

Sc. 3.

Coquos equidem nimis demiror, qui tot utuntur condimentis,

Eos eo condimento non utier, omnibus quod præſtat.

Namque ubi amor condimentum inerit, cuivis placiturum credo.

Neque ſalſum, neque ſuave eſſe poteſt quicquam ubi amor non admiſcetur.

Fel quod amarum eſt, id mel faciet.

Eja mea Iuno, non decet te eſſe tam triſtem tuo Iovi.

Vnde hîc, amabo, unguenta adolent? *Olim enim elegantiores homines odoratis unguentis caput perfundere*

dere solebant. Martial. *Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat.*

Senectâ ætate unguentatus per vias incedit?

Dii me & te infelicitent, si eo in os meum hodie vini guttam indidi. Nimium tinnis.

Cui homini peculii nummus non est plumbeus.

Tu nam quid friguttis. quid isthuc tam cupidè cupis. *Friguttire, est gestu corporis cupiditatem animi declarare.*

Ego discrucior miser amore. Subolet hoc jam uxori.

Sc. 4.

Stultitia est ei te esse tristem, cujus potestas plus potest.

Satin' omnes res sunt advorsæ mihi.

Quasi venator tu quidem es, dies atque noctes cum cane ætatem exigis. *Canem dixit uxorem, quæ assiduè latrat ut canis.*

Sc. 5.

Nunc jam in fermento tota est, ita turget mihi.

Tua mihi odiosa est amatio.

Tu istos minutos cave deos offenderis.

Nugæ sunt istæ magnæ, quasi tu nescias

Repente ut emoriantur humani Ioves.

Necessum est vorsis gladiis depugnarier. *abjectis lusoriis sc. armis transibant ad vera.*

Non ego isthuc verbum emissem titivilitio. h. e. *filis putridis, quæ de telâ cadunt. sc. non emam re nihili.* Effutilia, *hæc Latini dicunt.*

Sc. 6.

Corculum adsudascit ex metu.

Hodie devotabit sortes, si attigerit. *h. e. sortes diris precationibus obligabit, seu devotas & execratas reddet.*

Tu quidem, hercle, canem & furcam feras. *canem*

nem ferre, hic est vinctum esse. Sic ante de catulo ferreo in diminutivo est dictum. Qui furcam ferebant, h. e. qui collo insertam furcam gestabant, vinculis etiam manus revinctas post tergum habebant.

At tu oculos emungare ex capite per nasum tuos.

Deos quæso, ut tua sors ex sitella effugerit. *situlam aquâ plenam habebant. Latini urnam dixerunt, quam cum aquâ sortitionib. adhibebant. sortes erant tesseræ, quas notabant literis singulis nomen ejus indicantibus, cujus sors erat, &c.*

Si hic literatus me sinat. *Cujus tergum velut literis concisum virgis.* Lamb.

Cor lienosum opinor habeo, jam dudum salit. Labore pectus tundit. *pro morboso corde accipe.*

Effodere hic credo vult, vesicam villico.

Apage te tandem amator à dorso meo.

Iam me pridem, cum ei advorsum veneram

Facere atriensem voluerat sub januâ. *h. e. mercedis loco si sibi morigeratus essem. sic Olympionem servum fecerat villicum, quod ipsi se morigerum præstitisset stuprum inferenti. Vrbano major merces esse non poterat, quam si atriensis factus.* Salmas.

Sc. 8.

At candidatus cedit hic mastigia. *ut sponsus incedit. loquitur de Olympione qui jam libertus. At liberti novi in togâ apparebant,* id est, *communi civium veste, quæ erat alba.* Lips.

Pol ego denique in rectam redii semitam.

Iam ego uno in saltu lepidè apros capiam duos.

Lepidè volo molliculas escas, ut ipsa mollicula est.

Emito sepiolas, lepadas, lolligiunculas hordeias. imo triticeias, sculponeas. *Sepiolas, senex cibos nominat Veneri conducentes, &c.* Lepadas, λεπάς, *concha marina, petris adhærens tenacissime.* Lolligiunculas, *Parvas lolligines hordearias, per pronunciationem.*

tionem rusticam. Soleas, *solea significat piscem & calceamenti genus.* Sculponeas, rudia & rustica calceorum *servilium genera. duo significat*, calceamenta & cæstus. *Calceo cadi non solum turpe, sed & molestum erat, quod ii & spurci, & clavis ferreis confixi essent.*

Vin' lingulacas? Quid opus est, quando uxor domi est. Ea lingulaca est nobis. nam nunquam tacet. *iterum ex ambiguo jocus, Lingulaca & piscis genus, vel mulier argutatrix.*

Act. III. Sc. 1.

Miseriorem ego ex amore, quàm te, vidi neminem.

Fac habeant linguam tuæ ædes.

Atat cædundus tu homo es: nimias delicias facis.

Sed tu cave inquisitioni mihi sis.

Operam uxoris polliceor foras, quasi catillat. *h. e. quasi ad catillandum.* Catillare *est, per alienas domos ligurire. tractum* à catulis. *Hinc* catillatores, *qui provincias amicas expoliabant lautis & magnificis epulis*, quib. *à provincialib. excipiebantur. Et* Catillamenta *inde.*

Sc. 2.

Ibo intro, ut navim rursum subducam in pulvinarium. *h. e. in locum suum. pulvinaria proprie sunt areæ hortorum. Hic de uxore Alcesimi intelligitur. Ibo intro, & uxorem, quæ instar navis parata atque ornata exspectat, donec deducatur ad vicinam, iterum subducam in pulvinarium*, h. e. *ut domi in pulvinari conquiescat, cum foris non vocetur.* Pareus.

Nescio, quid se sufflavit uxori meæ. *nunc in fermento tota est. intumuit, irata est.*

Non matronarum officium est, sed meretricium,

Viris alienis, mi vir, subblandirier. *Sc.* 3.

Sc. 5.

Nulla sum, nulla sum! tota, tota occidi! Cor metu mortuum est! membra misere tremunt!

Nescio unde auxilii, præsidii, perfugii, mihi, aut opum copiam comparem aut expetam.

Perii: unde meæ usurpant aures sonitum?

Face ventulum, amabo.

Hæc ex meraco se uspiam percussit flore Libyco. *Flos Libycus, vinum est Mareoticum.*

Cerebrum dispercutiam excetra tu. *h. e. tu vipera.*

Timor præpedit dicta linguæ.

Sciens de viâ in semitam digredere. *h. e. prudens de viâ latâ & rectâ in angustam digrederis ac impeditam.* Cic. qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam. *Latior igitur, via; angustior, semita.*

Neque viri vitam sinet in crastinum protolli.

Mortem offers mihi. Resp. at tu mœrorem.

Occisissimus sum omnium qui vivunt.

Sc. 6.

Facito cœnam mihi, ut ebria sit. cœnare lepidè nitideque volo. nihil moror barbarico ritu sanè esse jam. *hoc est, qua cœna madeat & percocta sit probè.*

Act. IV. Sc. 1.

Nemea credo, neque ego Olympiæ.

Neque usquam ludos tam festivos fieri

Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles.

Senem excœnem ex ædibus extrudunt, ut ipsæ solæ ventres suos distendant.

Novi ego illas ambas estrices, corvitant ubi comesse possunt. *scribendum, corvitam sibi comesse possunt.* corvita, *vel* corbita, *est navis oneraria, sive frumentaria.* Salmas.

Sc. 3.

Suavi cantu concelebra omnem hanc Plateam hymenæo.

hymenæo. Iö hymen hymenæe! Iô hymen.

Sc. 4.

Vt potior pollentiâ sis, vincasque virum, victrixque sias. *hoc est, ut plurimum possis apud virum.*

Qui amat tantum hercle, si esurit, nullus esurit.

Mihi inanitate jam dudum intestina murmurant.

Meum corculum, melliculum, verculum.

Venus multipotens, bonam vitam mihi dedisti.

Mea uxorcula, corpusculum melliculum.

Institit plantam. *h. e. pedem mihi pede pressit.*

Nebula haud est mollis, atque cutis hujus est.

Edepol papillam bellulam! Obsecro; ut valentula est? pene exposivit cubito. Bella bellatula. *cubito exponere, pro cubito dejicere, prosternere. metaph. desumpta à mercib. quæ navib. exponuntur.*

Act. V. Sc. 1.

Fallacia hæc ut est fabrè facta à nobis!

Quæro deinde illecebram stupri.

Vbi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinat ire.

Sc. 2.

Iam quasi sentis labra mihi compungit barba. *setas habet*, Pareus. *intellige densum capillorum horrorem. Hinc Barba setosa.*

Sc. 3.

Maximo ego ardeo flagitio, nec quid agam meis rebus scio.

Omnia palam sunt probra, omnibus modis occidi miser.

Expalliatus sum miserè. *h. e. pallio spoliatus.*

Ea hanc invenit rimam. *h. e. rationem, qua nostra consilia turbaret. Videtur metaphora à* muribus *desumpta*, qui *interdum pene capti per tenues rimas elabuntur.*

Sc. 4.

Caninam scævam spero meliorem fore. *Canis occursum minus auspicatum mihi fore spero, quam uxoris.* Canina scæva est, *cum canis latrat aut ringitur. vult enim dicere, minus gravem sibi esse canis occursum & latratum, quàm uxoris jurgia & rixas.*

Lepidiorem uxorem nemo quisquam, quam ego habeo, hac habet.

Insignite facta est magna injuria.

FINIS CASINÆ.

M. ACCI

M. Acci Plauti
CISTELLARIA.

Argumentum
Camerari.

Nomen habet fabula à Cistella, quam amittit in hac ancilla, & reperit mulier, mater ejus puellæ, cujus in illâ crepundia erant. Ita agnoscitur amica adolescentis, & illi nubit. Argumentum est simplex & admodum tenue. Insertus est motus insani amoris.

Janus Douza.

Cistellariam Plauti, cum lego, mirari non leviter subit, unde illi in argumento jejuno adeo ac sterili tanta leporum ac facetiarum suppetierit comitas.

ELECTA PLAUTINA.

Ex

CISTELLARIA.

CAP. XV.

Act. I. *Sc.* I

MEa Gymnasium, qui magis potueris honorem ire habitum, nescio.

Eo à me magnam iniisti gratiam.

Ita in prandio nos lepidè atque nitidè accepisti apud te, ut semper meminerimus. *Accipere est, invitare facillimè atque ampliter.* ἑστιᾶν γαμικῶς.

Secundo vento vectus est, tranquillo mari.

Ita hodie hic acceptæ sumus suavibus modis.

Raro nimium dabat, quod biberem atque id merum infuscabat. *Offucare* Festus *explicat aquam in fauces ad sorbendum dare: Et hinc putant* infucare *esse, vinum aquâ diluere, cum etiam aquâ ejus color infucetur: atque*, id merum infucabat, *quam* infuscabat *apud Plautum malunt. At ego infuscare verius putem: quod cum generosi vini nigrior sit color, dilutior mixtâ aquâ, fusciorque reddatur.* Turneb.

Eas si adeas, abitum, quam aditum malis. Ita nostro ordini palam blandiuntur.

Aquam frigidam subdolè suffundunt. *Ardere Latinis est amare. Igitur* aquam frigidam suffundere *nihil hic est aliud, quam amantibus, eas accusando, qua amantur, injicere frigus & sufflamen.* Boxh.

Hæc quidem ecastor quotidie viro nubit, nupsitque hodie, nubet mox noctu. *lepidè & suaviter rem turpem tetigit; qui nuptiarum quotidianarum nomine meretriciam vitam vocavit.*

Quid

Quid te obsecro tam abhorret hilaritudo? ut petivit suspirium altè! noli herclè lacrymis tuis mihi exercitum imperare. *h. e. noli, quaso, lacrymis tuis, velut consulari jußione, inlicium vocare, quasi ad comitia citare lacrymas meas, id est, me ad flendum & lacrymas non stillicidio, sed ingenti rivo tibi commodandas cogere.* Sive hoc modo: *Non putem te lacrymis tuis id velle, ut mihi immittatur totus exercitus scortatorum & adulterorum. Desumpta metaph. à re militari.*

Nam hæc si non nubat, lugubri fame familia pereat,

Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.

Tuam stultitiam sola facito ut scias sine aliis arbitris.

Vnde tibi est cordolium? *quod doleret, ita ut sit epitheton fictum,* Dolius, a, um.

Facito, ut facias stultitiam sepelibilem. *h. e. ut animus ita salutaribus monitis fiat obfirmatus, ut stultitiam occultare poßis.* Pareus.

Illam in latebras abscondas pectore penitissimo.

Amor melle & felle est fœcundissimus.

Gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit. *Catullus à Venere dulcem amaritiem misceri ait. Musæus Grammaticus stimulum amoris γλυκύπικρον* vocavit.

Perfidiosus est amor. Si ergo in me peculatum facit. *Sentit, se tanquam pecuniam publicam amori commißam, jam ab eo diripi. Quasi dicat: amor in me perfidiosos magistratus imitatur, qui pecuniam sibi commißam depeculantur.* Lamb. *vide hoc loco plura in PL. Boxh.*

Spissum istud amanti est verbum, Veniet, nisi venit. *h. e. longum & tardum, Parco teste.*

Qui huic morbo facere medicinam potest.

Meretrix fortunati oppidi est simillima,

Non

Non poteſt ſuam rem obtinere ſola ſine multis viris.

Neque pudicitiam meam mihi alius quiſquam imminuit.

Quo is homo inſinuavit pacto ſe ad te? Per Dionyſia. Conſpicillo cenſecutus eſt clanculum me uſque ad fores. *è loco, unde me ſemper conſpicere poſſet.*

Inde in amicitiam inſinuavit cum matre & mecum ſimul, blanditiis, muneribus, donis.

Aſſimulare amare oportet, nam ſi ames extemplo, melius illi multo, quem ames, conſulas, quàm rei tuæ. *Amore tune idem, quod amor. ſic Perſius:* noſtrum illud vivere triſte.

Nihil amori injurium eſt. *Ludus eſt amantibus, fallere & ineſcare.* injurium, *id eſt, perjurium.*

Sc. 2.

Immundas fortunas æquum eſt ſqualorem ſequi.

Idem mihi, magnæ quod parti eſt vitium mulierum,

Quæ hunc quæſtum facimus: quæ ubi ſaburratæ ſumus,

Largiloquæ extemplo ſumus. plus loquimur, quam ſat eſt. *Saburra,* onus *navis eſt,* *πλήρωμα τῆς νεώς. itaque qui nimiùs ſe ingurgitant cibo, ita dicti ab eo. quare & ſatura mulieres hoc loco dicuntur ſaburratæ. Scalig.*

Adeo me compleri flore Liberi, magiſque libera linguâ uti conlibitum eſt mihi.

In amore miſerè hanc deperit mulierculam.

Sc. 3.

Multiloqua & multibiba eſt anus.

Vinolentus, violentus, multâ nocte in viâ.

Is ubi malam rem ſcit ſe meruiſſe, ilicò

Pedibus perfugium peperit. *h. eſt, pedum viam invenit. perfugium hìc idem, quod effugium.*

Ea

Ea diem suum obiit: facta morigera est viro. *quoniam vir mortem ejus optabat.*

Quod reliquum restat, volo persolvere: ut expungatur nomen, ne quid debeam. *Expungitur enim nomen debitoris, cum omnis pecunia persoluta est.*

Conceptis verbis apud matrem meam juravit. *Formula juramenti praeconceptis verbis repetebatur. singillatim ab iis, qui praestarent juramentum: quotquot etiam essent. Vide integram jurandi formulam* Rud. 5.2. v.51.

CAP. XXIV.

UT sunt humana! nihil est perpetuum datum.

Act. II. Sc. 1.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum.

Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,

Qui omnes homines supero atque anteeo cruciabilitatibus animi.

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rotâ miser.

Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem

Animi habeo: ubi sum, ibi non sum. ubi non sum, ibi est animus.

Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,

Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit.

Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.

Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amantem

Animum. Est ne hoc miserum memoratu? &c. *Maritimis moribus. pulchra comparatio, à more maris de-*

nem ferre, hic est vinctum esse. Sic ante de catulo ferreo in diminutivo est dictum. Qui furcam ferebant, h. e. qui collo insertam furcam gestabant, vinculis etiam manus revinctas post tergum habebant.

At. tu oculos emungare ex capite per nasum tuos.

Deos quæso, ut tua sors ex sitella effugerit. *situlam aquâ plenam habebant. Latini urnam dixerunt, quam cum aquâ sortitionib. adhibebant. sortes erant tesseræ, quas notabant literis singulis nomen ejus indicantibus, cujus sors erat, &c.*

Si hic literatus me sinat. *Cujus tergum velut literis concisum virgis.* Lamb.

Cor lienosum opinor habeo, jam dudum salit.
Labore pectus tundit, *pro morboso corde accipe.*
Effodere hic credo vult, vesicam villico.
Apage te tandem amator à dorso meo.
Jam me pridem, cum ei advorsum veneram
Facere atriensem voluerat sub januâ. *h. e. mercedis loco si sibi morigeratus essem. sic Olympionem servum fecerat villicum, quod ipsi se morigerum præstitisset stuprum inferenti. Vrbano major merces esse non poterat, quam si atriensis factus.* Salmas.

Sc. 8.

At candidatus cedit hic mastigia. *ut sponsus incedit. loquitur de Olympione qui jam libertus. At liberti novi in togâ apparebant,* id est, *communi civium veste, quæ erat alba.* Lips.

Pol ego denique in rectam redii semitam.
Iam ego uno in saltu lepidè apros capiam duos.
Lepidè volo molliculas escas, ut ipsa mollicula est.

Emito sepiolas, lepadas, lolligiunculas hordejas, imo triticejas, sculponeas. *Sepiolas, senex cibos nominat Veneri conducentes, &c.* Lepadas, λεπάς, *concha marina, petris adhærens tenacissime.* Lolligiunculas, *Parvas lolligines hordearias, per pronunciationem.*

tionem rusticam. Soleas, *solea significat piscem & calceamenti genus.* Sculponeas, rudia & rustica calceorum *servilium genera. duo significat*, calceamenta & cæstus. *Calceo cadi non solum turpe, sed & molestum erat, quod ii & spurci, & clavis ferreis confixi essent.*

Vin' lingulacas? Quid opus est, quando uxor domi est. Ea lingulaca est nobis. nam nunquam tacet. *iterum ex ambiguo jocus, Lingulaca & piscis genus, vel mulier argutatrix.*

Act. III. Sc. I.

Miseriorem ego ex amore, quàm te, vidi neminem.

Fac habeant linguam tuæ ædes.

Atat cædundus tu homo es: nimias delicias facis.

Sed tu cave inquisitioni mihi sis.

Operam uxoris polliceor foras, quasi catillo. *h. e. quasi ad catillandum.* Catillare *est*, *per alienas domos ligurire. tractum* à catulis. *Hinc* catillatores, *qui provincias amicas expoliabant lautis & magnificis epulis*, quib. *à provincialib. excipiebantur. Et* Catillamenta *inde.*

Sc. 2.

Ibo intro, ut navim rursum subducam in pulvinarium. *h. e. in locum suum. pulvinaria proprie sunt area hortorum. Hic de uxore Alcesimi intelligitur. Ibo intro, & uxorem, qua instar navis parata atque ornata exspectat, donec deducatur ad vicinam, iterum subducam in pulvinarium*, h. e. *ut domi in pulvinari conquiescat, cum foris non vocetur.* Pareus.

Nescio, quid se sufflavit uxori meæ. *nunc in fermento tota est. intumuit, irata est.*

Non matronarum officium est, sed meretricium,

Viris alienis, mi vir, subblandirier. *Sc.* 3.

Sc. 5.

Nulla sum, nulla sum! tota, tota occidi! Cor metu mortuum est! membra misere tremunt!
Nescio unde auxilii, præsidii, perfugii, mihi, aut opum copiam comparem aut expetam.
Perii: unde meæ usurpant aures sonitum?
Face ventulum, amabo.
Hæc ex meraco se uspiam percussit flore Libyco.
Flos Libycus, vinum est Mareoticum.
Cerebrum dispercutiam excetra tu. *h. e. tu vipera.*
Timor præpedit dicta linguæ.
Sciens de viâ in semitam digredere. *h. e. prudens de viâ latâ & rectâ in angustam digrederis ac impeditam.* Cic. qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam. *Latior igitur, via; angustior, semita.*
Neque viri vitam sinet in crastinum protolli.
Moram offers mihi. Resp. at tu mœrorem.
Occisissimus sum omnium qui vivunt.

Sc. 6.

Facito cænam mihi, ut ebria sit. cænare lepidè nitideque volo. nihil moror barbarico ritu sanè esse jam. *hoc est, quæ cœna madeat & percocta sit probè.*

Act. IV. Sc. 1.

Nemea credo, neque ego Olympiæ.
Neque usquam ludos tam festivos fieri
Quam hic intus fiunt ludi ludificabiles.
Senem excœnem ex ædibus extrudunt, ut ipsæ solæ ventres suos distendant.
Novi ego illas ambas estrices, corvitant ubi comesse possunt. *scribendum, corvitam sibi comesse possunt.* corvita, *vel* corbita, *est navis oneraria, sive frumentaria.* Salmas.

Sc. 3.

Suavi cantu concelebra omnem hanc Plateam hymenæo.

hymenæo. Iô hymen hymenæe! Iô hymen.

Sc. 4.

Ut potior pollentiâ sis, vincasque virum, victrixque sias. *hoc est, ut plurimum possis apud virum.*

Qui amat tantum hercle, si esurit, nullus esurit.

Mihi inanitate jam dudum intestina murmurant.

Meum corculum, melliculum, verculum.

Venus multipotens, bonam vitam mihi dedisti.

Mea uxorcula, corpusculum melliculum.

Institit plantam. *h. e. pedem mihi pede pressit.*

Nebula haud est mollis, atque cutis hujus est.

Edepol papillam bellulam! Obsecro; ut valentula est? pene exposivit cubito. Bella bellatula. *cubito exponere, pro cubito dejicere, prosternere. metaph. desumpta à mercib. quæ navib. exponuntur.*

Act. V. Sc. I.

Fallacia hæc ut est fabrè facta à nobis!

Quæro deinde illecebram stupri.

Ubi illum saltum video obseptum, rogo ut altero sinat ire.

Sc. 2.

Iam quasi sentis labra mihi compungit barba. *setas habet*, Pareus. *intellige densum capillorum horrorem. Hinc Barba setosa.*

Sc. 3.

Maximo ego ardeo flagitio, nec quid agam meis rebus scio.

Omnia palam sunt probra, omnibus modis occidi miser.

Expalliatus sum miserè. *h. e. pallio spoliatus.*

Ea hanc invenit rimam. *h. e. rationem, qua nostra consilia turbaret. Videtur metaphora à* muribus *desumpta*, qui *interdum pene capti per tenues rimas elabuntur.*

 Sc. 4. *Cani-*

Sc. 4.

Caninam ſcævam ſpero meliorem fore. *Canis occurſum minus auſpicatum mihi fore ſpero, quam uxoris.* Canina ſcæva eſt, *cum canis latrat aut ringitur. vult enim dicere, minus gravem ſibi eſſe canis occurſum & latratum, quàm uxoris jurgia & rixas.*

Lepidiorem uxorem nemo quiſquam, quam ego habeo, hac habet.

Inſignite facta eſt magna injuria.

FINIS CASINÆ.

M. ACCI

M. ACCI PLAUTI
CISTELLARIA.

Argumentum
CAMERARI.

Nomen habet fabula à Cistella, quam amittit in hac ancilla, & reperit mulier, mater ejus puella; cujus in illâ crepundia erant. Ita agnoscitur amica adolescentis, & illi nubit. Argumentum est simplex & admodum tenue. Insertus est motus insani amoris.

JANUS DOUZA.

Cistellariam Plauti, cum lego, mirari non leviter subit, unde illi in argumento jejuno adeo ac sterili tanta leporum ac facetiarum suppetierit comitas.

ELECTA PLAUTINA.

Ex

CISTELLARIA.

CAP. XV.

Act. I. *Sc.* I

MEA Gymnasium, qui magis potueris honorem ire habitum, nescio.

Eo à me magnam iniisti gratiam.

Ita in prandio nos lepidè atque nitidè accepisti apud te, ut semper meminerimus. *Accipere est, invitare facillimè atque ampliter,* ἑστιᾶν γαμικῶς.

Secundo vento vectus est, tranquillo mari.

Ita hodie hic acceptæ sumus suavibus modis.

Rarò nimium dabat, quod biberem atque id merum infuscabat. *Offucare* Festus *explicat aquam in fauces ad sorbendum dare: Et hinc putant* infucare *esse, vinum aquâ diluere, cum etiam aquâ ejus color infucetur: atque,* id merum infucabat, *quam* infuscabat *apud Plautum malunt. At ego infuscare verius putem: quod cum generosi vini nigrior sit color, dilutior mixtâ aquâ, fusciorque reddatur.* Turneb.

Eas si adeas, abitum, quam aditum malis. Ita nostro ordini palam blandiuntur.

Aquam frigidam subdolè suffundunt. *Ardere Latinis est amare. Igitur* aquam frigidam suffundere *nihil hîc est aliud, quam amantibus, eas accusando, quæ amantur, injicere frigus & sufflamen.* Boxh.

Hæc quidem ecastor quotidie viro nubit, nupsitque hodie, nubet mox noctu. *lepidè & suaviter rem turpem tetigit; qui nuptiarum quotidianarum nomine meretriciam vitam vocavit.*

Quid

Quid te obfecro tam abhorret hilaritudo? ut petivit fufpirium altè! noli herclè lacrymis tuis mihi exercitum imperare. *h. e. noli, quaſo, lacrymis tuis, velut conſulari juſsione, inlicium vocare, quaſi ad comitia citare lacrymas meas, id eſt, me ad flendum & lacrymas non ſtillicidio, ſed ingenti rivo tibi commodandas cogere.* Sive hoc modo: *Non putem te lacrymis tuis id velle, ut mihi immittatur totus exercitus ſcortatorum & adulterorum. Deſumpta metaph. à re militari.*

Nam hæc fi non nubat, lugubri fame familia pereat,

Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine.

Tuam ftultitiam fola facito ut fcias fine aliis arbitris.

Vnde tibi eft cordolium? *quod doleret, ita ut ſit epitheton fictum*, Dolius, a, um.

Facito, ut facias ftultitiam fepelibilem. *h. e. ut animus ita ſalutaribus monitis fiat obfirmatus, ut ſtultitiam occultare poſsis.* Pareus.

Illam in latebras abfcondas pectore penitiffimo.

Amor melle & felle eft fœcundiffimus.

Guftu dat dulce, amarum ad fatietatem ufque oggerit. *Catullus à Venere dulcem amaritiem miſceri ait. Muſæus Grammaticus ſtimulum amoris γλυκύπικρον* vocavit.

Perfidiofus eft amor. Si ergo in me peculatum facit. *Sentit, ſe tanquam pecuniam publicam amori commiſsam, jam ab eo diripi. Quaſi dicat: amor in me perfidioſos magiſtratus imitatur, qui pecuniam ſibi commiſsam depeculantur.* Lamb. *vide hoc loco plura in PL. Boxh.*

Spiffum iftud amanti eft verbum, Veniet, nifi venit. *h. e. longum & tardum, Pareo teſte.*

Qui huic morbo facere medicinam poteft.

Meretrix fortunati oppidi eft fimillima,

Non

Non potest suam rem obtinere sola sine multis viris.

Neque pudicitiam meam mihi alius quisquam imminuit.

Quo is homo insinuavit pacto se ad te? Per Dionysia. Conspicillo consecutus est clanculum me usque ad fores. *è loco, unde me semper conspicere posset.*

Inde in amicitiam insinuavit cum matre & mecum simul, blanditiis, muneribus, donis.

Assimulare amare oportet, nam si ames extemplo, melius illi multo, quem ames, consulas, quam rei tuæ. *Amore tunc idem, quod amor. sic Persius:* nostrum illud vivere triste.

Nihil amori injurium est. *Ludus est amantibus, fallere & inescare.* injurium, *id est, perjurium.*

Sc. 2.

Immundas fortunas æquum est squalorem sequi.

Idem mihi, magnæ quod parti est vitium mulierum,

Quæ hunc quæstum facimus: quæ ubi saburratæ sumus,

Largiloquæ extemplo sumus. plus loquimur, quam sat est. *Saburra,* onus *navis est,* πλήρωμα τῆς νεώς. *itaque qui nimis se ingurgitant cibo, ita dicti ab eo. quare & satura mulieres hoc loco dicuntur saburratæ. Scalig.*

Adeo me compleri flore Liberi, magisque libera linguâ uti conlibitum est mihi.

In amore miserè hanc deperit mulierculam.

Sc. 3.

Multiloqua & multibiba est anus.

Vinolentus, violentus, multâ nocte in viâ.

Is ubi malam rem scit se meruisse, ilicò

Pedibus perfugium peperit. *h. est, pedum viam invenit. perfugium hìc idem, quod effugium.*

Ea

Ea diem suum obiit: facta morigera est viro. *quoniam vir mortem ejus optabat.*

Quod reliquum restat, volo persolvere: ut expungatur nomen, ne quid debeam. *Expungitur enim nomen debitoris, cum omnis pecunia persoluta est.*

Conceptis verbis apud matrem meam juravit. *Formula juramenti praeconceptis verbis repetebatur. singillatim ab iis, qui praestarent juramentum: quotquot etiam essent. Vide integram jurandi formulam* Rud. 5. 2. v. 51.

CAP. XXIV.

UT sunt humana! nihil est perpetuum datum.

Act. II. Sc. 1.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam commentum.

Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quaeram,

Qui omnes homines supero atque anteeo cruciabilitatibus animi.

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rotâ miser.

Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior: ita nubilam mentem

Animi habeo: ubi sum, ibi non sum. ubi non sum, ibi est animus.

Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit,

Raptat, retinet, lactat, largitur: quod dat, non dat: deludit.

Modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat.

Maritimis moribus mecum experitur: ita meum frangit amantem

Animum. Est ne hoc miserum memoratu? &c. *Maritimis moribus. pulchra comparatio, à more maris de-*

desumpta. mos hîc idem est, quod ingenium matris. Sensus *: ut qui mari jactatur subinde sustollitur, & servari videtur, nec servatur. subinde mergitur, & perire videtur, nec perit, & sic tamen perit. ita, dum continuò deludor, nulla mihi perdito pernicies abest, nisi quia non possum perire.* Boxh.

Neque opes nostræ tam validæ sunt, quàm tuæ: verum tamen haud metuo, ne jusjurandum nostrum quisquam culpitet. Virg. *Non si miserum fortuna Sinonem, &c.*

Confregisti tesseram. Tibi isthic in corde certum est.

Isthæc tua dicta nunc in aures recipio. *Agitur hîc de fide non servatâ. multæ tesseræ fuerunt. Hospitalis, Militaris, frumentaria, nummaria, collybistica. sic & tesseram veteres habebant, quæ symbolum fidei. Tesseram hospitalem violare dicitur, qui hospitii jus violat.*

Ita me dii deæque, superi atque inferi, & medioxumi,

Itaque me Iuno regina & Iovis supremi filia,

Itaque me Saturnus Patruus ejus. *Festus: Medioxumum, id est, mediocre.* Nonius: *Medioxumum, id est, Medio actum modo.* Scaliger *notat, antiquitus,* mediotumum *dictum*, à medio; *ut à quoto quotumum.* sic apud Plaut. *quotumæ sunt ædes? Hîc conspicuè errans inducitur adolescens. Iuno e. & soror & Conjux Iovis est, non filia:* Sic *Saturnus est pater Iovis & Iunonis, non* Patruus. *Ita Ops, quæ & Rhea & terra,* est *Saturni uxor.* Lambinus.

Dii me omnes magni, minutique & patellarii

Faxint, ne ego dem vivus hodie suavium Silenio. *Dii, quib. in patellis epulæ apponebantur, & qui patellis colebantur: non pateris ut Lares & Penates. Vel ita dicti à piscibus minutis, qui in patellis apponebantur, non in pateris: quemadmodum cibi tenuiores & viliores, ut olusculæ è terrâ nata & similia.*

Ita tota sum misera in metu. Quot admœnivi

illic-

illic fabricas! *h. e. ad mœnia admovi. Metaph. ab obsidione urbis ducta.*

Sc. 3.

Horret corpus. cor salit. Tu locere in luculentam familiam. Iam perducebam illam ad me Suadelâ meâ. Obsipat aqulam. *h. e. recreat me: ut fit iis, qui animo defecti aqua adspersa recreantur. Festus interpretatur*, sipat, jacit. *& inde esse ait*, dissipat, disjicit. *ita hîc*, obsipat, *est adspergit.*

Suam despondit in divitias maximas.

Act. III.

O salute meâ Salus salubrior!

Occludite ædes pessulis, repagulis

Si possum tranquillum facere ex irato mihi.

Act. IV. *Sc.* I.

Scelestiorem in terrâ nullam esse alteram.

Quasi deditâ operâ in tempore ipso Spes mihi sancta subvenit.

Sc. 2.

Nisi quid mihi Opis Dii dant, Desperii, neque unde auxilium expetam habeo.

Hic meis turbo oculis modo se objecit.

Bona fæmina, & malus masculus volunt te.

Imitatur nequam bestiam, & damnificam.

Mi homo & mea mulier, vos saluto *Disertè distinguit inter* hominem & mulierem. *sed* Homo κατ' ἐξοχὴν, *pro viro ponitur.* Licet ICti *quoque in expressis legib. Hominem non aliter quàm pro viro accipiant.*

Aequum est tenere, per fidem quod creditum est.

Act. V.

Nihil moror alienâ operâ mihi fieri plures liberos.

FINIS CISTELLARIÆ.

M. ACCI

M. Acci Plauti
EPIDICUS.

Argumentum.

Emit fidicinam, filiam credens, ſenex
Perſuaſu ſervi, aliam qui Conductitiam
Iterum pro amica ei ſubjecit. Filio
Dat herili argentum. eo ſororem deſtinat
Imprudens juvenis. mox compreſſa, ac militis
Cognoſcit opera ſibi ſenex os ſublitum.
Vt ille amicam, hæc quæritabat filiam.
Sed inventa gnata ſervulum emittit manu.

Plaut. Bacch. 2. 2. Verſu 36.

Epidicum fabulam ego æque ac me ipſum amo.

Camerarius.

Fabula eſt eleganter compoſita in magna varietate. inventione arguta, ſermone terſo & facetiis affluens. omnique arte ſcenica perpolita.

ELEC-

ELECTA PLAVTINA

Ex

E P I D I C O.

C A P. XVI.

Act. I. *Sc.* I.

C *Orpulentior* videre ac habitior. Minus jam furtificus sum, quam ante hac.

Dii immortales infelicitent, ut tu es gradibus grandibus.

Scurra es. *Scurra & urbani iidem sunt; quare & dicteriis sibi victum aucupantur. Scenatici enim homines dicteria funditabant ad risum spectatoribus tollendum. Iuvenal.* - - - - Mimum agit ille,

Vrbani qualem facundus scurra Catulli.

Scurram *deduco* ἀπὸ τοῦ συγκυρεῖν : quasi *Secura aut Sucura à sequendo, quod divites sequantur.* Scurræ quoque *κοπρείαι dicti. κόπρειος ἀνὴρ, Homo stercorarius.*

Pugilicè atque athleticè valeo. *h. e. firmiter ac robustè, pancraticè. unde &* athletica valetudo & habitudo. *Et Celsus* athleticum victum *dixit, pro robusto & ad vires firmandas accommodo.*

Voluptabilem mihi nuncium tuo adventu attulisti.

Nisi in vidulo, aut melina attulisti. *Vidulus* est *bulga, vel marsupium è corio, in quod peregrinantes res suas condebant.* Melina *pellis ovilla. Vel à colore; vel à Melo insula sic dicta. & ab illo omne scorteum vocabant* Melinum. *Igitur Plauto* Melina *est scortea mantica, vel coactitia è corio.*

Iam tu autem nobis præturam geris?

Quem

Quem me dices digniorem esse hominem hodie Athenis alterum?

Dii immortales, ut ego interii basilicè!

Plus scire satius est, quàm loqui servum hominem. ea sapientia est.

Detegetur corium de tergo meo.

Mulciber, credo, arma fecit, quæ habuit Strattippocles.

Transvolarunt ad hostes. *anima adscribitur furiosis istis armis.* vide Pareum, Boxh. Taubm. hoc loco.

Vtcunque in alto ventus est, Exin velum vortitur.

Quid isthuc ad me attinet, quo tu intereas modo.

Tantæ in te impendent ruinæ: nisi suffulcis firmiter.

Itaque in te irruunt montes mali. Neque ego nunc quomodo me expeditum ex impedito faciam, consilium placet. Corium perdidi.

Virgis dorsum despoliet meum.

Mene tu rogas? Tu quidem antehac aliis solebas dare consilia mutua.

Sc. 2.

Atque admodum meorum mærorum atque amorum summam edictavi tibi.

At pudicitiæ ejus nunquam vim, nec vitium attuli.

Iam isthoc probior es, meo quidem animo, cum in amore temperes.

Nihil agit, qui diffidentem verbis solatur suis.

Is est amicus, qui in re dubia, re juvat, ubi re est opus.

Nam quid te igitur retulit beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuum est?

Malim istiusmodi mihi amicos furno mersos, quam foro. *Mersi foro sunt*, alieno ære obruti. *In foro*

foro enim olim danista & fœneratores. Sensus est: *Malo mihi amicos nullos, quam mersos foro.* Furno *ergo* mersi, *sunt amici in furno exstincti, id est, nulli.*

Sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim.

Quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo. *Pistor hic pro pistrino ponitur.* Irrigatus, *h. e. multo verberationis sanguine perfusus.*

Sine meo sumptu paratæ jam sunt scapulis symbolæ. *Symbola erant collecta, seu pecunia, quæ ab iis, qui communi sumptu erant una cœnaturi,* conjectabantur, *ut ait Agellius. hoc enim verbum native exprimit τὸ συμβάλλειν.*

Quod tute ad me literas missiculabas. *à missum, missiculo,* ut à fissum, *fissiculo*: à fisso extortum. *unde fissiculare exta.* SALMAS.

Quia meo neque cara est cordi, neque placet.

Nunc jam alia cura impendet pectori.

Hercle miserum est, ingratum esse hominem, id quod facias bene. Desipiebam mentis.

Huic homini opus est quadraginta minis celeriter calidis. *h. e. promptissimâ pecuniâ.*

Mene piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam? ut meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum? *Piaculares victimæ aliena mala excipiebant & in pœnam succedebant.* Succidaneus alieni periculi *dicitur, in quem incommodum periculi alieni redundat.* Stultitiæ tuæ *hic dixit, prō tergo tuo.*

Tu te in pistrinum recta inferas. *Piso veteres dicebant, non* pinso: *unde* pisare, *calcare. Hinc* pistores, *qui in pistrino, ante inventum molarum usum, farinam in pila, h. e. vase concavo pinserent & contunderent. Plautus fuit pistor, cum trusatiles molas versando operam locasset.* Pistrinum *pro loco sumitur summæ fatigationis.*

Ite intro, ego de re argentaria jam senatum convocabo in corde consiliarium.

Non

Non enim nunc tibi dormitandum, neque cunctandi copia est.

CAP. XXVI. *Act. II. Sc. I.*

P*Lerique* homines, quos cum nihil refert, pudet; ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor, cum usus est, ut pudeat.

Cujus quoties sepulchrum vides, sacrificas ilico Orco hostiis.

Hercules ego fui, dum illa mecum fuit! neque sexta ærumna Herculi, quam mihi illa est objecta. *Sexta ærumna Herculis fuit, quod Hippolyten Amazonum reginam baltheo spoliavit. Alii sextum laborem putant fuisse; cum de Stymphalidibus triumpharet.*

Pulchra edepol dos pecunia est. quæ quidem pol non maritata est. *Si penes virum dos est, uxore mortua, quæ illam attulit: Dotatæ mactant & malo & damno viros.*

Sc. 2.

Liquido exeo foras auspicio, avi sinistra: acutum cultrum habeo, senis qui exenterem marsupium. *Crediderunt augures, quod homine in meridiem spectante, ad sinistram ejus partes mundi exorientes sint; ad dextram occid. Hinc* sinistra avi, *fausta dici.* Sinistræ aves, *quæ portendunt felicitatem. Festus & Servius putant auspicium sinistrum dici* à sinendo, *quod nos aliquid agere sinat. Plinius quoque* læva fulmina, *h. e. sinistra refert meliora.* Intonuit lævum, *sinistrum sc. h. e. prosperum.* Exentero *significat eximo, eruo. quasi de pisce loqueretur.* ἔντερα *intestina sunt. sic pecunia nervi & intestina marsupii.*

Iam ego me convertam in hirudinem, atque eorum ego exsorbebo sanguinem. *Poëta: non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.*

Ego audivi illum in amore hærere, nescio, apud quam.

Animo male est. recipiam anhelitum.

Quia

Quia ego ire vidi milites plenis viis.

Hæ ſub veſtimentis ſecum habebant retia. *Quibus amatores ſuos irretient.*

per omnem urbem quem ſum defeſſus quærere;

Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio atque in foro,

Per myropolia, & lanienas, circumque argentarias.

Rogitando ſum raucus factus, pene in curſu concidi. *Argentariis*, id eſt, τραπεζιτῶν ἐργαστηρίοις, *nam plurimum homines honeſtiores & otioſi ſolebant verſari hic, ut de reb. variis ibi ſermocinando tempus fallerent.* Salmaſ.

Quid erat induta? an regillam, induculam, an mendiculam? utine impluvium induta erat?

Quaſi non fundis exornatæ multæ incedant per vias.

Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſicium

Induſiatam, patagiatam, caltulam, aut crocotulam,

Supparum, aut ſubminiam, ricam, baſilicum, aut exoticum.

Cumatile, aut plumatile, cerinum aut melinum. gerræ maximæ.

Regilla hoc eſt, regia veſti opponitur mendicula, *quaſi mendicis conveniens.* Impluviatam *Nonius interpretatur quaſi fumato ſtillicidio implutam, qui color mutinenſis & fuligineus dicitur.* Impluvium, *hoc eſt, impluvii pretio indutam & exornatam.* Quaſi non fundis. *Impluvio opponit fundos. Pleraque pars meretricum* totis *etiam* fundis, *hoc eſt, fundorum pretio culta atque ornata incedebant, quib. amatores ineſcarent.* Ovid. *Quis furor eſt cenſus corpore ferre tuos?* Tunica ralla, *à raritate texturæ ſic dicta: cui opponitur* ſpiſſa. Linteolum cæſicium *h. e. purum & candidum*, quod *cadendo ad candorem pervenerit.* Induſiatam,

siatam, *ab indusio, quod intus erat, à quo intusium. Quod foris & palam gestabatur*, Palla *dicta*. Patagiatam: *Patagium aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet.* Clavus *erat plagula, quæ ab humeris in pectus demittebatur. ea clavis quibusdam consita erat. in Senatorib. latioribus. in Equitibus, angustioribus. propterea tota plagula ipsa vocabatur* clavus. *Patagium erat honestis matronis, quod clavus viris.* Patagium *dictum, quod quibusdam quasi maculis inspersum erat.* πάταγμα *est morbus pestilens, quo correpti qui moriuntur, nullum morbi indicium relinquunt, quam nævulos in parte corporis.* Scaliger. *Vide præterea de antiquo ritu vestiendi Patrem meum in Theat. Ing. Hum. Lib. 2. cap. 3. Ravisium Text. in officinâ de re vestiaria. Et manuale nostrum Philologicum Tit. Vestis. Caltulam*, à luteo colore, *ealtha.* Crocotulam, *vestis mulierum, de quâ Virg.* Vobis picta croco & splendenti murice vestis. *Crocotium intelligit, ut effæminatos & semiviros Trojanos significet.* Supparum: *lineum puellarum vestimentum, quod & subucula appellatur.* Subminiam, *à minio colore.* Vide de hoc Salm. in PL. Boxh. Rica, *virgineum flameum*, Gr. *καλύπτρλω vocant. Turpilius*: interea adspexi virginem gestantem riculam indutam ostrinam. Exoticum, *id est, peregrinum.* Cumatile, *coloris marini; fluctus enim Græcis κύματα. Lucretius hunc colorem vocat, Thalassinum.* Plumatile, *vestis plumatilis est clavata, aut ex clavis facta.* Cerinum, *à ceræ colore.* Sic Pareus. Salmas. hoc loco aliter. *Alii* Berinum *volunt.* Melinum *si legatur, à* Melo *insulâ. si*, Mellinus *à* melle, *color ad fuscum accedens.* Cani quoque ademptum est nomen. *nonnulli enim canes* Lacones & Laconici *appellantur.* Horat. Nam qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon. *Sed nunc vestes suas appellant Laconicas.* Laconicum, *genus vestis pellucida.* Gerræ maximæ. *Gerra inter alia res frivola dicuntur.* Gerræ germanæ. *Pan. 1. 1. v. 9.*

Hæc vocabula auctiones subigunt, ut faciant viri.

auctio

auctio pro venditione sumitur, quæ fit per augmentum pretii.

Reperiamus aliquid calidi conducibilis consilii.

Si æquum fiet me plus sapere quàm vos, dederim vobis consilium catum.

Mihi isthic nec seritur nec metitur.

Sapit hic pleno pectore. *qui sc. catus, h. e. acuta consilia adfert. sic Cic. Egregie cordatus homo catus Aelius Sextus.*

Hic poterit cavere rectè, Iura qui & Leges tenet.

Id non decem occupatum tibi erit argentum dies. *Occupare pecuniam est fœnori locare, ne otio & inertiâ languescat.*

Sc. 3.

Nullum esse opinor agrum in agro Attico
Aeque feracem, quam hic est noster Periphanes:
Quin excluso atque obsignato armario
Decutio argenti tantum, quantum mihi lubet.

Ne ulmos parasitos faciat, quæ usque attondeant. *id est, si senex resciverit, me sibi verba dedisse, faciat, ut ulmeæ virgæ in meo tergo sint, velut parasiti, meumque corium omni ex parte attondeant.* Lamb.

CAP. XVII. *Act. III. Sc. 1.*

E*Xspectando* exedor miser, atque exenteror. Nimis diu maceror. Per illam tibi copiam parare aliam licet.

Absurdè facis, qui angas te animi.

Sc. 2.

Tu mihi aliquid, aliquo modo, alicunde, ab aliquibus blattis, quod nusquam est. Per hanc curam quieto tibi licet esse. *Blatire & blaterare est, confingere, aut inconditè & inaniter, vel ut Festus, stultè & percupidè loqui.* à Gr. βλάξ.

Prô Dii immortales, mihi hunc diem dedistis luculentum! Vt facilem atque impetrabilem. Sed hinc migrare cesso, ut importem in coloniam hunc auspicio commeatum. *Solebant e. Romani præsidii loco in coloniâ aliqua positum commeatum servare. Idque auspicatò, ne interciperetur.*

Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum floccifacio. Articulatim te concîdit.

Quia ego patrem tuum faciam perenticidam. *Alii volunt hic pericidam. alii paricidam, parenticidam.* Pericida, *qui peram exenterat, & sic quasi occîdit.* Pareus hoc modo: *Dum pater tuus crumenam meis fallaciis adductus, toties exenterat, futurum est, ut posthac non Periphanes, sed Terenticida nominetur. A Deus* Deicida, *qualis Iudæus à Christianis dicitur.*

Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.

Nunc ego hanc astutiam etiam institui. Ipse cautor captus est.

Ibi leno sceleratum caput suum imprudens alligabit. *Ductitare alii malunt.* Peratim, *id est, perpauxilli argenti modo, & quantilli pera unius laxitas sit capax, defraudaverint.* Ductitare *hic est, quasi dicas, argento circumducere. Inter* peratim & follitim *mensura est tantum differentia, quanta inter* peram & follem.

Vorsutior es, quàm rota figularis.

Eam permeditatam meis dolis, astutiisque onustam mittam. Nimis doctus ille est ad malefaciendum.

Sc. 3.

Non oris causa modo homines æquum fuit sibi habere speculum; sed qui perspicere possent cor sapientiæ. *De speculis vide Senecæ illustrem locum Nat. Quæst. 1. 17.*

Profectò deliramus interdum senes.

Quin homini omnes suppetunt res prosperæ.

Di-

Divortunt mores virgini longè ac lupæ. *hoc est, multum interest inter virginem, & Lupam, sive meretricem.*

Non nimis potest Pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.

Næ tu habes servum graphicum, & quantivis pretii! *h. e. ad unguem factus. quasi pictoris manu expolitus.*

Non carus est auro contra. *Vænire contra aurum, est magno vænire. Metaphora à lance momentanea, in quâ appendebatur æs. nam quod præponderat, id* contra *esse, h. e.* ἀντιῤῥέπειν *dicebant. Inde* æs contrarium *vocabant* æs grave,*auctore Festo: scilicet* ἀντίῤῥοπον. Scaliger.

Nihil homini amico est opportuno amicius.

Si allegassem aliquem ad hoc negotium minus hominem doctum, minusque ad hanc rem callidum, os sublitum esset. Ideoque me albis dentibus deriderent. *significatur risus effusior, quando dentes denudantur.*

Pugnis memorandis meis eradicabam hominum aures. *quasi occidi.*

Suam qui undantem chlamydem quassando facit. *id est, qui ita chlamydem suam quassat, ut undarum speciem faciat. Habitus & incessus gloriosi describitur.* Vestis undans, *quæ in incessu crispatur, præsertim dum succussatur corpus.* sic undantes habenas *apud Virgilium.* vide plura hoc loco in PL. Boxh.

Sc. 4.

Nam strenuiori deterior si prædicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.

Imo si audias meas pugnas, fugias manibus dimissis domum. *contentissimus cursus exprimitur. contentius e. currimus, manus dimissas habentes, & circum latera jactantes.* Casaub.

Quin tu alium quæras, cui centones farcias. *Centones farcire, est sua facinora particulatim aliis recitare,*

vel conserventis fabulamentis alium explere.

Tuas possidebit mulier faxo ferias. *Feriæ hic sunt, quas herus servo facit, eâ libertate donatâ.* Ferias, *otium a servili opere indultum.* Possidebit ferias tuas, *quas tu illi facies, libertate donata, à servili opere & labore immunis.* vide plura de his hoc loco.

Quæ intemperiæ te tenent? Quas tu mihi tenebras cudis?

Tibi os est sublitum plane & probe. h. e. *probè argento te emunxit.*

Qui me emunxisti, mucidum, minimi pretii. *Me tanquam puerulum, cujus nasus mucoris plenus, omnisque consilii expers est, deinde argento spoliasti.*

Meum exenteravit Epidicus marsupium.

Is etiam sese sapere memorat; Malleum sapientiorem manubrio. *Ille vero, inquit, cum adeo sit fungus ac fragilis, etiam sese sapere prædicat, ut si manubrium, male hærens, diceret se malleo sapientius. Sine manubrio e. malleus inutilis.* Salmas.

CAP. XXVIII. *Act. IV. Sc. I.*

Cum multa in unum locum confluunt, quæ meum pectus pulsant simul: multa ærumna me exercitum habet: paupertas, pavor territat mentem animi, neque ubi collocem meas spes, habeo usquam munitum locum. *Animi vix mente videtur. Mens animi tantis fluctuat ipsa malis. Alibi explicatum, quid mens & animus differant.*

Orationis aciem contra feram. Dies meum incertat animum.

Guttulâ pectus ardens mihi adspersisti.

Remigrat animus nunc demum mihi.

Sc. 2.

Aliter Catuli longè olent, aliter sues.

Atque argentum egurgitem domo prorsum.

Vitam tuam ego interimam, pessima.

Perii,

Perii, plaustrum perculi. *Festus: Plaustrum perculi, dicebant antiqui ab eo, qui pede onusta plaustra perculit.* id est, *evertit. Accipiendum de eo, qui evertit, ac perturbat rem.*

Act. V. Sc. I.

Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine? *id est, caperatur, rugis contrahitur, & asperatur; Tractum à caprorum frontibus crispis. Hinc frons caperata pro tristi ac severâ sumitur.*

Nam per urbem duo defloccati senes quæritant me. *id est, calvi. Metaph. sumpta à vestib. quæ villos vel fratillos suos amiserunt.* Fratilli, *quod in terram ferantur.*

Vsque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima.

Sed, quis est hæc muliercula, & illic gravastellus qui venit? *Obesus Danista, explicat Pareus.* Et in Lexico suo: *senior à gravitate sic dictus.* Camerarius *putat fictum esse vocabulum in hominem inutilem. sicuti alibi dicit,* odium terræ. Vide Salmas. hoc loco in PL. Boxh.

Si undecem Deos præter sese secum adducat Iupiter, ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.

Ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas: quem Apelles atque Zeusis duo pingent pigmentis ulmeis. *h. e. virgis ex ulmo meum tergum pulchre futurum.*

Dii immortales, otiosè esse admiror. pedibus pulmoneis qui perhibetur, prius venisset, quàm tu advenisti. *h. e. mollibus, eoque ad itineris laborem ineptis. increpat ejus lentitudinem in curandis mandatis.*

Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.

Dum sine me quæras, quæras mea causa vel medio in mari.

Lassi-

Sc. 2.

Lassitudine invaserunt misero in genua flemina. *Festus flemina appellat, quum labore via sanguis defluit circa talos, & tumorem facit.*

Illic autem exenteravit mihi opes argentarias.

Tragulam in te injicere adornat, nescio, quam fabricam facit. *Id est, dolum in te struit.* Tragula *genus teli, hasta non multum absimile quod scuto infixum trahatur.* Tragulæ *etiam retia piscatorum, à trahendo.*

Sed, ut acerbum est, pro benefactis cum mali messem metas.

Lunam, atque anellum aureolum in digitum? h. e. *capillum, seu gemmam rotundam instar lunæ.*

Animo liquido & tranquillo es. Ilicet vadimonium ultro mihi facit. *Vadimonium est sponsio standi in judicio, seu satis datio judicio sistendi causâ. sic antea de* Libello Venereo & Vadimonio Venereo *diximus.*

In meum nummum, in tuum talentum pignus da. *Nummus servorum erat, talentum dominorum.* de Talento alibi.

FINIS EPIDICI.

M. ACCI

M. Acci Plauti

BACCHIDES.

Camerarius.

Fabula hæc elegans est; sed flagitia & turpitudinem nefariam proponit, ad cujus cognitionem terreri debent animi piorum, consideratione horribilis iræ divinæ, qui neglectionem veritatis tam atrociter ultus fuit, ut in tantos errores & talia peccata homines delabi sineret.

I. Cæs. Scaliger.

Comœdia hæc hilaris & convivialis est.

Argumentum.

Absens in Epheso, quo missus fuerat à patre Mnesilochus, petit à sodali Pistoclero, ut Bacchidem amicam suam reperiat. Eam apud sororem illa & ipsam nomine Bacchidem forte invenit, & hujus sororis amore implicatur, &c.

ELECTA PLAVTINA

Ex

BACCIDIBUS.

CAP. XVIII.

Act. V. Sc. 1.

UBi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut subvenias.

Pol ego quoque metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio.

Quid in consilio consuluistis? Miserius nihil est, quam mulier.

Vbi emeritum tibi sit, se ut revehat domum. *id est, postquam tempus operarum sit exactum.* Emerita stipendia, *cum militi omne tempus transactum sit, quod militia juraverat.*

Viscus merus est vestra blanditia.

Duæ unum expetitis palumbem. perii, arundo alas verberat. *Arundo hic nihil aliud est, quàm telum. Virg.* hæret lateri fatalis arundo. Arundo alas verberat, *cum ita lædit, ut aves non possint avolare.* Sensus igitur*: blanditiæ meretriciæ mihi tela sunt.* Alii *explicant de arundine visco illita alas verberante, quâ fit, ut visco compactas alas aves non possint explicare.*

Magis illectum tuum, quam lectum metuo. mala tu es bestia.

Nam huic ætati non conducit, mulier, latebrosus locus.

Animum fodicant, bona destimulant, facta & famam sauciant.

Homo

Homo adolescentulus penetrare hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur, ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus.

Malacissandus es. *h. e. mollior reddendus. malacia mollities. μαλακίζειν* & *μαλάσσειν lenire, mollire.*

Vbi ego capiam pro machærâ turturem, ubi imponat in manum alius mihi pro cestu cantharum, pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis: pro hastâ talus: pro loricâ malacum capiam pallium. *Discus ludi genus. Iactabant in altum lapidem rotundum, quem discum appellabant, qui ad stadium cadens vicinitate victorem proclamabat.* Discus *quoque sign. vas latum ad portandas carnes. Cic:* quorum auditores discum audire malunt, quam Philosophum. *Propter rotundam figuram quoq; Græci solare corpus discum vocant. Histriones quoque disco uti videntur in gesticulationibus suis: quando quæstus gratiâ, nescio quid, ad formam disci rotundum & æneum jaculantur in aerem. deinde virgâ excipiunt: quos Plinius Discobolos vocat.* Cestus, *lora erant, quibus pugilum brachia & manus innectebantur. quemadmodum nos chirothecis utimur. ferrum etiam & plumbum insuebant. sævissimo spectaculo. Alias* sutile corium *dicitur.* Scaphium *: poculum oblongioris figuræ, laterumque in scaphæ similitudinem flexorum.* Scaphium *quoque vas illud significat, cui solent immejere, mulieres. Scaphium vas ad turpes usus aptum hoc est, ad requisita naturæ.* Insigne *crista est, quæ in galeâ figitur.* Corona plectilis, *quæ ex herbis odoratis plectitur. non conseritur neque suitur. Itaque à sertis floribus, & sutilib. coronis differt.* Seneca *insigne capitis vocat, insigne regium, quod capiti circumligatum. Insignia familiarum quid sint, satis constat.* Pallium malacum *: quo nomine significat vestem cænatoriam. Verè* malacum dicit, *quia vestis mollior, pretiosiorque.*

Vbi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.

At nimium pretiosa est operaria.

Vbi tu lepide voles esse, mea rosa, mihi dicito.

Ego, ubi bene sit, lepidum locum dabo.

Rapidus fluvius est hic, non hac temere transiri potest.

Isthoc illecebrosius fieri nihil potest.

Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium.

Sorori meæ hodie dare volo cænam viaticam. *quales amans amanti in discessu dare solebat. id est, lautissima.*

Piscatus, meo quidem animo, hodie evenit tibi bonus.

Dabitur opera, aqua calet, abeamus hinc intro, ut laves. *ut frigida eis, qui deliquium animi patiuntur, prodest; sic calida illis, qui timuerunt, vel laborarunt vehementius.*

Sc. 2.

Ita me dii amant, ut Lycurgus mihi quidem videtur posse hic ad nequitiam adducier.

Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.

Quem ego sapere nimio censui, quam Thalem.

Is stultior es barbaro Potitio. *imperitum & nescium sacerdotem veterum significat.*

Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit.

O præligatum pectus. Odiosus mihi es. *ô insanum pectus! ab his, qui veneficiis ceu vinculis ligati videntur & illecebris quibusdam veluti defixi. Veneficiis fascinatum ac constrictum, quasi diceret.*

Sperat quidem animus: quò eveniat, Diis in manu est.

Iam excessit mihi ætas ex Magisterio tuo.

O barathrum ubi nunc es? at ego te usurpem lubens.

Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis. *Quibus integer avi sanguis.*

Magistrone quenquam discipulam minitarier?

Pol

Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam. *Phœnix Achillem discipulum à Paride ad Trojam interfectum Peleo nuntiavit.*

Nimio es tu ad istas res discipulus docilior.

Act. II. Sc. I.

Saluto te vicine Apollo, qui ædibus propinquus nostris accolis. *Apollinem Prostaterium intelligit, quem veluti præsidem in vestibulo domus Athenienses colebant.*

Sc. 2.

Abire hinc nullo modo possum. Ita me vinctum vadatumque amore tenet,

Salutem tibi ab sodali solidam nuncio.

Anima amica est amanti: si abest, nullus est. *h. e. nullus est homo. Est mortuus.*

Regiones colere mavelim Acheruntica.

Vt confringi citò vas Samium solet.

Proximæ viciniæ habitat.

Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo.

Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.

Sed Bacchis etiam fortis tibi visa? *id est, formosa. Servius & Nonnius.* Fortes *dicebant veteres quicquid in quaque re excelleret. Sic pro divite & nobili accipitur. Igitur Anacreon:* Ferrum & ignem superat mulier, quæ formosa est.

Hodie aliquam machinabor machinam, unde aurum efficiam herili filio.

Sc. 3.

Extexam ego illum pulchrè jam; si dii volunt. *h. e. auro spoliabo.*

Quem ego hodie faciam hîc arietem Phryxi, itaque tondebo auro, usque ad vivam cutem: *Quem ego auro spoliabo, ut arietem Phryxi, cujus vellus aureum erat.*

Prô Dii immortales, mihi hunc diem dedistis luculentum! Vt facilem atque impetrabilem. Sed hinc migrare cesso, ut importem in coloniam hunc auspicio commeatum. *Solebant e. Romani præsidii loco in coloniâ aliqua positum commeatum servare. Idque auspicatò, ne interciperetur.*

Dum tibi ego placeam atque obsequar, meum tergum floccifacio. Articulatim te concîdit.

Quia ego patrem tuum faciam perenticidam. *Alii volunt hic pericidam. alii paricidam, parenticidam.* Pericida, *qui peram exenterat, & sic quasi occîdit.* Pareus hoc modo: *Dum pater tuus crumenam meis fallaciis adductus, toties exenterat, futurum est, ut posthac non Periphanes, sed Terenticida nominetur. A Deus* Deicida, *qualis Iudæus à Christianis dicitur.*

Peratim ductare: at ego follitim ductitabo.

Nunc ego hanc astutiam etiam institui. Ipse cautor captus est.

Ibi leno sceleratum caput suum imprudens alligabit. *Ductitare alii malunt.* Peratim, *id est, perpauxilli argenti modo, & quantilli peræ unius laxitas sit capax, defraudaverint.* Ductitare *hic est, quasi dicas, argento circumducere. Inter* peratim & follitim *mensuræ est tantum differentia, quanta inter* peram & follem.

Vorsutior es, quàm rota figularis.

Eam permeditatam meis dolis, astutiisque onustam mittam. Nimis doctus ille est ad malefaciendum.

Sc. 3.

Non oris causa modo homines æquum fuit sibi habere speculum; sed qui perspicere possent cor sapientiæ. *De speculis vide Senecæ illustrem locum Nat. Quæst.* I. 17.

Profectò deliramus interdum senes.

Quin homini omnes suppetunt res prosperæ.

Di-

Divortunt mores virgini longè ac lupæ. *hoc est, multum interest inter virginem, & Lupam, sive meretricem.*

Non nimis potest Pudicitiam quisquam suæ servare filiæ.

Næ tu habes servum graphicum, & quantivis pretii! *h. e. ad unguem factus. quasi pictoris manu expolitus.*

Non carus est auro contra. *Vanire contra aurum, est magno vanire. Metaphora à lance momentanea, in quâ appendebatur æs. nam quod præponderat, id* contra *esse, h. e.* ἀντιῤῥέπειν *dicebant. Inde* æs contrarium *vocabant* æs grave, *auctore Festo: scilicet* ἀντίῤῥοπον. Scaliger.

Nihil homini amico est opportuno amicius.

Si allegassem aliquem ad hoc negotium minus hominem doctum, minusque ad hanc rem callidum, os sublitum esset. Ideoque me albis dentibus deriderent. *significatur risus effusior, quando dentes denudantur.*

Pugnis memorandis meis eradicabam hominum aures. *quasi occidi.*

Suam qui undantem chlamydem quassando facit. *id est, qui ita chlamydem suam quassat, ut undarum speciem faciat. Habitus & incessus gloriosi describitur.* Vestis undans, *quæ in incessu crispatur, præsertim dum succussatur corpus.* sic undantes habenas *apud Virgilium.* vide plura hoc loco in FL. Boxh.

Sc. 4.

Nam strenuiori deterior si prædicat suas pugnas, de illius ore fiunt sordidæ.

Imo si audias meas pugnas, fugias manibus dimissis domum. *contentissimus cursus exprimitur. contentius e. currimus, manus dimissas habentes, & circum latera jactantes.* Casaub.

Quin tu alium quæras, cui centones farcias. *Centones farcire, est sua facinora particulatim aliis recitare, vel*

vel consarcinatis fabulamentis alium explere.

Tuas possidebit mulier faxo ferias. *Feria hic sunt, quas herus serva facit, eâ libertate donatâ.* Feriæ, *otium à servili opere indultum.* Possidebit ferias tuas, *quas tu illi facies, libertate donata, à servili opere & labore immuni.* vide plura de his hoc loco.

Quæ intemperiæ te tenent? Quas tu mihi tenebras cudis?

Tibi os est sublitum plane & probe. h. e. *probè argento te emunxit.*

Qui me emunxisti, mucidum, minimi pretii. *Me tanquam puerulum, cujus nasus mucoris plenus, omnisque consilii expers est, delusum argento spoliasti.*

Meum exenteravit Epidicus marsupium.

Is etiam sese sapere memorat; Malleum sapientiorem manubrio. *Ille vero, inquit, cum adeo sit fungus ac stupidus, etiam sese sapere prædicat, ut si manubrium, male hærens, diceret se malleo sapientius. Sine manubrio e. malleus inutilis.* Salmas.

CAP. XXVIII. *Act. IV. Sc.* I.

Cui multa in unum locum confluunt, quæ meum pectus pulsant simul: multa ærumna me exercitum habet: paupertas, pavor territat mentem animi, neque ubi collocem meas spes, habeo usquam munitum locum. *Animi vix mente videtur. Mens animi tantis fluctuat ipsa malis. Alibi explicatum, quid mens & animus differant.*

O rationis aciem contra feram. Dies meum incertat animum.

Guttulâ pectus ardens mihi adspersisti.

Remigrat animus nunc demum mihi.

Sc. 2.

Aliter Catuli longè olent, aliter sues.

Atque argentum egurgitem domo prorsum.

Vitam tuam ego interimam, pessima.

Perii,

Perii, plaustrum perculi. *Festus: Plaustrum perculi, dicebant antiqui ab eo, qui pede onusta plaustra perculit.* id est, *evertit. Accipiendum de eo, qui evertit, ac perturbat rem.*

Act. V. Sc. 1.

Quid illuc est, quod illi caperat frons severitudine? *id est, caperatur, rugis contrahitur, & asperatur; Tractum à caprorum frontibus crispis. Hinc frons caperata pro tristi ac severâ sumitur.*

Nam per urbem duo defloccati senes quæritant me. *id est, calvi. Metaph. sumpta à vestib. quæ villos vel fratillos suos amiserunt.* Fratilli, *quod in terram ferantur.*

Vsque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima.

Sed, quis est hæc muliercula, & illic gravastellus qui venit? *Obesus Danista, explicat Pareus.* Et in Lexico suo: *senior à gravitate sic dictus.* Camerarius *putat fictum esse vocabulum in hominem inutilem. sicuti alibi dicit,* odium terræ. Vide Salmas. hoc loco in PL. Boxh.

Si undecem Deos præter sese secum adducat Iupiter, ita non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum.

Ex tuis verbis meum futurum corium pulchrum prædicas: quem Apelles atque Zeusis duo pingent pigmentis ulmeis. *h. e. virgis ex ulmo meum tergum pulchre futurum.*

Dii immortales, otiosè esse admiror. pedibus pulmoneis qui perhibetur, prius venisset, quàm tu advenisti. *h. e. mollibus, eoque ad itineris laborem ineptis. increpat ejus lentitudinem in curandis mandatis.*

Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.

Dum sine me quæras, quæras mea causa vel medio in mari.

Lassi-

Sc. 2.

Lassitudine invaserunt misero in genua flemina. *Festus flemina appellat, quum labore via sanguis defluit circa talos, & tumorem facit.*

Illic autem exenteravit mihi opes argentarias.

Tragulam in te injicere adornat, nescio, quam fabricam facit. *Id est, dolum in te struit.* Tragula *genus teli, hasta non multum absimile quod scuto infixum trahatur.* Tragulæ *etiam retia piscatorum, à trahendo.*

Sed, ut acerbum est, pro benefactis cum mali messem metas.

Lunam, atque anellum aureolum in digitum? h. e. *capillum, seu gemmam rotundam instar lunæ.*

Animo liquido & tranquillo es. Ilicet vadimonium ultro mihi facit. *Vadimonium est sponsio standi in judicio, seu satis datio judicio sistendi causâ. sic antea de* Libello Venereo & Vadimonio Venereo *diximus.*

In meum nummum, in tuum talentum pignus da. *Nummus servorum erat, talentum dominorum.* de Talento alibi.

FINIS EPIDICI.

M. ACCI

M. Acci Plauti

BACCHIDES.

Camerarius.

Fabula hæc elegans est; sed flagitia & turpitudinem nefariam proponit. ad cujus cognitionem terreri debent animi piorum, consideratione horribilis iræ divinæ, qui neglectionem veritatis tam atrociter ultus fuit, ut in tantos errores & talia peccata homines delabi sineret.

I. Cæs. Scaliger.

Comœdia hæc hilaris & convivialis est.

Argumentum.

Absens in Epheso, quo missus fuerat à patre Mnesilochus, petit à sodali Pistoclero, ut Bacchidem amicam suam reperiat. Eam apud sororem ille & ipsam nomine Bacchidem forte invenit, & hujus sororis amore implicatur, &c.

ELECTA PLAVTINA

Ex

BACCIDIBUS.

CAP. XVIII.

Act. V. Sc. 1.

UBi me fugiet memoria, ibi tu facito, ut subvenias.

Pol ego quoque metuo, lusciniolæ ne defuerit cantio.

Quid in consilio consuluistis? Miserius nihil est, quam mulier.

Vbi emeritum tibi sit, se ut revehat domum. *id est, postquam tempus operarum sit exactum.* Emerita stipendia, *cum militi omne tempus transactum sit, quod militia juraverat.*

Viscus merus est vestra blanditia.

Duæ unum expetitis palumbem. perii, arundo alas verberat. *Arundo hic nihil aliud est, quàm telum. Virg.* hæret lateri fatalis arundo. Arundo alas verberat, *cum ita lædit, ut aves non possint avolare.* Sensus igitur: *blanditiæ meretriciæ mihi tela sunt.* Alii *explicant de arundine visco illita alas verberante, quâ fit, ut visco compactas alas aves non possint explicare.*

Magis illectum tuum, quam lectum metuo. mala tu es bestia.

Nam huic ætati non conducit, mulier, latebrosus locus.

Animum fodicant, bona destimulant, facta & famam sauciant.

Homo

Homo adolescentulus penetrare hujusmodi in palæstram, ubi damnis desudascitur, ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus.

Malacissandus es. *h. e. mollior reddendus, malacia mollities. μαλακίζειν & μαλάσσειν lenire, mollire.*

Vbi ego capiam pro machæra turturem, ubi imponat in manum alius mihi pro cestu cantharum, pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis: pro hastâ talus: pro loricâ malacum capiam pallium. *Discus ludi genus. Iactabant in altum lapidem rotundum, quem discum appellabant, qui ad stadium cadens vicinitate victorem proclamabat.* Discus *quoque sign. vas latum ad portandas carnes. Cic:* quorum auditores discum audire malunt, quam Philosophum. *Propter rotundam figuram quoq; Græci solare corpus discum vocant. Histriones quoque disco uti videntur in gesticulationibus suis: quando quæstus gratiâ, nescio quid, ad formam disci rotundum & æneum jaculantur in aerem. deinde virgâ excipiunt: quos Plinius Discobolos vocat.* Cestus, *lora erant, quibus pugilum brachia & manus innectebantur. quemadmodum nos chirothecis utimur. ferrum etiam & plumbum insuebant. sævissimo spectaculo. Alias* futile corium *dicitur.* Scaphium: *poculum oblongioris figuræ, laterumque in scaphæ similitudinem flexorum.* Scaphium *quoque vas illud significat, cui solent immejere mulieres. Scaphium vas ad turpes usus aptum hoc est, ad requisita naturæ.* Insigne *crista est, quæ in galeâ figitur.* Corona plectilis, *quæ ex herbis odoratis plectitur. non conseritur neque suitur. Itaque à sertis floribus, & sutilib. coronis differt.* Seneca *insigne capitis vocat, insigne regium, quod capiti circumligatum. Insignia familiarum quid sint, satis constat.* Pallium malacum: *quo nomine significat vestem cœnatoriam. Verè* malacum dicit, *quia vestis mollior, pretiosiorque.*

Vbi mihi pro equo lectus detur, scortum pro scuto accubet.

At nimium pretiosa est operaria.
Ubi tu lepidè voles esse, mea rosa, mihi dicito.
Ego, ubi bene sit, lepidum locum dabo.
Rapidus fluvius est hîc, non hac temere transiri potest.
Isthoc illecebrosius fieri nihil potest.
Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium.
Sorori meæ hodie dare volo cœnam viaticam. *quales amans amanti in discessu dare solebat. id est, lautissima.*
Piscatus, meo quidem animo, hodie evenit tibi bonus.
Dabitur opera, aqua calet, abeamus hinc intro, ut laves. *ut* frigida *eis, qui deliquium animi patiuntur, prodest; sic* calida *illis, qui timuerunt, vel laborarunt vehementius.*

Sc. 2.

Ita me dii amant, ut Lycurgus mihi quidem videtur posse hîc ad nequitiam adducier.
Mali sunt homines, qui bonis dicunt male.
Quem ego sapere nimio censui, quam Thalem.
Is stultior es barbaro Poritio. *imperitum & nescium sacerdotem veterum significat.*
Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit.
O præligatum pectus. Odiosus mihi es. *ô insanum pectus! ab his, qui veneficiis ceu vinculis ligati videntur & illecebris quibusdam veluti defixi. Veneficiis fascinatum ac constrictum, quasi diceret.*
Sperat quidem animus: quò eveniat, Diis in manu est.
Iam excessit mihi ætas ex Magisterio tuo.
O barathrum ubi nunc es? at ego te usurpem lubens.
Nihil moror discipulos mihi esse jam plenos sanguinis. *Quibus integer ævi sanguis.*
Magistrone quenquam discipulam minitarier?
Pol!

Pol metuo magis, ne Phœnix tuis factis fuam. *Phœnix Achillem discipulum à Paride ad Trojam interfectum Peleo nuntiavit.*

Nimio es tu ad istas res discipulus docilior.

Act. II. Sc. I.

Saluto te vicine Apollo, qui ædibus propinquus nostris accolis. *Apollinem Prostaterium intelligit, quem veluti præsidem in vestibulo domus Athenienses colebant.*

Sc. 2.

Abire hinc nullo modo possum. Ita me vinctum vadatumque amore tenet.

Salutem tibi ab sodali solidam nuncio.

Anima amica est amanti: si abest, nullus est. *h. e. nullus est homo. Est mortuus.*

Regiones colere mavelim Acheruntícas.

Vt confringi citò vas Samium solet.

Proximæ viciniæ habitat.

Epidicum, quam ego fabulam æque ac me ipsum amo.

Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.

Sed Bacchis etiam fortis tibi visa? *id est, formosa. Servius & Nonnius.* Fortes *dicebant veteres quicquid in quaque re excelleret. Sic pro divite & nobili accipitur. Igitur Anacreon:* Ferrum & ignem superat mulier, quæ formosa est.

Hodie aliquam machinabor machinam, unde aurum efficiam herili filio.

Sc. 3.

Extexam ego illum pulchrè jam; si dii volunt. *h. e. auro spoliabo.*

Quem ego hodie faciam hîc arietem Phryxi, itaque tondebo auro, usque ad vivam cutem: *Quem ego auro spoliabo, ut arietem Phryxi, cujus vellus aureum erat.*

Heu! cor meum & cerebrum finditur.

Vulcanus, Sol, Luna, dies, Dei quatuor,

Sceleſtiorem nullum illuxere alterum. *Vide Elect. Plaut. Parei Tit. Deorum. illuxere, activè pro illuſtravere.*

Eo præſente homini extemplo oſtendit ſymbolum. *ſolebant veteres Græci in pactis conventis uti quibuſdam teſſeris, quæ σύμβολα vocabantur, quæ loco tabellarum & ſyngrapharum erant. atque ex his jus dabatur.*

Poſtquam quidem Prætor recuperatores dedit. *Recuperatores* judices, *qui à Prætore in privatis controverſiis, quacunque de re ageretur, dabantur. ita dicti, quod per eos ſuum quiſque jus recuperare poſſet.*

Fortè ut adſedi in ſtega, ego lembum conſpicor. *ſtega, tabulatum navis & quaſi proſcenium. in quo nautæ ambulant.* ϛέγη conſtratum puppis *eſt Arbitro. Ciceroni* navis conſtrata *dicitur; Cæſari* tecta.

Occeperunt ratem turbare in portu. turbare *hic idem eſt, quod* impellere. *Turbata acies* hoc eſt, impulſa. *Exturbare*, ejicere, expellere.

Quin in ipsâ æde Dianæ conditum eſt aurum. *Furtum facilius committitur, quam ſacrilegium. inde mos veterum res cariſſimas in templis deponendi. Quare & Romanum ærarium in templo Saturni.* Et *publici ac armati erant iſti templorum cuſtodes.*

Qui ſoccis habeat auro ſubpactum ſolum. *Qui clavis aureis calceos habeat ſubpactos.* Solum *hîc eſt, quod calceamenti ſolea.*

Exorſa hæc tela non malè omninò eſt mihi.

Vt amantem herilem copem facerem filium. *h. e. copioſum.* *Cops*, id eſt, *copia.* copis, *copioſus.*

CAP. XIX. *Act. III.* *Sc. I.*

B*Acchides*, non Bacchides, ſed Bacchæ ſunt acerrimæ.

Apage iſtas à me ſorores, quæ hominum ſorbent ſanguinem.

Tuà

Tuâ infamiâ fecisti geruli figulos flagitii. *mens horum est : tu fecisti tuis infamibus dictis, ut tuus pater & ego tuus præceptor dicamur quasi authores horum flagitiorum. quod pater ita te fecerit, & ego te finxerim ac docuerim, ut tam flagitiosus existeres.* Gerulus, *propter patrem.* Figulus, *propter præceptorem.*

Sc. 2.

Ingrato homine nihil impensius est. *Virg, tanto me impensius æquum est consulere.* id est, magis. impendio *quoque adverb. pro magno.* impensum pretium *h. e. magnum.* Grato homine nihil est impensius; *h. e. nihil gravius, nihil pretiosius ac carius, quam gratus homo.*

Sc. 3.

Nunc experiar, sitne acetum tibi peracre in pectore.

Leniter qui sæviunt, sapiunt magis.

Ante solem exorientem nisi in palæstram veneras,

Gymnasii præfecto, haud mediocres pænas penderes.

Ibi cursu, luctando, hastâ, disco, pugillatu, pilâ

Saliendo sese exercebant magis, quàm scorto aut suavio.

Cincticulo præcinctus in sellâ apud magistratum assideres. *Cincticulus adolescentum erat, ut cinctus virorum, quæ Zona latior.* sic Horat. *cinctulos Cethegos dixit.* Hinc cinctum esse *modestiæ argumentum.* discinctus *dissolutæ vitæ hominem significat.*

Si unam peccavisses syllabam, fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium. *quod à pueris, quib. mammam præbent, maculatur.*

Extemplo puer Pædagogo tabula dirumpit caput.

Deos propitios me videre, quam illum mavellem

lem mihi. *id est, mallem me videri à diis iratis quam à Lydo irato. tam gravis ille & sævus.*

Triduum non interest ætatis, uter major siet.

Verum ingenium plus triginta annis majus est, quam alteri.

Cave malum, compesce in illum injuste dicere.

Nam illum meum malum promptare malim, quàm peculium. *Sententia est: Malim illum sæpius auribus suis promere & haurire dicta mala, ut tu quidem ea appellas, quibus officii sui admonetur, quam peculium meum.*

Acerrimè atque æstuosè absorbet vivos, ubi quemque attigit.

Manus ferat ad papillas, labra à labris nusquam auferat.

Alia memorare, quæ illum facere vidi, dispudet:

Cum manum sub vestimenta ad corpus detulit Bacchidi.

Ego illum periisse duco, cui periit pudor.

Egone illam mulierem capitis perdam? perire me malim malis modis.

Sc. 4.

Qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis suis.

Mendicum malim mendicando vincere.

Nam mihi divini nunquam quisquam creduat.

Illa nunquam de meâ pecuniâ Ramentâ fiat plumbea propensior. *id est, ponderosior.*

Quam si ad sepulchrum mortuo dicas jocum. *Præficarum nugas & nanias intellige.*

Mori me mavelim excruciatum inopia, antequam illa unquam meis opulentiis fiat gravior.

Sc. 6.

Adibo contra. Contollam gradum.

Non:

Non placet mihi cæna, quæ bilem movet.

Multi more isto atque exemplo vivunt, quos cum censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis, Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide. *Lingua factiosi dicuntur garriloqui.* h. e. ad *promittendum promi magis, quam condi.* Factiosi *antiquis sumi solent pro nobilibus & potentibus.* Turnebus.

Edepol næ tu illorum mores perquam meditatè tenes.

Nequam hominis ego parvi pendò gratiam.

Act. IV. Sc. 1.

Vt pulsat propudium! comesse panem tres pedes latum potest.

Sc. 2.

Quænam isthæc est pultatio? quæ te mala crux agitat? Fores pene effregisti, & alieno vires tuas ostentas ostio.

Næ tibi hercle haud longe est os ab infortunio.

Ita dentifrangibula hæc meis manibus gestiunt. *pugni, qui gestiunt tibi dentes comminuere.*

Ne nucifrangibula excussit ex malis meis. *dentes intellige, quib. nuces franguntur.*

Sc. 3.

Omnibus probris, quæ improbis viris digna sunt, dignior nullus est homo.

Multa mala mihi in pectore nunc acria atque acerba eveniunt.

Mortuus pluris pretii est, quàm ego sum.

Deus respiciet nos aliquis.

Sc. 4.

Hunc hominem decet auro expendi: huic decet statuam statui ex auro. *h. e. cum auro comparari.*

Nequius nihil est, quam egens consilii servus, nisi habet multipotens pectus.

Nullus frugi esse potest homo nisi qui & bene & male facere tenet.

Versi-

Versipellem frugi convenit esse hominem, pectus cui sapit. Bonis sit bonus, malis sit malus.

Sic hoc digitulis duobus sumebas prioribus?

De ducentis nummis primum intendam balistam in senem.

Celerem oportet esse amatoris manum.

Mea fiducia opus conduxi, & meo periculo rem gero.

Sc. 5.

Insanum magnum molior negotium.

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum est cicer. *Fricti ciceris & nucis emptor, apud Horat. sc. homo pauper & plebejus.*

Sc. 6.

Illac res est magnæ dividiæ mihi.

Vt tua jam virgis latera lacerentur probè.

Ferratusque in pistrino ætatem conteras.

Sc. 7.

O stulte, stulte nescis nunc vænire te:

Atque in eo ipso astas lapide, ubi præco prædicat. *in eum, qui præsens vidensque luditur. Hinc de Lapide empti. Lapis erat locus altior & tanquam suggestus, unde præco servos vendebat ac prædicabat.*

Hunc si ullus deus amaret, plus annis decem,
Plus jam viginti mortuum esse oportuit:
Qui terræ odium inambulat.
Tanti est, quanti fungus putidus.

Sc. 8.

Adstringite ad columnam fortiter. *intellige de flagellatione ad columnam.*

Bellona mihi nunquam, neque Mars creduat
Ne illum exanimalem faxo, nive exheredem fecero vitæ suæ.

Pacisci cum illo paulula pecunia potes.

Illorum ego animã amborum exsorbebo oppidò.

Si

Si tibi est mach[illegible], & nobis veruina est domi: qua te faciam, si me irritaveris, Confossiorem soricinâ næniâ. *Veruina quatt. syllabarum, & significat parvum veru, & tanquam verriculum.* Soricina nænia, *vox est, quam emittit sorex, quæ sæpe ad illam vocem confoditur.* Næniam *vocat, quia ipsi est pro næniâ, cum plerumque necetur in illo ipso sono edendo.* Salmas.

Lippi illic oculi servus est simillimus. *Dicitur de servo; qui quamvis sit malus, vix tamen abstinemus, quin ejus operâ utamur.* Si oculus *tuus lippus, vix abstines, quin semper manum illic habeas.*

Aequum est tabellis consignatis credere.

Ita me Iupiter, Iuno, Ceres, Minerva, Latona,

Spes, Opis, Virtus, Venus, Castor, Polluces, Mars,

Mercurius, Hercules, Submanus, Sol, Saturnus, Diique omnes ament!

Non sunt tabellæ, sed equus, quem misere Achivi, ligneum.

Sc. 9.

Non Pelides tormento fuit, præut ego herum expugnabo meum. *Aliqui legunt termento. Vide Salmas. hoc loco in PL. Boxhorn.*

Hic equus non in arcem, sed in arcam faciet impetum.

Excidium, exitium, exlecebra fiet hic equus hodie auro senis.

Nostro seni huic stolido, ei profecto nomen facio ego Ilio.

Ilio tria audivi fuisse fata, quæ illi forent exitio.

Signum ex arce si periisset: alterum etiam est Troili mors.

Tertium cum portæ Scææ limen superum scinderetur.

Paria item tria eis tribus sunt fata nostra huic Ilio.

Ilio. *Fata, sive oracula T[illegible]orum dicuntur tria.* vita Troili, *Priami omnium natu minimi filii.* Conservatio Palladii, *quod in Minerva templum cœlo delapsum credebant Trojani. Et ut* sepulchrum Laomedontis, *quod erat in Portâ Scaâ, servaretur integrum. Hæc fata omnia vicerunt Græci. Nam Achilles Troilum secum congressum interfecit. Palladium ab Ulysse & Diomede ablatum est, Porta verò Scæa diruta fuit ab ipsis Trojanis, ut equus ille fatalis introduceretur.*

Eos ego hodie omnes contruncabo duobus solis ictibus.

Nunc Priamo nostro coemptionalem senem vendam ego. *h. e. senem planè utilem ad emptiones faciendas. Vide Elect. Plaut. Parei. Tit. Empt. Et plurib. hoc loco Cl.* SALMAS. *in Plauto Boxhorn. Singularis in hac scenâ nonâ fit comparatio Ilii & Senis alicujus.*

Cujanam vox prope me sonat?

Nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium Ilio. Turbat equus lepidè ligneus.

Iussum est, tuus tibi servus tuo arbitratu serviat.

Ego jus jurandum verbis conceptis dedi. Tantas turbellas facio. *sic dicebant veteres*, turba & turbela, *ut* Suada *&* Suadela; Fuga, Fugela.

Act. V. Sc. I.

Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,

Solus ego omnes longè anteeo stultitiâ & moribus indoctis.

Omnibus exemplis crucior. Omnia me mala consectantur. Omnibus exitiis interii.

Is me scelus usq; attondit dolis doctis indoctum. *h. e. emunxit. Blenni, βλέννα muccus est. homo ignavus significatur.* Buccones *arrogantes magis sunt, quam garruli, plenisque buccis suas virtutes depradicantes.*

Pudet,

Pudet, hoccine ætatis me ludum bis factum esse indignè.

Sc. 2.

Viden' limulis, obsecro, ut intuentur *! limus oculus, est obliquus, transversus.* Limulis adspicere. *sic* Limi oculi *propriè amatorum sunt.*

Prodigium hoc quidem est: humanâ nos voce apellant oves.

Arietes truces nos erimus, jam in vos incursabimus.

Tactus sum vehementer visco: cor stimulo foditur.

Tu homo putidus, amator isthac ætate fieri audes?

Qui istoc pacto tam lepidam illepidè appelles?

Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

FINIS BACCIDUM.

M. ACCI

M. Acci Plauti
MOSTELLARIA.

Camerarius.

Fabula hac hilaritatis & festivitatis plena est. etiam multis bonis sententiis insignis. Et proponitur exemplum in hac consiliorum malorum & fraudulentorum. qua quia firma esse non possunt, requirunt novas semper machinas. quibus fulciantur, donec tandem ruant omnia deprehensis dolis.

Argumentum Ejusdem.

Nomen fabula inditum est à monstris. nam senex à servo quasi manium monstris exterretur. Est a. monstrum, mostellum. sicut castrum & castellum. Sene quodam mercatore absente, filius illius implicatur libidinoso amore & amicam redimit triginta minis, &c.

ELE-

ELECTA PLAUTINA

Ex

MOSTELLARIA.

CAP. XX.

Act. I. Sc. 1.

EXi ex culinâ, ſis foras maſtigia,
Qui mihi inter patinas exhibes argutias.
Egredere herilis pernicies, ex ædibus.
Nec veriſimile loquere, nec verum, frutex.
Commeſſe quenquam ut quiſquam abſentem poſſit.

Exi, inquam, nidor è culinâ. *Nidor*, eſt *σκῶς*, *excrementum alvi. Hinc σκωλαφάγοι. nidore tali nihil fœdius. in culinâ præſertim, unde hic fugatur.* Quem abſentem comeſſe. *Comedi videtur, cujus bona comeduntur. ſic Suet. ait*, Claudium venalem pependiſſe *hoc eſt, prædia ejus pendente titulo & libello proſcripta.* Turneb.

Cis, hercle, paucas tempeſtates. id eſt, cis paucos dies.

Augebis ruri numerum, genus ferratile, frutex. *ex morte, Tranio, qui ob ſcelera in ferrea vincula ruri identidem conjici debuere, ibidem horum numerum augebis.* Boxhorn. Frutex, *eſt convitium in ſtupidos agreſteſque.*

Dies noćteſque bibite, pergræcamini, amicas emite, liberate, paſcite paraſitos, obſonate pollucibiliter. *ut Græco more biberetur; Græci cum merocyathis ſaltabant, libantes primo deos, deinde amicos ſuos nominantes.* Obſonate pollucibiliter. *id eſt, parate*

rate obsonia opiparè & sumptuosè. nam de esculentis Herculi decimam dabant. idque polluceri; *& consecratum quod fuerat*, polluctum *dicebatur*. Camerar.

Mei tergi facio hæc, non tui, fiduciâ.

Oboluisti allium Germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis, canis capro commista. *Quantus, quantus es, nihil nisi illuvies & fætor es.* Canis comista capro est, *quæ initur à capro. nihil enim est fætidum magis cane & capro, maximè cum commiscentur.* Horat. *parentis olim si quis impia manu senile guttur fregerit, Edat cicutis allium nocentius.*

Decet me amare & te bubulcitrarier. *id est, boum custodem esse.*

Non omnes possunt olere unguenta exotica, si tu oles. *hoc est, peregrina. nam Græca erant pretiosiora.*

O carnificum cribrum, quod credo fore:

Ita te forabunt patibulatum pervias stimulis.

Sine me alliato fungi fortunas meas. *h. e. sine me fortunis meis, quæ in cibo, seu pane allio peruncto sitæ sunt, patienter fungi & contentum esse.* Turneb.

Nisi te malâ re magnâ mactari cupis. *carnif. cribrum. h. e. ita crebro puncto perforatum iri, ut cribrum repræsentet.* Furca & patibulum *parum diff. patibulum tamen pars crucis, nimirum patens illa & transversa.* Crux *a. inferior defixusque stipes.* Lipf.

Quomodo occepistis: bibite, pergræcamini,

Este, effarcite vos, saginam cædite. *Hinc cibicidæ. cibum cædere, edere signif. & cibum dentibus contruncare.*

Sc. 2.

Recordatus multum & diu cogitavi,

Argumentaque in pectus multa institui.

Simul gnarures vos volo esse hanc rem mecum. h. e. *gnaros. gnaros hanc rem, pro hujus rei, sic ignarures. Vide hunc locum in PL. Boxh.*

Tem-

Tempestas venit, confringit tegulas, imbricesque venit imber, lavat parietes, perpluunt tigna, putrefacit aër operam fabri. Nequior jam factus est usus ædium.

Magna pars hominum moram hanc induxerunt, si quid nummo sarciri potest, usque mantant, donec parietes ruunt. ædificantur ædes totæ denuo.

Venit ignavia, ea mihi tempestas fuit, Ea mihi adventu suo grandinem imbremque attulit. Hæc verecundiam mihi & virtutis modum deturbavit.

Continuo pro imbre amor advenit in cor meum;

Is usque in pectus permanavit, permadefecit cor meum.

Nunc simul res, fides, fama, virtus deseruerunt. *Hac scenâ singularis instituitur comparatio inter amorem & ædificationem.* Scena 2.

Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna fuit. *Adverb. pro, hoc anno.* Hornum *est, quod ætatem unius anni non excedit.* horna messis, *id est, hujus anni. ut messis nobis & annona hoc anno fuit magna: sic & eventus secundus.*

Sc. 3.

Iam pridem ecastor frigida non lavi magis lubenter. *tres ædes, seu cellæ in balneis.* Caldaria, *Seneca sudatorium. Secunda*, Media, *quæ &* Tepidaria *dicta. Tertia* Frigidaria. Plin. post solem frigida lavabatur.

Quam mihi amor & Cupido in pectus perpluit meum! madent jam in corde parietes. periere hæ oppido ædes.

Non vestem amatores mulieris amant, sed vestis fartum: *id est, ipsum corpus, mulierque quæ vestem implet.*

Ma-

Matronæ, non Meretricium eſt, unum inſervire amantem.

Dii deæque omnes me peſſimis exemplis interficiant.

Inſperata accidunt magis ſæpe, quam quæ ſperes.

Vix comprimor, quin involem illi in oculos.

In anginam ego nunc velim vorti, ut veneficæ illi fauces prehendam. *morbus & inflammatio faucium, angina. item* συνάγχη, *vel à ſuſpendii ſimilitudine, quod non ſecus, quam laqueus, præfocans enecet. Notum de Demoſthene, quomodo ille non ſynanche, ſed argyranche laboraverit.* quando, *morbum gutturis ſimulabat, atque ita pecunia* motus, *ſilentium amplexus; ne adverſus adverſarium* cauſas ageret.

Vt fama eſt homini, exinde ſolet pecuniam invenire.

Ego ſi bonam famam mihi ſervaſſo, ſat ero dives.

Dies noctesque bibitur, eſtur, neque quiſquam parſimoniam adhibet. ſagina plane eſt.

Si ſummo ego Iovi argento iſto ſacrificaſſem.

Quid opus eſt ſpeculo tibi, quæ tute ſpeculum es maximum. Capillus ſatis compoſitus eſt commodè.

Vbi tu commoda es, capillum commodum eſſe credito. Quid ceruſſâ opus? quî malas oblinam.

Vnâ operâ ebur atramento candefacere poſtulas.

Novâ pictura vis interpolare opus lepidiſſimum.

Non iſthanc ætatem oportet pigmentum ullum attingere, neque ceruſſam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam.

Nimis ego velim lapidem, quî ego illi ſpeculo diminuam caput. *Ornatrices, quæ capillum alicui adornabant. ſic* ciniflones & cinerarios *adhibebant. Vide hunc locum in PL. Boxh.*

Ecaſtor.

Ecastòr, mulier rectè olet, ubi nihil olet.

Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt. quæ se unguentis unctitant.

Vbi se sudor cum unguentis consociavit, ilico ididem olent, quasi cum una multa jura confundit cocus.

Quid oleant, nescias, nisi id unum, ut male olere intelligas.

Amator meretricis mores sibi emit auro & purpurâ.

Purpurâ ætas occultanda est: aurum turpe mulieri.

Pulchra mulier nuda erit, quam purpurata pulchrior. *Non quod aurum turpe mulieri; sed deformitatem & turpitudinem auro ejusmodique ornamentis occultare turpe est mulieri.* Boxh.

Nequicquam exornata est bene, si morata est male.

Pulchrum ornatum turpes mores pejus cœno collinunt.

Nam si pulchra est, nimis ornata est.

Bene inter nos ratio accepti & expensi convenit. Tu me amas, ego te amo.

Sc. 4.

Ecquid tibi videor, mamma, madere? *quasi dicat: non videor tibi, tanquam puer, adire matrem, mamma sugendi & pappandi gratiâ? nam fons ille sanctissimus corporis, humani generis educator,* h. e. *mamma, nutrices & matres vocantur.* Lambin. *Numquid tibi, ô Mamma mea, videor esse ebrius? sic* Pareus.

Si cades, non cades, quid cadam tecum. Madet homo.

CAP. XXI. *Act. II. Sc.* I.

O *Ccidit* spes nostra. nunquam stabulum est confidentiæ. *hoc est, locus tutus, & asylum quasi.*

Nec salus jam nobis saluti esse, si cupiat, potest.

Vbi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri,

Isti, qui hastis trium nummorum causâ subeunt sub falas? ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent? *Milites audacissimos intellige, non parasitos ignavos, ut aliqui putant. Hi enim modico pretio conducti, præsentissima pericula subire non reformidant. Illos verò* Plagipatidas *ostendit onustum vulneribus corpus. Illi* ferritribaces *, dum ferrum suum terunt in hostili corpore, & hostile teri in suo, fortiter patiuntur.* Tres nummi *hîc tres asses, ad stipendium militare diserta allusio Comici servi irridentis, quod tam pusillo pretio* falas*, id est turres ligneas & castella, hastis aliquot configendi subirent.*

Miserum est opus, demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet,

Iam ego, hercle, vos pro matulâ habebo, nisi mihi matulam datis. *id est, permejam vos, sive etiam, immejam. Catull. Qui ipse sui nati minxerit in gremium.*

Hei mihi, quam isthæc blanda dicta quò eveniant, madeo metu.

Clavem mihi harunce ædium Laconicam jam jube efferri intus. *Laconicæ claves erant, quæ intus aperiebant, aut forinsecus claudebant. quæ aliàs* clausa clavis *dicitur.* κρυπτὴ κλεῖδες *Aristophani. Videntur ita vocatæ, quod impactæ claustris vix apparerent.*

Pluma haud interest, patronus an cliens probior fiet homini, cui nulla in pectore audacia est. *Alii legunt proprior. sed parum refert, proprior, id est, convenientior.*

Facturus, ut capite obvoluto fugiat cum summo metu. *caput enim operiebant in turpi re deprehensi. in reb. desperatis.* Horat. 2. Sat. 3. *Nam male re gestâ, cum vellem mittere operto me capite in flumen.* Liv. 1. Ann. *I, lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito.*

Pultando pedibus pene confregi hasce ambas fores.

Aedes

Aedes ne attingite. tangite vos quoque terram. *genus quoddam venerationis erat & superstitionis, terram tangere. sed in illis reb. tantum quæ ad mortuos aut deos inferos pertinent.* Macrob. *cum tellurem dicit, manibus terram tangit.*

Sc. 2.

Scelus, inquam, factum est jam diu antiquum & vetus. *Antiquum est, quod patrum memoriam excessit; ante ævum quasi.* Vetus, *quod jam habet ætatem.* Vetus vinum, *id est, anni prioris. sed varie quoque usurpantur. sic dicimus: apud veteres sic usus, vel apud antiquos.*

Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit. *In vel ad potest addi. Sic Editio Pareana.*

Quia præmature vitâ careo. *id est, quia non naturali morte exstinctus.*

Sceleſtæ hæ ædes, impia est habitatio.

Quæ hîc monstra fiunt, anno vix possum eloqui.

Guttam haud habeo sanguinis. Vivum me arcessunt ad Acheruntem mortui.

Pax mihi est cum mortuis.

Act. III. Sc. 1.

Sceleſtiorem ego annum argento fænori

Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit. Argentum fœnori *dicitur, quod datur in fœnus, id est, argentum ad fœnus.* Argento fœnori, *id est, argento, quod ad fœnus datur magis incommodum, & ineptum tempus.* Salmas.

Nunc pol perii plane in perpetuum modum.

Nihil est miserius, quam animus hominis conscius.

Tam facile vinces, quàm pirum vulpes comest.

Metuo ne technæ meæ perpetuo perierint.

Qui mihi neque fœnus, neque sortem argenti danunt. *Sors summa & caput illius pecuniæ, quæ con-*

fertur in societatem , ut inde lucrum fiat.Hinc consortes *&* consortium. Sors *dicitur qualibet pecunia, cui accedunt usura.* Mart. *l.* 5.43. *Dibitor argentum pariter cum sorte negabit.*

Næ ego homo sum miser, ita & hinc & illinc mihi exhibent negotium.

Salvere jubeo te, mi Saturides, bene. *Alii legunt* Misargyrides, *quasi* argenti-odium, *qui ita lucellum inhiaret, ut vel os sibi verberari pugnis facile pateretur, modò argenteis. per* antiphrasin *igitur osor argenti.*

Pilum injecisti mihi. *Cic. quam te securim injecisse putas petitioni meæ.* id est, *impedimentum.* idem pro Planco. *Infligere Reip. securim* h.e. magno malo eam efficere. Lips.

Nescit quidem nisi fænus fabularier veterator.

Iam homo in mercaturâ vortitur. *versatur, propriè in mercaturâ vorti dicitur, qui mercaturam exercet. Hinc* versura, & Vertumnus, *deus invertendarum rerum, hoc est, mercatura.*

Speculo claras, clarorem merum. *id est, ades ità claras tamque politâ & nitida facie emit, ut cum æquore & planicie speculi possint comparari.* clarorem merum, *id est, æque claras, atque ipse claror clarus est.*

Talentis magnis: Sed arrhaboni dedit quadraginta minas. *arrhabo vel* arrha, *quod emptionis nomine datur, ut constet fides de pretio, quod convenerit. Quid sit* talentum, magnum, Atticum, Aegyptiacum vide *Boxh. Plaut. hoc loco.*

Absolve hunc, quæso, vomitum, ne hîc nos enicet.

Nullum est, edepol, hodie genus hominum tetrius

Nec minus bono cum jure, quam Danisticum.

Calidum hercle audivi esse optimum mendacium.

Quicquid dei dicunt, id rectum est dicere. *Vomitus convitium est in homines impuros.* Calidum mendacium

dacium *interpretatur Lamb. quod non est cogitatum, sed ex tempore natum.* Quicquid dii dicunt, *quicquid dubitanti ex tempore suggeritur ; Deorum instinctu id suggeri credebant veteres* Boxhorn.

Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.

Dii te deæque omnes funditus perdant.

Dum mihi senatum consilii in cor convoco.

Sc. 2.

Melius anno hoc mihi non fuit domi,

Nec quando esca una bene meruerit magis.

Prandium mihi uxor perbonum dedit. *id est, nec unquam fuit, quando una esca mihi magis profuerit, quam hodie.*

Non bonus somnus est de prandio. *Veteres somnum leviusculum æstivo tempore meridie capiebant. Varro,* somnum insititium, *pulchrè appellat.*

Si quis dotatam uxorem domi suæ habet,

Neminem solicitat sopor.

Vt homines sunt, ita morem geras.

Vita quam sit brevis, simul cogita.

Musicè, hercle, agitis ætatem.

Ita nunc ventus navem nostram subitò deseruit.

Velim ut Velles. *Formula est, qua precari fausta omnia soliti.*

Nihil moror mihi ejusmodi clientes.

Tam liquidus est, quàm liquida esse tempestas solet. *turbare & liquare sunt contraria. sic in hac* Comœd. act.2. 1. *Efficiam, quæ facta hîc turbavimus, profectò ut liqueant omnia & tranquilla sint. sic liquidus æther opponitur turbido. Liquidum auspicium quoque dicimus, & liquidùm animum.*

Muliones mulos clitellarios habent, ego homines habeo clitellarios. magni sunt oneris : quicquid imponas, vehunt.

Simul flare sorbereque haud facile. *Cic. duas res magnas præsertim, non modò agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest.*

Sibi quisque ruri metit. si malè emptæ forent, nobis istas redhibere haud liceret.

Lucri quicquid est, id domum trahere oportet. *Redhibitum id propriè dicitur; quod redditum est improbatumque ei, qui dedit, itemque rursus coactus est habere id, quod ante habuit.* Festus.

Non enim hæc pultifagus opifex opera fecit barbarus. *intellige* Pœnum. *qui ligneario opere clari. Hinc* Lecti Punici. Fenestræ Punicanæ. Torculare Pœnicum. & coagmenta Punicana, *apud Varronem. quæ fideliter hærebant. Cum igitur Plautus velit dicere, quod ædium postes hiarent, dicit non factos esse à Pœno fabro.* Coagmenta *dicta sunt conjunctiones arcta & compares, à cogendo.* Pultifagus opifex barbarus, *accipe de Romano opifice. Romani enim veteres ut plurimum pulte usi.* Salmas.

Nihil periculi est, age, tam placida est, quàm est aqua.

Mane sis: videam ne canis. *sc. sit aliqua mordax in introitu, quæ domus custos in te ignotum sæviat, quem Seneca* canem cathenarium *appellat, ut sibi caverent, qui domum ingredi vellent, inscriptum erat januæ longis literis,* CAVE CANEM.

Sc. 3.

Nunquam edepol me scio vidisse usquam ablectas ædes, nisi modo hasce. *Ablegmina sunt partes, quæ diis projiciebantur, quæ propterea dicebantur* Proficiæ & profecta, *tanquam separata quædam à reliqua visceratione. Hinc* Ablegere, *quod Gr.* ἀπολέγειν. Ablectæ ædes, *quasi derelicta.*

Bene res nostra collocata est isthoc mercimonio.

Exercent sese ad cursuram. *h. e. fugiunt.*

CAP. XXII. *Act. IV. Sc.* 1.

Servi, qui cum culpâ carent, tamen malum
Metuunt, hi solent esse heris utibiles.

Nam

Nam illi, qui nihil metuunt, postquam sunt malum

Meriti, stulta sibi expetunt consilia.

Faciunt à malo Peculium, quod nequeunt facere de suo. *h. e. è verberibus mali thesaurum colligunt.* Pareus. Apulejus : *nisi nos putetis as de malo habere. Vbi* æs de malo, *furtis, latrociniis, fraudibusque partum sign.* De malo enim peculium, *vocat offerumentas & vibices è verberibus. quia* dare malum, *est, verberare & plectere.*

Peculii sui prodigi plagigeruli. *id est, qui non servant tergum suum à loris sartum ac tectum.* proprie *quoque intelligi potest, quod sc. peculium in lustra profundant.*

Castigabit eos bubulis exuviis. Postremo minoris pendo tergum illorum, quam meum.

Sc. 2.

Tace, sis, faber, qui cudere soles plumbeos nummos. *id est, nequam es, cum speciosis dictis hero tuo persuaseris te esse frugi servum.* Aeratos obulos, *Plautus vocat Græcorum* χαλκοῦς *&* κολλύβους, *quosvis parvi pretii nummulos.* Tales *etiam Romanis,* Lupini & plumbei *illi nummi.*

Abstine jam sermonem de istis rebus. Daphiles sumptus facit.

Is vel Herculi conterere quæstum posset. *dicitur in prodigum. Herculi decimæ voveri solent.*

Amburet misero ei corculum carbunculus. *hoc est, mœrore conficietur & contabescet.*

Sc. 3.

Promisi foras, ad cænam ne me te vocare censeas. *ne spem tibi facias cœnæ nostræ. ipse alio jam condixi.* promisi foras, *valet idem, quod, promisi,* me iturum foras.

Ludificatus me est hodie in perpetuum modum.

Act. V. Sc. I.

Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit. *naucum seu nauci est illud, quod in olea nuceque intus est. sive rerum omnium putamen. aliqui putant esse fabæ granum, quod hæret in fabæ hilo. aliqui nucis juglandis medium dissepimentum. Alii ex γαὶ καὶ ὄχι contractum judicant.*

Quibus res timida aut turbida est: pergunt turbare usque ut ne quid possit conquiescere.

Non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum: mittam lineam. dissimulabo me horum quicquam scire. *Tranionem sc. captabo, ut piscem, missâ lineâ. Est a. hoc loco linea, illud linum, cujus extremo hamus annexus est.* Seneca: *sentit tremulos linea pisces.*

Cujus ego hic ludificabo corium, si vivo, probè. *id est. Tergum flagris & loris variabo.*

Alter hodie Athenis nemo doctior dici potest.

Verba dare illi non magis hodie quisquam, quàm lapidi potest.

Nescis tu, quam meticulosa res sit ire ad judicem?

Nimio plus sapio sedens. Tum consilia firmiora sunt de divinis locis. *Romanus sedendo vicit: & sedendo prudentiores efficimur, inquit ille. subest jocus. Et illi, qui aram occuparant & deos venerabantur & precabantur, sedebant. judex cum debeat animo esse, sedato, & convenit etiam esse corpore. quod fit maximè, si sedeat. Senatus apud Rom. plerumque habitus in templis deorum. sic in æde Concordiæ; in templo Iovis Capitolini, Honoris, Pacis, &c. Reges quoque in templis sedentes Civib. jura dabant & legatos ad se missos audiebant.*

Cerebrum quoque omne è capite emunxisti meum.

Omnia malefacta vestra repperi radicitus.

Non radicitus quidem, hercle, verum etiam eradicitus.

Iam

Iam jubebo ignem & sarmenta, carnifex, circumdari. *Ab ara neminem licebat vi abripere. ut tamen arceretur inde, admovebant ignem, atque ita non ab hominibus, sed à deo* (Vulcano) *amoveri credebantur.* Vide plura hoc loco in PL. Boxh.

Sc. 2.

Vbi somnum sepelivi omnem, atque edormivi crapulam. *ἀκραιπαλα sunt quæ crapulæ medentur. ut & ἄδιψα, quæ sitim pellunt.*

Sapere isthac ætate oportet, qui sunt capite candido.

Elixus esse, quam assus, soleo suavior.

Malum cum impluat cæteris, non impluat mihi.

Libet cavere malam rem prius, quàm ut meum tergum exsinceratum fiat. *ut porro evitem verbera, atque ita, si huic ori imperabo silentium, tum demum probe tutus ero.* Pareus.

FINIS MOSTELLARIÆ.

M. ACCI PLAUTI

MENÆCMEI.

JANUS DOUSA.

MENÆCHMUS *pariter & lepore simul, & varietate delectat.*

JANUS GUILIELMIUS.

MENÆCHMI *& festivissima, & erudita varietatis plenissima est Fabula.*

CAMERARI

Argumentum.

Hæc fabula de similitudine duorum Fratrum nascitur. nam Syracusanus quidam cum ex sua uxore geminos suscepisset liberos, inter se simillimos; & unum ex his abductum secum ad mercatum amisisset: alter non resistendum putavit, dum requisitum illum inveniret. Venit tandem Epidamnum, quæ Illyriæ urbs Durachium à Rom. appellata. ibi & ab amicâ, & uxore, & socero fratris appellatur, quasi ille ipse esset. Tandem post multiplices ludificationes & nonnullas turbas, agnoscitur uterque à servo: & re palam factâ servus libertate donatur.

ELE-

ELECTA PLAVTINA.

Ex

MENÆCMEIS.

CAP. XXIII.

PROLOGVS.

N*Vnc* argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo. *id est, non parcè aut restrictè, sed copiose & abundanter.* Horreum, *ab horrore, quasi horridum, propter asperitatem aristarum.* Varro *ab* hordeo *putat venire, ut à farre* farreum. Horreum pensile, *repositorium sublime & editum.*

Nunc in Epidamnum redeundum est mihi,
Vt hanc rem vobis examussim disputem. *Alludit hîc ad pedes carminum.*

Eventus nomen fecit Peniculo mihi.

Act. I. Sc. 1.

Ideo, quia mensam, quando edo, detergeo. *Peniculus est spongia oblonga, caudæ similis, quâ mensas detergebant.*

Homini misero si ad malum accidit malum,
Major lubido est fugere, & facere nequiter.
Quem tu asservare rectè, ne aufugiat, voles,
Escâ atque potione vinciri decet.
Apud mensam plenam homini rostrum deliges,
Dum tu illi, quod edat, & quod potest, præbeas.
Nunquam edepol fugiet, tametsi capital fecerit.

Facite asservabis, dum eo vinculo vincies.
Ita isthæc nimis lenta vincla sunt escaria;
Quam magis extendas, tanto adstringunt arctius.
Nam illic homo homines non alit, verum educat
Recreatque. *Nonius*: alere *est victu cultuque temporali vitam sustentare.* Educare, *ad satietatem perpetuam educere.* Recreare *plus, quam alere.*
Nullus melius medicinam facit. Ita est, adolescens escæ maximæ. Cereales cœnas dat, ita mensas exstruit. tantas struices, concinnat patinarias;
Standum est in lecto, si quid de summo petas. *nullus est medicus qui præsentiorem medicinam faciat ægris, quàm Menæchmus meo gutturi gaudium.* Cereales cœnæ, *sunt optimæ & maximæ opimæ. nam festis Cerealibus genio plus solito indulgebant.* Struices *antiqui dicebant rerum omnium exstructiones. sic Livius,* Struices saxeas, *dixit. sic* Struix malorum. Struere *pro adjicere, augere utebantur. Cocus quoque* Structor *dicitur.* Iuvenal. *Qui fercula doctè componat.*

Sc. 2.

Domi domitus fui usque cum caris meis.
Nam neque edo, neque emo, nisi quod est carissimum. *Videtur alludere ad liberos, qui cari dicebantur, sed Parasitus hîc alios intelligit caros*, sc. cibos, *quos ideo* caros suos *appellabat, quia nullos ederet aut emeret, nisi qui essent carissimi.*
O mea commoditas, ô mea opportunitas!
Teneo dextrâ genium meum. Non potuisti magis per tempus advenire.
Commoditatis omnes articulos scio.
Nunquam tu vidisti tabulam pictam in pariete,
Vbi aquila Catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum? *id est*, Ganymedem. *sic enim Latini illum*

lum nominarunt: quem Poëta finxerunt Iovem. vide hoc loco PL. Boxhor.

Ecquid assimulo similiter?

Clam uxorem ubi sepulchrum habeamus, & hunc comburamus diem. *mortuo sc. & exacto die Genium curemus, & epulemur. nam* mori diem *dicebant.* Statius: *Iam moriente die rapuit me cana benigni Vindicis. Ita* ex morte & sepulchro diei, *tempus cœnandi intellexit. quasi cœna sit* diei bustum *& sepulchrum.*

Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus. *id est, inclinatus in tempus pomeridianum dies: igitur comburendus. Ad umbilicum, hoc est, ad mediam partem.*

Captum est collegium augurum. *Augurium, quasi avigarrium.*

Summum me olfactare oportet vestimentum muliebre:

Nam ex isthoc loco spurcatur nasum odore illutibili. *roganti Menæchmo, ecquid divinare posset. Egone, inquit; non ipsum collegium augurum melius conjecturam fecerit.* Nasum *pro nasus posuit. per* summum vestimentum *intellige summam pallæ partem.* Inelutibili. *hoc est, qui odor elui ne lavando quidem possit?* Lutus, *pro lotus.*

Inde usque ad diurnam stellam crastinam potabimus. *id est, Luciferum. Sic Hesperum & noctiferum dicimus.*

Mille passuum commoratus cantharum. *hoc est, mille passuum spatio ac mora. Sive, tu à bibendo nos remoraris, quantum est spatium mille passuum.* SALMAS.

Sc. 3.

Extra numerum es mihi. Idem isthuc aliis adscriptitiis ad legionem fieri solet.

Ego isthic mihi hodie apparari jussi apud te prælium.

In

In eo uterque pro Ilio potabimus. uter ibi melior bellator erit inventus cantharo. *Extra numerum idem est, quod* numero, pretio, loco. *esse aliquo vel numero, vel nullo*, esse extra numerum aut pretium *significat*. Adscriptivi *dicti, quod olim adscribebantur inermes, qui succederent armatis militibus, siquis eorum deperisset*. vide plura hoc loco PL. Boxh. Prælium *dixit, significans prandium, manens in allegoria metaph.*

Meretrix tantisper blanditur, dum illud, quod rapiat, videt.

Iam oportebat nasum abreptum mordicus.

Ad mendicitatem se properent detrudere.

Iube igitur scitamentorum aliquid de foro obsonarier, Glandionidam suillam, laridum, peroninidem, aut Synciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum. *scitamenta sunt* sciti cibi. *aliqui putant scitamenta dici* à ciendo, *sc. appetitum. Est cibis & condimentis etiam suus ornatus. Hinc* citi cibi, *sive* sciti, *faceti h. e.* ornati cibi. Peronidem, *pro pernis posuit.* Glandionidam, *pro glandiis.* Polimenta porcina, *id est, testiculos porcorum, &c.*

Madida quæ mihi apposita in mensam, milvinam suggerant. *veteres*, madere, *pro coquere usurparunt. Virg. Et quamvis igni exiguo prop. mad. id ex eo, credo, quod plerunque quæ cocta sunt, madescere solent. Milvina suggeri debet inprimis madidis & ebriis. Quæ milvinam* ὄρεξιν, *& appetentiam mihi suggerant, id est, vehementem. à milvi rapacissima & semper famelica avis natura desumptum.*

Act. II. Sc. I.

Nulla est voluptas navitis major, meo animo; quam quando ex alto procul terram conspiciunt.

Major, si adveniens terram videas, quæ tua est.

Mare superum omne, Græciamque exoticam. *vide de hoc Boxh. PL. hoc loco.*

Si

Si acum, credo, quæreres, acum invenisses.
Hominem inter vivos quæritamus mortuum.
In scirpo nodum quæris. *Satis notum proverb.*
Dictum facessas doctum, & discaveas malo.
Viaticati hercle admodum æstivè sumus. *hoc est, admodum leviter. Veteres habuere æstivas vestes leviores*, & *hybernas crassiores. Hinc* æstivè viaticatus *dicitur, qui leve viaticum habet.* Levi viatico nihil esse gravius, *festivè dixit Sidonius Apollinaris.*
Nam ita est hæc hominum natio Epidamnia,
Voluptarii atque potatores maximi;
Tum Sycophantæ & palpatores plurimi.
In urbe hac habitant. tum meretrices mulieres
Nusquam perhibentur blandiores gentium.
Propterea huic urbi nomen Epidamno est inditum.
Quia nemo fermè huc sine damno divortitur.

Sc. 2.

Bene obsonavi, atque ex meâ sententiâ.
Bonum anteponam prandium pransoribus.
Quibus hîc pretiis veneunt sacres sinceri? *id est, porci sacri. sc. puri & integerrimi, ad sacrificium idonei. Hi Laribus immolabantur, ab iis, qui piaculum aliquod admiserant. aut qui insani fuerant. imò etiam, quib. aucta erat Liberorum prole familia.*
Qui tibi sæpe cyathisso apud nos, quando potas. *κυαθίζω, οἰνοχοῶ. isti pincernæ dicebantur* Pocillatores servi, *&*, ad cyathos. *Quibus convivæ subinde dicebant, πλεῖν κίρνα, misce ut bibam.* Scaliger.
Dum egò hæc appono ad Vulcani violentiam.
Nunc in isthoc portu stat navis prædatoria,
Abs quâ cavendum nobis sanè censeo. *sc. meretrix Erotium. pulchra comparatio.*
Asservatote hoc sultis navales pedes. *Intellige servos remiges, qui in navi loco pedum sunt.* Turneb.

Sternite

Sternite lectos, incendite odores :

Sc. 3.

Munditia illecebra animo est amantum.

Amanti amænitas malo est, nobis lucro est.

Meret, potissimus nostræ domi ut sit. *Amator potissimus, qui primas partes apud amicam habet.*

Nam ecastor solus benefactis tuis me florentem facias.

Folia nunc cadunt. præ ut triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.

Nam ita sunt hic meretrices omnes illecebræ argentariæ.

Delicias facis. *interdum deridere sign. interdum facere nequiter.* id est, *indulgere libidini.*

Quis est iste Peniculus? qui extergentur baxeæ? *Jocus in voce peniculi, qui & parasitus erat; & spongia oblonga caudæ similis, quâ, præter cætera, baxeæ etiam extergebantur. sunt a.* baxeæ *calceamenti genus. Sunt item crepidæ,* ἀπὸ τῆς βάξεως, *sed philosophis inprimis attributæ.*

Certè hæc mulier cantherino ritu hic astans somniat. *nam & somniare, somnia est videre inter dormiendum. dormiunt a. equi plerunque stantes; tamen cantherii magis. qui quod castrati sunt, placidiores & magis somniculosi. somniare quoque delirare nugasque effutire valet.*

Quam tu nunc mihi navem narras? ligneam, Sæpe tritam, sæpe fixam, sæpe excussam malleo. quasi suppellex pellionis, palus palo proximus est. *Obscœnam significationem hæc habent.*

CAP. XXIV. *Act. III. Sc.* 1.

Dii omnes illum perduint, qui primus commentus est concionem, hacreque homines occupatos occupat.

Non ad eam rem otiosos homines decuit deligi?

Qui

Qui nisi assint, cum citentur, census capiant ilicò. *Qui in senatum non venerat, pignoribus captis mulctabatur: ita qui non venerit in concionem, eum pignoribus captis coërceri vult parasitus. sed pignora capere dixit census capere.*

Affatim est hominum, qui indies singulas escas capiunt. *Scaliger dici de iis vult, qui omnia soli comedunt. Alii de illis, qui semel tantum de die edunt. ac cœnam tantum non prandium capiunt.*

Qui esum neque vocantur, neque vocant, Eos oportet concioni dare operam atque comitiis.

Sc. 2.

Minore nusquam bene fui dispendio. *Id est, nusquam tam bene & opiparè acceptus fui, minoreque dispendio.*

Quid ais, homo levior quàm pluma, pessime & nequissime, flagitium hominis, subdole ac minimi pretii?

Fecisti funus absenti me prandio. *hoc est, sepelivisti, me absente, prandium. idem quod consumpsisti.*

Cur ausus facere, cui ego æque ac hæres eram? *quasi diceret: ego æque ac tu prandii istius dominus eram. Sed tu me coherede solus prandio funus fecisti.*

Occisa est hæc res. *id est, perit hoc negotium.*

Væ capiti tuo! omnes cinædos esse censes, quia tu es?

Omnes in te isthæc recident contumeliæ.

Sc. 3.

Inaures da mihi faciundas pondo duûm nummûm stalagmia. *Est monile, quod aurium lobis inseritur. à gutta similitudine. σταλαγμὸς Græcè gutta.*

Ego manupretium dabo. *Varro, quod manu factum erat, & datum pro eo. manupretium à manu & pretium.*

Hoc

Act. IV. *Sc.* 2.

Hoc utimur maximè more moro,
Molestoque multum. *mos morus, id est, stultus.*

Boni ne, an mali sint, id haud quæritant. res magis quæritur.
Si est pauper, atque haud malus, nequam habetur.

Qui aut fœnore aut perjuriis rem partam habent.
Nihil equidem paveo: nisi unum, palla pallorem incutit.
Ego equidem non usquam quicquam nutoneque nicto tibi.
Tu, tu isthic, inquam, vin' afferri noctuam;
Quæ Tu, Tu, usque dicat tibi? *Hic alluditur ad vocem noctuæ*, tu, tu. *noctua propriè tutubat.*
Mulierem æquum est vestimentum muliebre
Dare fotas, virum virile.

Sc. 3.

Vt etiam in Oculos compingite. *Compingere quid in aliquem locum simpliciter dicimus. in oculis aliquem ferre. oculissimus, h. e. dilectissimus.*
Mutire unum verbum audes?

Act. V. *Sc.* 1.

Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graji esse prædicabant? *Græci Hecubam velut canem insectari lapidibus solebant, quia in obvium quemque è Græcis maledicta ingerebat. propterea fingitur in canem conversa.* Iuvenal. *sed torva canino Latravit rictu, quæ post hunc vixerat, uxor.*

Sc. 2.

Consitus sum senectute: onustum gero corpus: vires

vires reliquere. ut ætas mala malo merx est tergo! nam res plurimas pessumas, cum advenit affert. *Terent, annis obsitus. Virg. ibat rex obsitus ævo. Obsitus pro pleno accipitur, quod locus frugibus obsitus, plenus sit.* Turneb.

Loquere paucis. non longos logos. *Logi sunt sermones, vel dicta ridicula, & nugæ.*

Inter ancillas sedere jubeas, lanam carere. *Varro à carendo, quod lanam tum purgant ac deducunt, ut careat spurcitiâ. Vide plura in PL. Boxh.*

Viden' tu illi oculos virêre? ut viridis exoritur color ex temporibus atque fronte! ut oculi scintillant! *Virere idem, quod lucere. & sic flamma virens, &c.*

Vt pandiculans osculatur,

Ita me illa ab lævâ rabiosa fæmina observat canis.

Apollo mihi ex oraculo imperat, ut ego illi oculos exurã lampadibus ardentibus. *pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur: eo quod pandi fiant.* Oscitatio, *est oris citatio & diductio.* Evoe, Evie, Bromie, *sunt Bacchi nomina: quæ Menæchmus hic adhibet, quia se bacchari & furere simulat.*

Vt ego hujus membra, atque ossa, atque artua comminuam illo scipione. *pro artus, artu: unde artua.*

Securim capiam ancipitem, atque hunc senem exossabo, dein' dedolabo assulatim viscera. *id est, minutatim. dicuntur quoque* assulæ marmoreæ: *ex marmore, dum caditur, excussa.*

Facite inflexa, assit pedum pernicitas. *melius si dixeris: Facite inflexu pedum sit pernicitas. pernicitas equorum maximè in flexu consistit.*

Sc. 3.

Lumbi sedendo, oculi spectando dolent, manendo medicum.

Ait

Ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium.

Nunc cogito utrum me dicam ducere medicum, an fabrum. atque eccum incedit, movet formicinum gradum. *gloriosus hic introducitur medicus: quasi dii ipsi medico opus habuerint. Formicarum gradus minutissimus est ac spississimus, atque ideo tardus, Sic Catullus dixit*, incedere myrmice.

Sc. 4.

Num larvatus aut cerritus? num eum veternus aut aqua intercus tenet? *Larvati, sunt furiosi, quasi larvis & spectris exterriti. de cerritis antea diximus in Amphitr. vide indicem.*

Sc. 5.

Quem ego hominem, si quidem vivo, vitâ devolvam suâ. *à Parcarum fusis aut stamine videtur sumptum.* Virg. 4. Georg. *Carmine quo captæ, dum fusis mollia pensa Devolvunt.*

Non potest hæc res ellebori jugere obtinerier. *Horat. Nanciscetur enim nomen pretiumque Poëtæ, Si tribus Anticyris caput insanabile, nunquam Tonsori Licino commiserit. In insulâ Anticyrâ multum nascitur ellebori, quo sumpto dementes sanantur.*

Album, an atrum vinum potas? quin tu me interrogas, purpureum panem, an Puniceum soleam ego esse, an luteum? Soleamne esse aves squammosas, pisces pennatos?

Quid cessas dare potionis aliquid, priusquam percipit insania? *id est, penitus capit.*

Solent tibi unquam oculi duri fieri? *oratio medici. eorum enim corpora, quos atra bilis vexat, fieri solent extrinsecus duriora.*

Quid? tu me locustam censes esse, homo ignavissime? *Locusta palpebris carent. Ideo oculos habent duriores.*

Vbi satur sum, intestina nulla crepitant: quando esurio, tum crepant.

Per-

Perdormiſco, ſi reſolvi argentum, cui debeo.

Etiam me junctis quadrigis minitatus proſternere.

Ob eam rem in carcerem te compactum eſſe ſcio, & cæſum virgis ſub furcâ. *Non ſemper ad mortem caſi.* Lipſ.

Elleborum potabis, faxô, aliquos viginti dies.

At ego pendentem te fodiam ſtimulis triginta dies.

Sc. 6.

Tergum, quam gulam, crura quam ventrem oportet potiora eſſe, cui cor modeſtè ſitum eſt, *id eſt, cui animus modeſtè affectus eſt.*

Detur ab ſuis heris, ignavis, improbis

Viris; verbera, compedes, molæ, magna

Laſſitudo, fames, friguſque durum:

Hæc prætia ſunt ignaviæ.

Nam magis multò patior facilius verba, verbera od.

Nimioque edo libentius molitum, quam molitum præhibeo. *hoc eſt, nimio libentius edo, quod alii ſervi in piſtrinâ miſero labore moluerunt, quam ego aliis id, quod moleſtè moluerim, edendum prabeo.*

Servi, qui culpâ carent, & metuunt; ii ſolent eſſe heris utibiles,

Sc.

Dici, ut imperium meum ſapienter habeatis curæ.

Vos veſtra latera, aut crura nihili penditis.

Hiſce ego jam ſementem in ore faciam, pugnoſque obſeram,

Hodie nunquam ad ſolis occaſum viverem. Quid me vobis tactio eſt?

Tua eſt imago: tam conſimilis eſt, quam poteſt.

Sc. 9.

Spem inſperatam date mihi, quam ſuſpicor.

Ego

Ego hominem homini similiorem nunquàm vidi alterum.

Neque aqua aquæ, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius, quàm hic tui est, tuque hujus.

Sed, meliore est opus auspicio, liber perpetuo tuo ut siam. *Lipsius lib. 13. ad Tacitum, Libertas seu manumißio est duplex: Iusta; non justa. Iusta, quæ vindictâ, censu, testamento data. Non justa, quæ inter amicos, convivas; per epistolam. Iusta illa qui manumißi, planè pleneque liberi: qui altera, vinclo adhuc quodam attinebantur servitutis. Plura hoc loco in PL. Boxh.*

FINIS MENÆCHMORUM.

M. ACCI

M. ACCI PLAUTI
MILES GLORIOSUS.

JANUS DOUSA

NOn ultimam sanè inter Plautinas Fabulas gloriam jure suo Miles Gloriosus meretur. nam præterquam, quod tota sale, lepore, politissimisque sententiis efferta; graphice in ea insuper nobis Vanitatis imaginem sub Pyrgopolinicis persona adumbravit Poëta: eos innuens, qui se primos omnium rerum esse volunt.

CAMERARIUS.

Hæc Fabula est pictura imperitæ Superbiæ.

Argumentum.

Miles gloriosus Pyrgopolinices, ostentator vanus, qualis apud Terent. Thraso, avexerat amicam adolescentis. hoc factum, indicare, hero absenti dum servus vult, capitur à piratis, & illi eidem militi forte dono datur. statim agnoscit mulierem servus, &c.

ELECTA PLAUTINA

Ex

MILITE GLORIOSO.

CAP. XXV.

Act. I. Sc. 1.

CVrate, ut splendor meo sit clypeo clarior,
Quam solis radii esse olim, cum sudum est, solent: ut ubi usus veniat, contra conserta manu oculorum præstringat aciem in acie hostibus. *Olim est adverbium, omnium horarum & temporum. Fortè hic* coilum *legendum, pro cœlum, sic proilum, pro prælium veteres.* κοῖλον, *cavum: quasi cavum sit cælum. Alii à cælando, quod stellæ in eo quasi cælata. nonnulli à celando, quo celet ac tegat omnia.* Præstringat aciem. *vel à præstigiatoribus, vel à tironibus qui ignari & rudes pugnæ, etiam vano armorum sonitu terrentur, præstrictis luminibus.*

Cujus tu legiones difflavisti spiritu,
Quasi ventus folia, aut panniculam tectoriam. *vento tamen hoc non sic facile, sive peniculus ex setis porcinis, sive ex pilis caudæ equinæ. Aliqui igitur Paniculam tectoriam legunt, in tectoriis enim admiscebatur lanugo arundinum Vide CL. Salmas. hoc loco.*

Facetè advortis animum tuum ad animum meum.

Ne dentes dentiant. *dentes esuritorum dentire dicuntur. ut enim pueri dicuntur dentire, cum iis primum oriuntur: sic quibus cessant à terendo cibo, quia non deteruntur, grandescere videntur, atque dentire.*

Com-

Communicabo te ſemper menſâ meâ.

Ni hebes machæra foret, uno ictu occideres.

Næ illæ ſunt fortunatæ, quæ cum iſto cubant!

Nimia eſt miſeria, pulchrum eſſe hominem nimis.

Vt in tabellis conſignavi hîc heri latrones. *hoc eſt, milites.* ἀπὸ τῆς λατρείας. *quod ſerviant mercede.* Latrocinari, *pro militare. Et dicti Latrones, quaſi* Laterones, *quod regis lateri adſiſterent.* Duo erant *genera militum tum apud Rom. quam Græcos. Illi ſumptu ſuo militabant,* & aſſidui *dicebantur. Hi publico, atque* ærarii & Metelli *ſunt nominati.*

Act. II. Sc. I.

Mihi ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas,

Si ad auſcultandum veſtra erit benignitas.

ALAZON Græcè huic nomen eſt comœdiæ,

Id nos Latinè GLORIOSUM dicimus.

Glorioſus, impudens, ſtercoreus, plenus perjurii, atque adulterii,

Hic meretrices labiis dum ductant eum,

Majorem partem videas valgis ſaviis. *Labiis dum ductant, hoc loco eſt, vultu & ore diſtorto & valgis labiis aliquem deridere. Gellius dixit,* Labiorum ductu irridere. *Vide plura hoc loco.* Valga ſavia, *labra ſunt diſtorta. ſavia* labra *ſunt.*

Illa illum amabat contra, qui eſt amor cultu optimus.

Occœpit ejus matri ſuppalparier vino, ornamentis, opipariſque obſoniis. *Ornamenta propriè geſtamus corpore. quibus immane quantum! ineſcantur meretrices.*

Doctis dolis glaucomam ob oculos objiciemus: eumque ita faciemus, ut, quod viderit, non viderit.

Ita ſublinitum eſt os cuſtodi mulieris. Sed foris

concrepuit hinc à vicino ſene. *In Graciâ fores adium non introrſum trahendo , ſed in viam publicam pellendo aperiebantur. qui exituri erant domo ſolebant prius ; ipſimet intrinſecus aut fores adium ſuarum percutere : aut crepitu digitorum indicium facere , ut eo ſtrepitu admonerentur, qui foris erant, cavere ſibi, ut ne laderenrentur. Hinc apud PL. & Terent. toties audimus fores concrepuiſſe*, antequam quiſquis *egrederetur*.

Sc. 2.

Niſi hercle defregeritis talos. Ego veſtra latera faciam lorea. *h. e. virgis caſa & lacerata. lora enim corium in corrigias ſciſſum ſignificat.*

Vt ne legi fraudem faciant Talariæ , ut ſine talis domi agitent convivium. *Lex de luſu talorum , tunc recens lata , & quia de rebus minimis , non diu duravit.*

Ita hic ſenex talos elidi juſſit conſervis ſuis. *locatur ambiguitate Talorum , ut in antecedente. pracipue hoc vult , ut Talos ei defringant , ſi quem offenderint. ſic enim futurum , ut ſine Talis pedum ſc. convivium facere cogantur. Quod ſi fiat , nullum fore periculum, ne alter alterum in iſtâ ſortitione dominii ſive magiſterii convivialis fallat. Vide Tit. conviviorum in Elect. PL. Parei.*

Væ mihi miſeræ , cui pereundum eſt propter nihili beſtiam.

Domi habet animum falſiloquum , falſificum, falſijurium :

Domi dolos , domi delenifica verba , domi fallacias.

Domi habet hortum & condimenta ad omnes mores maleficos. *Verba delenifica, qua ad fallendum compoſita.*

Severâ fronte curat cogitans. pectus digitis pultat, cor, credo , evocaturus eſt foras. *graphica deſcriptio hominis cogitabundi.*

Ecce

Ecce a. avortit, nisus lævâ, in femine habet lævam manum.

Dexterâ digitis rationem computat, feriens femur

Dexterum ita vehementer, quod tactu ægrè suppetit.

Concrepuit digitis; laborat; crebro commutat status. Eccere a. capite nutat. non placet, quod reperit.

Quicquid est, incoctum non expromit. bene coctum dabit.

Ecce autem ædificat: columnam mento suffulsit suo.

Non placet profecto mihi illa inædificatio.

Nam os columnatum Poëtæ esse inaudivi barbaro. *Repræsentatur hoc loco ritus computandi antiquis: qui non manus tantum occupabat, sed & assumebat alias corporis partes. Veteres, inquit Beda, cum X millia significabant, medio pectori lævam supinam admovebant, digitis ad collum erectis. cum XX millia, eandem expansam pectori admovebant, &c. Vide Boxh. PL. hoc loco.*

Os columnatum. *Navium intelligit, qui tunc temporis Romæ in vinculis Triumviralibus propter maledicentiam. Hic in commentando solebat manum mento suffulcire.*

Viden' hostes tibi adesse, tuoque tergo obsidium?

Arripe opem auxiliumque ad hanc rem properè.

Intercludito inimicis commeatum, tibi muni viam, quâ cibatus commeatusque ad te & legiones tutò possit pervenire.

In regionem astutiarum mearum te induco, ut scias juxta mecum consilia.

Herus meus elephanti corio est circumtectus, non suo: neque habet plus sapientiæ, quam lapis. *Hoc animal prudentissimum, & acutissimi sensus.*

Cujus cutis qua durior est & crassior, hoc est belluæ congruentior. quo autem tenerior, eo homine magis digna, & divino ejus ingenio accommodatior.

Ad eum vineas pluteosque agam. *h. e. omnes artes adhibiturus. à re militari desumptum.*

Ibo odorans quasi canis venaticus, usque donec persecutus vulpem ero vestigiis.

Sc. 3.

Maximum in malum cruciatum insiliamus. PA. tu sali solus: nam ego istam insulturam & desulturam nihil hîc moror.

Egomet duobus hisce oculis meis hoc vidi. *Desultores qui duobus absque ephippiis equis utentes, ex uno desiliebant, & in alterum mirâ celeritate insiliebant. Hinc* desultoria levitas. & desultorius. *qui inconstans, & instabilis.*

Tuis cruribus capitique fraudem capitalem creas. *h. e. vitæ extremum periculum. Veteres quoque* fraudem *pro pœnâ posuerunt.*

Quis magis diis inimicis natus & iratis, quam ego!

Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.

Non ego possum, quæ ipsa sese venditat, tutarier.

Nonne tibi istam prætruncari linguam largiloquam jubes?

Mirum est lolio victitare te, tam vili tritico.

Tum mihi manus sunt inquinatæ. PA. Quia ludo luto. *hoc est, proinde est, ac si ludam luto. tu enim homo lutulentus es: qui enim lutum tractant manibus inquinantur.*

Ego quidem meos oculos habeo, nec rogo utendos foris.

Eundum tibi actutum extra portam.

Sc. 4.

Dispessis manibus patibulum cum habebis. *Mertiam*

tiam portam, quæ eadem cum Esquilinâ intellige. Romani extra portas inprimis supplicia sumebant. Sic & carnifex domum habebat extra urbem. Lips. *Extra portam, credo, ne civium oculi sanguine contaminarentur, & libertas minui videretur.*

Non possunt mihi minaciis tuis hisce oculi fodiri.

Abi intrò, & comprecare. *Comprecari nihil est aliud, quàm molâ salsâ, aut thure venerari. Prodigialem Iovem, deosque Averruncos, id est, malorum depulsores.*

Sc. 5.

Inde ignem in aram, ut Ephesiæ Dianæ laudes lautas

Gratesque agam, eique ut Arabico fumificem odore amœnè.

Quæ me in locis Neptuniis templisque turbulentis

Servavit, sævis fluctibus ubi sum afflictata multum. *Per templa turbulenta intelligit* loca Neptunia. *Templum trib. modis dicitur à Varrone, à naturâ, ab auspicio, à similitudine. Naturâ, in cælo. ab auspicio in terrâ. à similitudine, sub terrâ.*

Quæ te intemperiæ tenent? qui me perperam perplexo nomine appellas.

At mihi crepabunt manus; malæ tibi: nisi me omittis.

Nihil moror negotiosum mihi esse tergum.

Immo vi atque invitam, ingratiis, nisi voluntate ibis, rapiam te domum. Nisi das firmatam fidem. Muliebri fecisti fide.

Plus oportet scire servum, quàm loqui.

Sc. 6.

Nisi mihi supplicium virgarum de te datur,

Longum diutinumque à mane ad vesperum:

Quod meas confregistis imbrices & tegulas. *Imbrex dicitur, quod imbres avertat. Est enim incurvum genus tegularum.*

Dedecoris pleniorem herum faciam tuum,

Quam magno vento plenum est undarum mare.

Nam ex uno puteo similior nunquam potest

Aqua aquæ sumi, quam hæc est, atque illa hospita.

Hominem servum suos domitos habere oportet oculos, & manus orationemque.

Nunquam hercle ex ista nassâ ego hodie escam petam. *Nassa est Piscatorii vasis genus, quo cum intravit piscis, exire non potest.*

Certò scio, occisam sæpe sapere plus multo suem. *jocus ex ambiguo*, Sapere. *Caro suilla vulgi sententiâ judicatur sapidissima.*

CAP. XXVI. *Act. III. Sc. 1.*

Bene consultum, inconsultum est, si inimicis sit usui.

Bonum consilium surripitur sæpe, si minus cum curâ aut caute locus loquendi lectus est.

Nostro consilio venator abit cum auritis plagis. *auritæ plagæ sunt aures.*

Sterilis hinc prospectus est usque ad ultimam plateam.

Facile est imperium in bonis.

Hoc facinus me miserum macerat, meumque cor corpusque cruciat.

Vmbra es amantum magis, quàm amator.

Ego videor oppido Acheronticus, tam capularis. id est, *capulo proximus.*

Si albus capillus hic videtur, neutiquam ingenio est senex.

Inest in hoc amussiata sua sibi ingenua indoles. *h. e. ad amussim facta. Indoles incrementum significat primi-*

primigenia notione. Ofere *enim & crescere significat, & spem, quam ex vultu colligimus virtutis futuræ in pueris.*

Qui ipse haud amavit, ægrè inspicit amantis ingenium.

Et ego amoris aliquantulum habeo humorisque meo in corpore.

Neque dum exarui ex amœnis reb. ex voluptariis.

Neque ego unquam sum oblocutor alteri in convivio.

Commemini & meam partem itidem tacere, cum aliena oratio est.

Minimè sputator, screator sum, item minime muccidus. Cavillator facetus, vel conviva commodus sum.

Post Ephesi sum natus, non in Apulis, non sum in Vmbriâ. *Ephesus civitas elegantiis valde dedita: Apuli & Vmbri illepidi, rustici.*

Vnde inimicus ne quis nostris spolia capiat consiliis:

Vnde inimicus ne quis nostri spolia capiat auribus. *allegoria à re militari:*

O lepidum senem, atque planè educatum in nutricatu Venereo.

Neque ego unquam alienum scortum subigito in convivio.

Neque præripio pulpamentum, neque prævorto poculum.

Si quis odiosus est, abeo domum, sermonem segrego. *id est, loquendi finem facio.*

Venerem, amorem, amœnitatemque accubans exerceo.

Tui quidem edepol omnes mores ad venustatem valent.

Cedo treis mihi homines aurichalco contra cum istis moribus. *da mihi tres istis moribus præditos: & ego tibi æquiponderis orichalcum dabo. V. N. Epid. Act. III.*

Leniorem dices, quàm mutum est mare.

Liquidiusculusque ero, quàm ventus est favonius. *id est, aliquanto liquidior, serenior, quàm ventus Favonius, qui est aethra seu serenitatis genitor.*

Non cinaedus malacus aequè est atque ego. *vide Indicem.*

In malâ uxore atque inimico si quid sumas, sumptus est.

In bono hospite atque amico, quaestus est quod sumitur.

Quod in divinis rebus sumas, sapienti lucro est.

Nolo mihi oblatratricem in aedes intromittere.

Cur non vis? Procreare liberos lepidum est onus

Hercle verò, liberum esse, id multò lepidius.

Bona uxor, si ea quidem deducta est (*ad maritum sc.*) usquam gentium, Vbi eam possim invenire. *sic aliquis: Femina nulla bona est, & si bona contigit ulli, Nescio quo fato res mala facta bona est.*

Egone eam ducam domum? quae mihi nunquam hoc dicat: Eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium malacum & calidum conficiatur, tunicaeque hybernae bonae: ne algeas hac hyeme.

Verum priusquam galli cantent, quae me somno suscitet,

Dicat: Da mihi, vir, Calendis meam quod matrem juverit:

Da qui farciat, da qui condiat, da quod dem Quinquatribus.

Praecantatrici, conjectrici, hariolae atque aruspicae, &c. Piatricem clementer munerem. succenset geraria.

Intellige *Cal. Martias. Calendae omnes Iunoni tributae, ut Idus Iovi. Hinc Iuno Calendaris.* Sed *Martiis Cal. Iunoni, praecipue Matronae, sacrificabant: ut is annus ab exordio totus felix iis esset, & in partu &* in

in amore conjugali. Et hac Festa Matronalia *dicta :*

Iuvenal. *Cal. Martias nominat* fœmineas : *Munera fœmineis tractat secreta calendis*. Quinquatria, *erant dies festi Minervæ. Quinquatria non dicta, dies quinque atri; sed quod quinquatrus antiqui dicebant*, à quinquando, *id est, lustrando: quod eo die arma ancilia lustrari sint solita.* Conjectrix, *quæ interpretatur significationem somniorum. Viri* conjectores *fuere.* Piatrices *erant sacerdotes*, quæ *expiare erant solitæ, quas & sagas vocabant. die infantis lustrico sive Nominali lustrandi partes propriè piatricum muliercularum erant.* Geraria, *quæ in ulnis pueros gestat. Alii* Ceraria, *vel* teraria *legunt.*

At illa laus est, magno in genere, & in divitiis maximis,

Liberos hominem educare, generi monumentum & sibi. *Liberi enim genus suum immortale faciunt. Quare & Euripides,* Matresf. columnas, *vocat.*

Mea bona meâ morte cognatis dicam.

Illi apud me edunt, me curant, visunt, quid agam.

Priusquam lucet, assunt, rogitant, noctu ut somnum ceperim. Eos pro liberis habeo.

Sacrificant? dant inde partem mihi majorem.

Me ad se, ad prandium, ad cœnam vocant.

Ego hæc mecum mussito : bona mea inhiant.

Certatim dona mittunt & munera. *Convivia rem sacram olim comitabantur. Aut si nollent convivium celebrare, è victima partes ad amicos mittebant.* Casaub.

Pol, si habuissem, satis cepissem miseriarum liberis. *id est, per liberos.*

Ne ibi defregisset crura aut cervices sibi.

Tum ne uxor mihi insignitos pueros pariat.

Aut varum, aut valgum, aut compernem, aut pætum, aut broncum filium. *insignitos, id est, aliquo vitio notatos.* Varum, *id est, distortis cruribus.*

Valgum, *id est, qui diversas habet suras, & talos vitiosos.* Compernem, *id est, genubus conjunctum plus justo.* Pætum, *qui oculis est leviter declinatis, huc & illuc tremulis.* Bronchum, *cui labra & dentes prominent.* Pareus.

Huic Homini dignum est divitias esse, & diu vitam dare,

Qui & rem servat, & qui bene habet, suisque amicis vult bene.

Divos dispertisse vitam humanam æquum est.

Qui lepide ingeniatus esset, vitam longinquam darent.

Qui improbi essent, iis adimerent animam citò.

Si hoc paravissent, homines essent minus multò mali,

Et minus audacter facerent scelesta facta.

Qui probi homines essent, esset his annona vilior.

Qui deorum consilia culpet, stultus inscitusque est.

Hospes nullus tam in amici hospitium divorti potest,

Quin ubi triduum continuum fuerit, jam odiosus siet.

Verum ubi dies decem continuos immorabitur,

Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.

Meo remigio rem gero. *id est, illis parendum est, cum mei sint. Aliis remigibus invitis imperare non possem. nunc meis remigibus & servis rem gero.*

Nam proletario sermone nunc quidem, hospes, utere. *hoc est, plebeio & vili. Proletarii erant, qui nihil reip. exhibebant, sed tantum prolem sufficiebant. iique tenuissimi in plebe Romanâ.*

Aufer illam offam penitam. *Penem caudam vocabant: unde & offam penitam offam porcinam cum caudâ dicebant.*

Sed

Sed percellunt, se & procumbunt dimidiati, dum appetunt. *Horat. Languidus in cubitum sese convivâ reponit. quando ita supini in mensam procumbimus; à decoro habitu recedentes. præ nimio appetendi studio, ut in patinas longiusculè remotas attingant.*

Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.

Herus meus ita magnus mæchus mulierum.

Cui facetiarum cor corpusque est plenum.

Sc. 2.

Si centuriati bene sunt manipulares mei.

Nimis calebat: amburebat gutturem:

Alii ebrii sunt; alii poscam poritant.

Bono suppromo & promo cellam creditam! *Posca est vinum acidum aquâ mixtum, ut esca pro cibis; ita posca pro potu usurpata. sensus: alii servorum poscam bibunt; alii ebrii sunt.*

Quoniam æmulari non licet, nunc invides.

Postea saginâ ego ejiciar cellariâ.

Capite sistebas cadum? non hercle tam isthoc valide casabant cadi. *id est, nutabant & inclinabantur: quia sine vi in lubrico loco & levi impulsu casabant.*

Bacchabatur hama, casabant cadi. *Hama est urceus, seu bilibris aqualis.* bacchabatur, *id est, Baccharum ritu temetum in se avariter ingurgitantium: vino ex cadis mea comitate largiter defuso, decies sæpe in die complebatur. Quæ res casantes seu casabundos cados efficiebat.*

Lepidè hoc succedit sub manus negotium.

Sc. 3.

Stultitia atque insipientia insulsâ atque maxima hæc sit, ire in opus alterius.

Nemo solus satis sapit: nam ego multos sæpè vidi

Regionem fugere consilii, priusquam repertam habuere.

Bonus vates poteras esse: nam quæ sunt futura, dicis.

Vbi probus est architectus, bene lineatam si semel carinam collocavit,

Facile est navem facere, ubi fundata & constituta est.

Hodie hunc si dolum dolamus.

Act. IV. Sc. I.

Ea ingenia an festuca facta è serva libera est. *Festuca idem quod vindicta, nimirum virga prætoris, manumittendis à lictore imponi solita. Alibi fusius de hisce egimus.*

CAP. XXVII.

Pithecium hæc est præ illa & spinturnicium,

Viden' tu illam oculis venaturam facere, auribus aucupium. *Spinturnicium nomen est quadrupedis, turpis figura, ut & Pithecium.* Pareus: *Spinturnix inauspicata & deformis avis. dicta quoque incendiaria, quod de rogo aliquid carbonis in tecta deferebat, & incendia portendebat. Gr. παρὰ τὸν σπινθῆρα, quod est structura ignis. Plautus de turpi forma puella.* Pithecium, *convitium in puellam, sive ancillam.* Simiola, *ob forma deformitatem.*

Sc. 2.

Edepol hujus sermones haud cinerem quæritant. *Aliqui volunt interpretari hoc modo: quod sit metaphora desumpta à vasculis, qua sordida cum sint cineribus eluuntur. Alii* cineres, *hic dici volunt* homines viles. *ut alibi lutum, &c. homo vilis dicitur.*

Nam vulturio plus humani credo est. Viden' ignavum, ut sese inferat? *Innuit vulturium plus humani, id est, carnis humana rostro vellicatim carpere, quàm Pyrgopolinicem possidere.*

Niq huic verri affertur merces, non hic suo seminio quamque porculam impertiturus est. *hoc est, porco:*

porco non castrato , cui opponitur majalis. Porculam sui seminis hic verres admissarius participabit. Seminium hîc & semen & proles esse potest.

Præter thesaurum, tum argenti non massas habet. Aetna non æquè alta est.

Meri bellatores gignuntur, quas hîc prægnantes fecit.

Et pueri annos octingentos vivunt. *Merus ponitur pro vero , præstanti ; non ficto , aut simulato. sic* merum lac , *bonum purumque est. Meros principes è scholâ Socratis extitisse. meras præscriptiones.* Gifanius.

Postriduò natus sum ego , mulier, quam Iupiter ex Ope natus est. PA. si hic pridie natus foret, quàm ille est , hic habet regnum in cælo.

Iube maturatè illam exire huc. *maturatè properare, idem quod, Festina lentè. Festinatio sc. moderata optima.*

Vt cor ei saliat. *in amore vehementi cor solet subsilire.*

Sc. 3.

Tu quidem ad equas fuisti scitus admissarius.

Qui consectare qua mares, qua fæminas.

Non sum dignus præ te , ut figam palum in parietem. *Quod quivis potest , quamvis imperitus fabricæ.*

Nunc hæc res apud summum puteum geritur. *intellige discrimen & periculum negotii.*

Sc. 4.

Facito ut venias ornatu nauclerico.

Causiam habeas ferrugineam , culcitram ob oculos laneam, Palliolum habeas ferrugineum. nam is colos thalassicus est.

Id exit conuexum in humero lævo , exaffilato brachio Præcinctus. *Causia est pileus latas oras ac margines habens ad prohibendum solem. à καίω , incendo ;*

cendi, *uro*. Culcitra, *tomenta sunt ex ciliciis pilis. qualibus implebantur, ut hodie acere & glumis spicarum.* Exaffilare Festus, Scaliger, Pareus: *Exaffilatum est exertum, quod sc. omnes exerto brachio sint ex. filati. id est, extra vestimentum filo contextum.* Vide Salmas. hoc loco in PL. Boxh.

Celebre apud nos imperium tuum est, *quasi dicat, tibi imperanti nequaquam in morâ futuri sumus.*

Sc. 6.

Vt tu inclytus apud mulieres. quando ita Venus vult.

Per epistolam, aut per nuncium, quasi regem, adiri eum ajunt.

Nam odore nasum sentiat.

Naso pol jam hæc quidem videt plus, quàm oculis: cæca amore est.

Dum te intuetur, interim linguam oculi præciderunt. *nam in amore cum oculi cupidè, quod amant, intuentur; non solum mens, sed etiam lingua obmutescit. ita fit ut quasi præcipi & præcidi lingua videatur.* Lipsius.

Sc. 7.

Mulier profectò nata est ex ipsa morâ.

Sc. 8.

Capita inter se nimis nexa habent: non placet: labra labellis ferruminant.

Act. V.

Rapite sublimem foras. Facite inter terram & cælum ut medius sit.

Quin jam dudum gestit Mæcho hoc abdomen adimere.

Cur es ausus subagitare alienam uxorem?

Distendite hominem diversum, & dispendite. *In Italiâ perticis metabantur antiquitus agros. barbari verò*

verè funibus. Postea Romanis hic funis quoque arvipendium nominatus. sic Plauto hoc loco dispennere est dispendere.

Si te salvum hinc mittimus Venereum nepotulum.

Si posthac prehendero te hîc, arcebo cestibus. *id est, vinculis coërcebo.*

FINIS MILITIS GLORIOSI.

M. Acci Plauti
MERCATOR.

Camerarius.

Argumentum hujus Fabulæ futile & flagitiosum est. Qualia dum legimus, execrari debemus. Prodest enim venena nota esse, ut respuantur. Producitur senex immitis, & tamen dissolutus: itemque alter levis atque iners. Hic iniquior in filium juveniliter peccantem sævis dictis illum in mercatum abigit. Qui reversus ancillulam adduxerat, quam animi causa sibi paraverat. Hanc visam amare senex cœpit, & amatam præripit astute filio, allegato sene amico, qui illam præmercaretur. nam & suum sodalem adolescens subornarat, ut illam emeret. Postea adducta muliere in ædes senis vicini, & conductis cocis ad cœnam coquendam, advenit illius senis uxor, & turbas movet: & tandem res per adolescentes componitur.

ELECTA PLAUTINA

Ex

MERCATORE.

CAP. XXVIII.

PROLOGUS.

Act. 1. Sc. 1.

A *Matores* aut nocti aut die, aut soli aut lunæ miserias suas narrant.

Biennium jam factum est, postquam abii domo.

Amorem hæc cuncta vitia sectari solent,
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia.
Nec pol, profectò, quisquam sine grandi malo
studuit elegantiæ.

Sed amori accedunt etiam hæc, quæ dixi minus,
Insomnia, ærumna, error, terror, & fuga.
Ineptia, stultitiaque adeo, & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas & malevolentia.
Inhæret etiam aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia, & dispendium.
Multiloquium, pauciloquium.
Nullus unquam amator adeo est callide
Facundus, quæ in rem sint suam, ut possit loqui.

Omnes tenerent mutuitanti credere. *h. e. Omnes abstinerent, caverent credere pecuniam volenti mutuo sumere.*

Tibi

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.

Tibi denique iste patiet lætitiam labos.

Vt spectavisset peplum. *Peplus seu peplum Athenis Minervæ consecrabatur, cui intexta erat Titanomachia & victoria Palladis de Encelado. Ideo ferunt Trojanæ mulieres peplum, ut deam propitiam habeant. Magnis enim in periculis deorum fidem & opem implorantes, eos vestibus etiam ornabant.* Peplum, *est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulachris fiebat.*

Aedificat navim Cecurum & merces emit. *Cecurus est navis Attica prægrandis.*

Dico ejus pro meritis gratum me & munem fore. *h. e. consentientem ad ea, quæ amicus velit. immunibus rebus* res munes *contraria sunt. Festus certum & officiosum interpretatur.*

Act. I. Sc. 2.

Abige abs te lassitudinem, cave pigritiæ prævorteris.

Simul enicato suspiritus, vix suffero herclè anhelitum. *h. e. crebras illas anheli pectoris reciprocationes facito pervincas, animi invicti firmitudine.*

Quam maximè resisto, tam res in periculo vortitur.

Genua hunc cursorem deserunt. Perii; seditionem facit lien, occupat præcordia. Perii, animam nequeo vortere. nimis nihili tibicen essem. *Hic enim largo spiritu opus.*

Nunquam edepol omnes balneæ mihi hanc lassitudinem eximent.

At etiam cesso foribus facere hisce assulas?

Resinam ex melle Aegyptiam vorato, salvum feceris. At tu edepol calidam picem bibito, ægritudo abscesserit.

Tuâ causâ rupi ramices, jam dudum sputo sanguinem. *vide Boxh. PL. hoc loco.*

Dic

Dic mihi an Boni quid usquam est, quod quisquam uti possiet sine malo omni ?

Philosophari nunquam didici neque scio. Ego bonum, malum quò accedit, mihi dari haud desidero.

Lassitudinem hercle verba tua mihi addunt, enecas.

Tu quidem thesaurum huc mihi apportavisti mali.

Verum video me ad saxa ferri sævis fluctibus.

Edepol cor miserum meum, quod guttatim contabescit, quasi in aquam indideris salem.

Act. II. Sc. 1.

Miris modis Dii ludos faciunt hominibus,

Mirisque exemplis somnia in somniis danunt.

Nec omen illud mihi, nec, auspicium placet.

Non sum occupatus unquam amico operam dare.

Acheronticus, senex, vetus, decrepitus.

Tune capite cano amas, senex nequissime ?

Seu canum, seu istud atrum est, sive rutilum, amo.

Si unquam vidisti pictum amatorem, hem illic est.

Nam meo quidem animo vetulus, decrepitus senex

Tantidem est, quasi sit signum pictum in pariete.

Hodie in ludum ire occepi literarium. ternas scio jam, AMO.

Humanum amare, humanum autem ignoscere.

Hic homo ex amore insanit.

Sc. 3.

Homo me miserior nullus est æquè, opinor,

Neque advorsa cui sint plura sempiterna.

Ita

Ita animi decem in pectore incerti certant.

Nec quid corde nunc consilii capere possim

Scio, tantus cum cura meo est error animo.

Nescio, quid meo animo est ægrè.

Voluptaptem ægritudo vincat, quid ibi inest amœni?

Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi.

Nec, qui rebus meis confidam, mihi ulla spes in corde certa est. *non solum parasiti olim musca dicti, sed etiam homines curiosi, qui nihil non exquirunt & penetrant. Aegyptii cum impudentiam signare vellent, muscam pinxerunt, quod nimirum vix abacta nihilominus continuò redeat.* Lipsius.

Res ad huc quidem hercle in tuto est.

Quin ego hinc me amolior?

Nihil opus nobis ancilla, nisi quæ texat, quæ molat,

Lignum cædat, pensum faciat, ædes verrat, vapulet,

Quæque habeat cottidianum familiæ coctum cibum.

Nutent, nictent, sibilent, vellicent, vocent, molesti sint, occentent ostium,

Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus. *Elogium proprie est, ut ait Casaub. ἐλλόγιον h. e. titulus, brevis explicatio, præfatio; Lipsius face exstincta fieri hoc autumat, quando famosum aliquod ostio carmen inscriberetur. Amantes, cum non reciperentur à puellis intra ædes, deficientes faculas sub auroram ad ostium abjicere soliti. sic quasi minitantes ædes exurere. Mitiores illi, qui calcibus impetebant januas.* Occentent ostium. *Occentare dicebant, pro convicium facere. nam clare fiebat occentatio, ut palam exaudiri posset, quod turpe. nam causam habere hoc videtur.*

Rei mandatæ omnes sapientes primum prævorti decet. *Qui sapit, mandatum sibi negotium, relictis rebus suis, ante omnia curabit.*

Ea

Ea molet, ea coquet, conficiet pensum, pinsetur flagro. *h. e. verberabitur.*

Nec mos meus est, ut prædicem, quod ego omnes scire credam.

Neque propter eam quicquam eveniêt nostris foribus flagitii.

Maximam hercle habebis prædam. *hoc est, quæstum.*

Sc. 4.

Pentheum diripuisse ajunt Bacchas: vide Ovid. III. Metamorph. Horat. 2. od. 19.

Ibo ad medicum, atque ibi me toxico morti dabo.

Achillem orabo, aurum mihi det, Hector quî expensus fuit?

Neuter stupri causa caput limaret. *hoc est, conjungeret.*

CAP. XXIX. *Act. III. Sc.* 1.

AMice amico operam dedi. hoc emi mercimonium.

Possin' tu, si usus venerit, subtemen tenue nere? *Subtemen est pars interior panni, velamentum.* Subtegmen, *sive* subtegimen, *est interior pannus, quo vestis suffulta est, commoditatis aut ornatus ergo. Sic,* trama, *superior pars, qua trameat stamen. diciturque ut* tela, *à texendo,* temen. *hinc quod subtexitur,* subtemen. *vide hic plura.*

Sc. 2.

Decurso in spatio, breve quod vitæ reliquum.
Hanc se bene habere ætatem nimio est æquius.
Adolescens cum sis, tum cum est sanguis integer,
Rei tuæ quærendæ convenit operam dare.
Demum igitur cum senex sis, tunc in otium
Te colloces, dum potestur.

Animus

Animus rediit mihi; si mecum servatur fides.

Sc. 3.

Itane v. vervex introeas? *homo ad Venerem ineptus. ut aries castratus.*

Tu quidem meum animum gestas, scis quid acturus siam.

Iam plenus ætatis animaque fœtidâ. *quod solet quoque jejunio evenire. sed quia senes parum sibi sumunt cibi, bene de istis illud fœtere dicitur.*

Senex hircosus, tu osculere mulierem?

Vtine adveniens vomitum excutias mulieri?

Quin ergo imus, atque obsonium curamus ut pulchrè simus? *ut hilariter & jucunde vivamus.*

Sc. 4.

Si domi sum, foris est animus: sin foris sum, animus domi est.

Ita mihi in pectore atque in corde facit amor incendium.

Ni oculos lacrymæ defendant, jam ardeat caput.

Exulatum abiit salus.

Sed tandem si podagrosis esset pedibus Eutychus.

Divûm atque hominum quæ spectatrix atque Hera eadem est hominibus,

Spem speratam cum obtulisti hanc mihi, tibi grates ago. *Fortuna ab antiquis censebatur Hera hominum.* Ennius: *Vosne an me regnare velit Hera. Catullus deos omnes Heros appellavit.*

Vbi ego sum? hîc, an apud mortuos? salvus sum, immortalitas mihi data est.

Pulchrè os sublevit patri. *toties explicatum.*

Tristis incedit, pectus ardet, hæreo, quassat caput. *pectus ardet, h. e. maximo animi angore discrucior. verba hac sunt inconstantis ac penè amentis.*

Si neque hic, neque Acherunti sum, ubi sum? *sc. in Acherunte.*

Odiosa

Odiosa est oratio, cum rem agas, longinquum loqui.

Demisisti gladium in jugulum, jam cadam.

Montes quidem mali in me ardentes jam dudum jacis.

Deos absentes testes memoras; qui ego isthuc credam tibi?

Ad mandata claudus, cæcus, mutus, mancus, debilis.

Capital facis. Sodalem & civem liberum enecas.

Quâ formâ esse ajebant? canum, varum, ventriosum, bucculentum, breviculum, subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum.

Edepol næ ille oblongis malis dedit mihi magnum malum,

Non possum durare, certum est exulatum ire hinc me. *pansa, à pando. pansum, extensum, patefactum explicat Boxhorn.*

Orabo ut conquisitores det mihi in vicis omnibus.

Act. IV. Sc. 1.

Apollo quæso te, ut des pacem propitius,

Salutem & sanitatem nostræ familiæ. *Apollinis statuam consecratam ante ædes ponebant.*

I hac mecum, ut videas simul tuam Alcumenam pellicem, Iuno mea. *sic hac Pasicompsa pellex Dorippæ, ut Amphitruonis uxor Alcumena Iovis.*

Sc. 3.

Iubet salvere suus vir uxorem suam. *Aliqui hac improbant: cum tamen Romana lingua lex Plautus hac probet. Etiam Terentius, novi veterisque Latii lima.*

Sc. 4.

Numero purgitas. *qui e. nimis citò se purgant, illi semet ipsos videntur accusare.*

Nam

Nam qui amat, quod amat, si id habet, id habet pro cibo.

Satis scitum filum mulieris. *pro formâ. nam filum idem est, quod lineamentum. Hinc* filo pares, *qui pari filo, vel ingenio aliisque rebus conveniunt.*

Verum illud verbum vetus: Aliquid mali est propter vicinum malum.

Nec pol ego patiar meas in ædes sic scorta obductarier. *h. e. in conspectum meum duci.*

Conceptis verbis jam jusjurandum dabo.

Defessus sum urbem totam pervenarier.

Gradus grandit, emittit oculos, circumfert se, obstipat verticem.

Suspicione me implevit indignissimè.

Feliciter is sapit, qui alieno periculo sapit.

Sc. 6.

Ecastor lege durâ vivunt mulieres,
Multoque iniquiore miseræ, quàm viri.
Nam uxor contenta est, quæ bona est, uno viro.

Act. V. Sc. 1.

Limen superum inferumque salve, simul autem vale. *limina coli & salutari solita ad instar numinum, ostendit satis, Limitaneus, Deus. sive* Limentinus.

Usus, fructus, victus, cultus jam mihi haruncce ædium interemptus est, interfectus est, alienatus est, occidi.

Dii penates meûm parentum, familiæque Lar pater,
Vobis mando, meûm parentum rem bene ut tutemini.
Ego mihi alios deos penates persequar, alium Larem,
Aliam urbem, aliam civitatem: ab Atticis abhorreo.
Nam ubi mores deteriores increbescunt indies.

Ubi

Vbi qui amici, qui infideles sint, nequeas pernoscere.

Ibi quidem si regnum detur, non est cupida civitas.

Sc. 2.

Domi erat, quod quaritabam. ibi sex sodales reperi,

Vitam, Amicitiam, Civitatem, Lætitiam, Ludum, Iocum,

Eorum inventu res decem simul pessumas pessumdedi.

Iram, Inimicitiam, Stultitiam, Exitium, Pertinaciam,

Mærorem, Lacrymas, Exilium, Inopiam, Solitudinem.

Date Dii, quæso, conveniendi mihi ejus celerem copiam.

Egomet mihi sum imperator, idem egomet mihi obedio.

O Cupido quantus es! tu quem vis confidentem facile tuis factis facis.

Neque mihi ulla obsistet amnis, neque mons, neque adeo mare; nec calor, nec frigus metuo, neque ventum, neque grandinem: imbrem perpetiar, laborem sufferam, solem, sitim.

Non concedam, neque quiescam usquam noctu, neque interdius. *calor hic positum in neutro, pro* calus, *ut* ador *&* adus; decor *&* decus:

Vos Lares viales, ut me bene juvetis, invoco. *Dii sunt, qui viæ præsunt, quos invocare solent, qui peregre proficiscuntur. Deos peculiares* semitales, *hoc loco*, Lares viales *vocat Plautus. Est &* Bivia *Dea Arnobio. nam in ambiviis & biviis olim carri & cisia conducebantur. Sic &* Dii Vii *erant.*

Non emittunt hi me comites, qui tenent: Cura, Miseria, ægritudo, Lacrymæ, Lamentatio.

H Hue

Huc ſecundus ventus eſt, capi vorſoriam. *Verſoria eſt, quo velum vertitur; quo nomine* pedem *vocabant. nam* pedem tenere *in navi dicebatur, qui praerat velis tendendis, proferendiſque.* Vide plura hoc loco Salmaſium.

Hîc favonius ſerenus eſt, iſthîc Auſter imbricus.

Cælum ut eſt ſplendore plenum!

Contra pariter fer gradum, & confer pedem.

Reſtituam jam ego te in gaudia.

Enecas me miſerum tuâ reticentiâ.

Zonam ſuſtuli. *condebant viatores pecuniam in zonâ, ut & milites.* vide plura hîc apud Boxhorn.

Tollo ampullam, atque hinc eo. *mos erat pedes oleo ungere, antequam calceos induerent. igitur peregre ituri ampullam oleariam in hos uſus ſecum ferebant.*

Tam propitiam reddam, quàm cum propitia Iuno eſt Iovi.

Sc. 3.

Voluptas eſt malorum eſca: quod eâ non minus homines, quàm hamo capiantur piſces.

Quaſi tu nunquam quicquam aſſimile hujus facti feceris.

Mea uxor propter illam tota in fermento jacet. *de illis, qui iracundiâ turgerent, animoque eſſent agro.* Iuvenal. *iſtud fermentum tibi habe. hoc eſt, indignandi cauſas.*

Sc. 4.

Optuma opportunitate ambo adveniſtis.

Vxor tibi placida & placata eſt.

Qui bono ſunt genere nati, ſi ſunt ingenio malo,

Suapte culpâ genere capiunt genus, ingenium mprobant.

Temperare iſtac ætate iſtis decebat artibus.

Va-

Vacuum esse istâc te ætate iis decebat noxiis.

Aetatem aliam aliud factum convenit. *cum idem valeat* convenit, *quod* decet, *eadem illi constructio adscribitur.*

Suam quisque homo rem meminit.

Cum eo nos hîc lege agemus. *id est*, *pœnas indictas legibus infligemus.*

FINIS MERCATORIS.

M. Acci Plauti
PSEUDOLUS.

Douza.

Quam Pseudolo suâ Plautus gavisus fuerit, nescio. hoc scio, nullam me ex Poeta illius comœdiis jam pridem æquè lubentem perlegisse, neque animo unde defæcatiore me discessisse existimem. ita ut mirandum non sit, eam Ciceroni tantopere complacitam. Est enim comœdia illa ocellus Fabularum Plauti.

Camerarius.

Argumentum est varium, & plane mirificum. Senes duo satis commodi. Adolescens amore perditus. Servus veterator & fraudulentus. Leno sceleratus & perfidus: à quo per fallacias subitæ occasionis abducitur amica filii herilis consilio servuli. Hæc exponuntur admodum copiose & luculentè, cum actione multiplici.

ELE-

ELECTA PLAVTINA

Ex

PSEUDOLO.

CAP. XXX.

PROLOGVS.

B*Ona* bonis ferri reor æquum maximè;
Vt mala malis: ut, qui mali sunt, habeant mala.
Qui boni, bona. bonos quod oderint mali,
Sunt mali: malos quod oderint boni, bonos
Esse oportet. Vosque adeo estis boni, quandoquidem
Semper odistis malos; & lege & legionibus
Hos fugitastis, Quirites, successis bonis.
In scenam qui jejunus venerit, aut sitiens,
Is risu & ventre raso vigilabit sedulo:
Dum ridebunt saturi, mordebunt famelici. *Alludit hîc ad rasum caput, cui capilli deërant, ut hic ventri, cui cibus.* Taubm.
Lepos, joci, risus, vinum, ebrietas decent;
Gratiæ, decor, hilaritas, atque delectatio;
Qui quærit alia, is malum videtur quærere.
Curas malas abiicite jam, ut otiosi hodie.
Exporgi melius est lumbos, atque exsurgier.
Plautina longa fabula in scenam venit. *Lumbos exporrigi, ut sc. positis spectare, & nobis operam dare. negotiosi abeant.*

Act. I. Sc. I.

Quæ miseriæ te tam miserè macerant.

Necessitas me subigit, ut te rogitem.

Miserè miser sum. Sub Veneris regno vapulo, non sub Iovis.

Tu me antehac supremum habuisti comitem consiliis tuis.

Quarum literæ hæ sibi liberos, alia aliam scandit. *h. e. non rectâ lineâ collocata.*

Has, credo, nisi Sibylla legerit, interpretari alium potesse neminem. *divinare sc.*

Habent quoque gallinæ manus? nam has quidem gallina scripsit. *incomposita literæ significantur. unde & Belgis hoc proverbium;* pedes gallorum.

Istic meus animus nunc est, non in pectore.

Tu hinc eum ex cerâ cita. in cerâ cubat. *in ceratâ tabella scripta.*

Quasi solstitialis herba, paulisper fui:

Repente exortus sum, repentino occidi. *Herba solstitialis propter ariditatem æstatis citò exarescit. de fugaci & non diuturna re dicitur.*

Per ceram & linum literasque interpretes

Salutem mittit, *h. e. per literas cera obsignatas, & lino obligatas.*

Perii: Salutem nusquam invenio, quam illi remittam. quam salutem? argenteam.

Pro ligneâ salute vis argenteam remittere ei?

Dulce amarumque una nunc misces mihi.

Nunc nostri amores, mores, consuetudines,

Iocus, ludus, sermo, suavis suaviatio,

Compressiones arctæ amantium comparum,

Teneris labellis molles morsiunculæ,

Papillarum horridularum oppressiunculæ,

Harum voluptatum omnium discidium, vastities venit. *Horat. nondum munia comparis æquare valet.* Horridularum, *h. e. prominentium, exstantium. Catullo* surgentes papillæ *sunt tumescentes.*

Pumiceos oculos habeo: non queo lacrymas exorare, ut exspuant unam modo.

Genus nostrum semper siccoculum fuit.

Nam

Nam is mihi thesaurus jugis in nostra domo est.

Restim volo mihi emere, quî me faciam pensilem. Certum est mihi ante tenebras persequi. *Antequam nox adveniat, mortem oppetere.*

Neque cui libellæ spes sit usquam gentium. *Libella nummus argenteus. decima pars denarii.* Vide Elect. Plaut. Parei. Monetariæ rei.

Nisi tu illi drachmis fleveris argenteis. *hoc est, nisi pro liberanda amica phœnicio argentum profuderis.*

Non pluris refert, quàm si imbrem in cribrum geras.

Spero me operâ bonâ tibi inventurum esse auxilium argentarium.

Atque id futurum unde, unde dicam nescio.

Nisi quia futurum est: ita Supercilium salit. *omina & auguriationes à priscis valde in honore habita. sic tinnitus auris observatus. de sternutatione multi: ut & de palpatione.*

Vtinam! quæ dicis, dictis facta suppetant.

Mea si commovi sacra quo pacto & quantas soleam turbellas dare! *vide de hac sententia Douzam in PL. Boxh. hoc loco.*

De isthac re in oculum utrumvis conquiescito.

Sc. 2.

Exite, agite, ite ignavi, malè habiti, & malè conciliati. *male habiti, damnosè & magno cum pretio atque malo qui sunt alti eductique.*

Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent.

Quos dum ferias, tibi plus noceas: eo enim ingenio hi sunt flagritribæ:

Qui hæc habent consilia, ubi data occasio est, rape, clepe, tene, harpaga, Bibe, es, fuge: hoc est eorum opus.

Vt mavelis lupos apud oves linquere, quàm hos domi custodes.

Faciem cum adſpicias eorum, haud mali videntur, opera fallunt.

Ita ego veſtra latera loris faciam, ut valide varia ſint:

Vt ne periſtromata æquè picta ſint Campanica,

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia. valide varia. *h. e. variis vibicibus picta, & cruentata.* periſtromata, *περιστρώματα, velaria, varii coloris. ſic in Sticho*, Babylonica periſtromata. *hiſce Campani ſuperbi utebantur. Hunc texendi modum artemque Alexandriæ primum inſtitutam teſtis Plinius. Quid de eo Cl. Salmaſ. vide hoc loco in PL. Boxh. in hiſce belluarum, hominum aviumque forma exprimebantur.* Conchyliata tapetia, *conchyliatus color eſt è cæruleo & rubro, qualis Martia viola. dicitur &* purpureus, oſtrinus, Sarranus. Theſſalicus *quoque Lucretio.* Tapetem vel tapetum *Nonius explicat*, tegmen unite pictum de variis coloribus.

Plagigera hominum genera: nunquam edepol veſtrum durius tergum erit, quam terginum hoc meum. *Terginum pro ſcutica dixerunt antiqui, & corio.* Lucill. *dum ſalvo tergo & tergino licet.*

Te cum ſecuri, caudicali præficio provinciæ. *ut lignum ſindas & in tabulas ac fragmenta minuta diſſeces.* Caudex *ſeu* codex, *arboris truncus.* Virg. *caudicibus ſectu.*

Mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare. *vide Elect. PL. Parei, Tit.* Natalis.

Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aquâ jaciant. audin'? magnificè enim volo ſummos viros accipere, ut mihi rem eſſe reantur.

Eo in macellum, ut piſcium, quicquid eſt pretio præſtinem. Atque hæc citò celebrate. *celebre quoque velox ſignificat.*

I puere præ, ne quiſquam pertundat crumenam, cautio eſt. *hoc eſt, cavendum eſt.*

Vos quæ in mundiciis, molliciis, deliciiſque ætatulam

tulam agitis, viris cum summis inclytæ amicæ.

Nam nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos. *id est, penus in totum annum.*

Vbi sunt, quibus vos oculi estis, quibus vitæ? quib. deliciæ estis? quibus suavia? mammillæ mellitæ?

Manipulatim mihi munerigeruli facite adsint,

Eo vos vestros panticesque adeo madefacitis, cum ego sim hic siccus. *Pantices, intestina pelliculata, & multiplicia volumina, ceu pagellas habentia.* Sicci: Horat. 4. od. 5. *dicimus integro sicci mane die: dicimus uvidi cum sol Oceano subest.*

Nisi carnaria tria grandia tergoribus oneri uberi hodie

Mihi erunt, cras, quasi Dircam olim, ut memorant, duo

Gnati Iovis devinxere ad taurum, item hodie stringam ad carnarium: id tibi profecto taurus fiet. *Vasa, seu loca, in quibus carnes asservantur.* gravida, *h. e. onera, plena.* tergoribus *antiqui dixere.* oneri uberi, *h. e. nisi erunt mihi in onus valde uber & grave.* Dircam: *Zethus & Amphion Iovis ex Antiopa filii; Dircen, quam Lycus, Antiopa eorum matre ejecta, uxorem duxerat; quæque Antiopam in vincula conjecerat; cauda bovis indomiti alligarunt, Lycumque interfecerunt.*

Culleo ego cras faciam deportere in pergulam. *nulla pergula publica unquam fuerunt; sed tantum appendices ædificiorum, quæ in publicum spectabant. ideoque artifices qui minus noti in illis primum solebant opera sua proponere, ut populo innotescerent.* Quid Scaliger & Salmas. de hisce, vide hoc loco in PL. Boxh. *Culleus erat utris, in quo olivum recondebant. Etiam saccus, in quo rei conclusi in mare mittuntur.*

En Excetra tu, quæ tibi amicos tot habes, tam probe oleo onustos. *Hydra nomen. quasi diceret tu Vipera, ex iracundia.*

Nisi mihi ex fundis tuorum omne huc penus affertur,

Cras Phœnicium Phœnicio corio invises pergulam. *Phœnicium corium rubrum vocatur. Hic tergum significatur flagris cruentum.* Turnebus.

CAP. XLII.

Quid mihi es auctor? liquido es animo. cor dura.

Quonam pacto possim vincere animum?

Non jucundum est, nisi amans facit stultè.

Mittam hodie huic suo die natali malam rem magnam & maturam.

Hodie nate heus, hodie nate, tibi ego dico, heus hodie nate, redi & respice ad nos.

Profectò inanilogus est. Stultus es, rem actam agis.

Nam si sacruficem summo Iovi, atque in manibus exta teneam, ut porriciam, interea loci si lucri quid detur, potius rem divinam deseram. *Porriciendi verbum ab aruspicum disciplina sumptum.* Nævius: *simul atrocia porricerent exta ministratores.* Vide Macrob. l. 3. 2.

Nimio id, quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget.

Eme die cæcâ hercle olivum, id vendito oculato die. *h. e. solutione in diem prolata. Contra, oculata die emere, est præsenti pecunia emere. Sic Illi cæca testimonia vocant, quæ scripto perhibentur absentibus.*

Perii, an non tum Lex me perdit quina vicenaria? *Lex enim Latoria vetabat filium familias minorem* XXV. *annis stipulari; sive stipulanti respondere; aut spondendo obligari.*

Ilico vixit amator, ubi lenoni placet.

Semper tu ad me cum argentata accedito querimoniâ.

Eho, numquid tu hujus nupsisti patri, *jocus in* nu-

nubendi *verbo consistit. Priapo dignum olim vocabulum. Festo quoque*, Nupta verba, *sunt obscana. Et Petronio*, Nuptias facere. *Inde virgini Vestali crimen incesti intentatum apud Declamatores, quod versum scripsisset*: Felices nuptæ; moriar, nisi nubere dulce est.

Vnâ operâ alligem canem fugitivam agninis lactibus.

Visne etiam te faciam ex læto lætantem magis?

Arcesse victimas, hostias, lanios; ut ego huic sacrificem summo Iovi.

Nam hic mihi nunc est multo potior Iupiter, quàm Iupiter. *Lanios vocat popas hostiarum mactatores, qui malleo ipsas impeterent, dum à victimario tenerentur.*

Nolo victimas: agninis me extis placari volo. *Victimam veteres de magnis dixere. Ludit comicè in voce* minimis, *respiciens ad viginti minas, quib. sibi litari volebat. adolescens a. non percipiens jocum, jubet arcessi agnos: quia ea sunt minima hostia. Nam aliqui codices habent pro*, agninis, minimis. Scalig.

Verum extra portam Meliam currendum est prius.

Lanios inde arcessam duos cum tintinnabulis.

Eadem duo greges virgarum inde ulmearum adegero. *intelligit carnifices, quorum domus extra portam Metiam, ad solennem supplicii locum.* Etiam *locus fuit extra urbem, quem* Sestertium *dixerunt, quia semitertio ab urbe milliari: ubi cruces, patibula defixa, cadavera abjecta, aliaque qua ad supplicia plebis.* Lipf.

Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjurissime?

Iuravistine conceptis verbis? *h. e. alio praeunte & jusjurandum verbis certâ comprehensis formulâ dictante, jurare.* Turneb.

Bustirape; furcifer; Sociofraude; parricida; sacrilege; Legirupa; pernicies adolescentum; fugi-

tive; fraus populi, fraudulente; cænum! verberavisti patrem atque matrem.

In pertusum ingerimus dicta dolium: operam ludimus: *vide alibi de dolio Danaidum.*

Te amatorem inventum esse inanem, quasi cassam nucem. Negotii nunc sum plenus.

Exossabo ego illum similiter itidem, ut murænam cocus.

Pauci ex multis sunt amici, homini qui certi sient.

Sc. 5.

Occisa hæc est res, hæret hoc negotium,
Quo in commeatur volui argentarium
Proficisci, ibi nunc oppido obsepta est via.

Homines qui gestant, quique auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant,
Gestores linguis, auditores auribus. *ut, quâ parte quis peccasset, eâ quoque puniretur.* Seneca, Epist. 123. *pessimum genus hominum videbatur, qui verba gestarent: sunt quidam qui vitia gestant &c.*

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulet.

Ei ei! quàm pauci estis homines commodi?

Isthæc insipientia est, sic iram in promptu gerere.

Bonus animus in malâ re dimidium est mali.

Quæ quasi per nebulam nosmet scimus atque audivimus.

Hic dux, hic ille est Pædagogus. *Antiquitus distincti Pædag. & præceptores. nam isti nisi asseclæ erant, & ut puerorum progressus, actiones, mores observarent, aut formarent. At præceptores docebant, & artes scientiasque infundebant.* Sen. l. 2. 22. de ira: *Præceptores Pædagogique pueris placidi dentur.*

Fac sis vacivas, Pseudole, ædes aurium.
Mea ut migrare dicta possint quò volo.

Delphis

Delphis tibi responsum dicito.
Iuberes hunc præcipitem in pistrinum trahi.
Edepol mortalem graphicum, si servat fidem?
Aut de compacto faciunt consutis dolis.
Quasi in libro cum scribuntur calamo literæ,
Stilis me totum usque ulmeis conscribito. *Virgas puta.*
Dum concenturio in corde Sycophantias. *hoc est, in album refero.*

CAP. XXXI. *Act. II. Sc.* I.

Neque quod dubitem, neque quod timeam, meo in pectore conditum est consilium..
Nam ea Stultitia est, facinus magnum timido cordi credere: nam omnes
Res perinde sunt, ut agas, ut eas magnifacias: nam ego in meo pectore prius ita paravi copias duplices, triplices dolos, perfidias.
Ballionem, exballistabo lepidè. hoc ego oppidum admœnire volo. atque ad hoc meas legiones adducam.

Sc. 2.

Iam pol ego hunc stratioticum nuncium advenientem, probè percutiam.
Condus promus sum, procurator peni. quasi te dicas atriensem. *Servi atrienses erant, totius domus honoratissimi & potentissimi, & quasi columina, qui domini negotia procurabant, nec parum juris in alios servos habebant. Ab* atrio *sic dicti. Ejus partes officii eleganter discribuntur* Asin. 2. 4.
Non soles respicere te, cum dicas injuste alteri?
Compendium ego te facere pultandi volo.
Nam hic mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos.
Neque te vidi ante hunc diem unquam oculis meis.

Tu

Tu inventus verò meam qui forcilles fidem! *varia hîc nota. Aliqui hic legunt* fugilles, *unde postea corruptum* forcilles. Salmasius *aliter conjecturam facit, scribitque:* meam qui forioles fidem, *id est, inquines, contamines*. Foriolare & Foriare *idem*, & lutare & Lutulare, *à quo &* collutularit.

Quasi tu dicas me te velle argento circumducere.

Sed, quid tibi nomen? Harpax. Apage te Harpax, haud places. Hostes vivos rapere soleo ex acie, ex hoc nomen mihi est.

Sc. 3.

Nam ipsa mihi opportunitas non potuit opportunius advenire.

Centum doctum hominum consilia sola hæc devincit Dea Fortuna. Atque hoc verum est; perinde ut quisque fortuna utitur, ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus.

Certa amittimus, dum incerta petimus. atque hoc evenit in labore atque dolore, ut mors obrepat interim. Sed jam satis est diu philosophatum.

Dii immortales, aurochalco contra non carum fuit meum mendacium.

Nam hæc illud Cornucopiæ est, ubi inest, quicquid volo.

Sc. 4.

Vt paratragœdiat carnifex! confer gradum contra pariter. porrige audacter ad salutem brachium.

Ei os sublevit probè. Dic utrum, Spemne, an Salutem salutem? *in quo sc. mihi adhuc superet Amica impetranda spes.*

Manuleatam tunicam habere hominem decet. *quia pueri meritorii, sivè cinadi cauponii cum longis manicatis tunicis incedebant.*

Ecquid habet is homo aceti in pectore? hoc est, *prudentia.*

Vt

Vt dulce promat indidem. murrhinam, passum, defrutum, melinam, mel quojusmodi.

Quin in corde instruere quondam cepit thermopolium. *Murrhina potus dulcis & suavis, qui impediret ebrietatem. hinc murrhinus odor.* Passum, *vinum est ex uvis passis confectum.* Defrutum, *mustum est, ex duabus partibus ad tertiam confectum.* Melina, *potio ex melle, ὑδρόμελι.* Thermopolium, *taberna, ubi dulces potiones vanibant, quas calidas bibebant: unde & nomen.*

Meo me ludo lamberas. *Lamberare, inquit, Festus, est* scindere, laniare. *Servus igitur dicit se suo ludo vapulare.*

Scisne in re advorsâ versari? Turbo non æquè citus est.

Ecquid argutus est? malorum facinorum sæpissimè.

Quid, cum manifestò tenetur? anguilla est, elabitur.

Ecquid is homo scitus est? Plebiscitum non est scitius.

Hic qui advénit, quid sapit? Hirquum ab alis. *tetrum sc. illum odorem subalarem.*

Nunc defæcatum est, cor mihi nunc pervium est.

Avi sinistrâ, auspicio liquido, atque ex sententia.

Ibo ad forum, atque onerabo meis præceptis Simiam. *mandata enim & interrogationes inter onera habentur.*

Act. III. Sc. 2.

Vbi ego omnibus parvisque miseriis præfulcior.

Cras mihi potándus est fructus fullonius. Hodie *apud nos mulieres dicuntur* fulloni dari, *quæ subiguntur & permoluntur. Latini premi & comprimi mulieres dicunt, quæ verba propria sunt fullonicæ artis.* Salmas.

Forum

Forum coquinum qui vocant, ſtultè vocant;
Nam non coquinum eſt, verum furinum eſt forum.
Quin ob eam rem Orcus recipere hunc ad ſe noluit
Vt eſſet hic, qui mortuis cœnam coquat. Orcus hîc *coquinum & furinum forum, ubi coqui ſtant, exſpectantes aliquem vocatorem. Quia coqui ὅτι πολὺ, fures.* Pareus. *Orcus hic accipitur pro Dite patre, aut Summano. porrò, mortui non ſunt ciborum egentes. Quivis appoſiti, etiam inſulſi, iis placent, ſi quid iis placeat, quibus nihil poteſt diſplicere. Facetè igitur hic deſcribitur coquus inſulſus, qui dicitur inter viventes mortuis cibum poſſe coquere.*
Qui mihi condita prata in patinis proferunt. *h.e. herbas varias.*
Ego fui hodie ſolus obſeſſor fori. illi drachmis ſunt miſeri. *h.e. veneunt, ſeu operam drachmis locant.*
Me nemo poteſt minoris quiſquam Nummo, ut ſurgam, ſubigere. *Aureo ſc. qui pluris duobus aureis noſtratibus.*
Indunt coriandrum, feniculum; allium, atrum olus:
Apponunt rumicem, braſſicam, betam, blitum,
Eo laſerpicii libram pondo diluunt. *Laſerpitium, ſuccus ex radice ſilphii. de his vide Botanicos.* Blitum, *genus oleris, à ſaporis ſtupore appellatum, βλὰξ enim ſtupidus eſt & bliteus.* Blitum *eſt herba nullius uſus.* Blitea meretrix, *h. e. fatua, peſſimaque.* Rumex, *oxalis & acetoſa dicitur.* Beta, *herba ſic dicta, quod referat formam B. teſte Columellâ.* Martiali, fatua, *nominatur. inde in convitium tranſiit de homine inſulſo.* Atrum olus, *pro nigro & inſipido.*
Teritur ſinapis ſcelerata, cum illis, qui terunt,
Priuſquam triverunt, oculi ut exſtillent, facit.
Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus. *Striges ſunt aves nocturnæ. Græci στρίγγας appellant. unde male-*

maleficis mulieribus nomen est inditum: quas volaticas etiam vocant. nam talia condimenta sic intestina intorquent, tanquam striges sint. igitur addit:

Vivis conviviis intestina quæ exedint.

hoc hîc quidam homines tam brevem vitam colunt: cum hasce herbas hujusmodi in suum alvum congerunt.

Formidolosas dictu, non esu modo:

Quas herbas pecudes non edunt, homines edunt.

Nam vel ducentos annos possunt vivere, meas qui esitabunt escas, quas condivero.

Nam ego ciciliendrum quando in patinas indidi

Aut si polindrum, aut macidem, aut sancaptidem.

Hæc ad Neptuni pecudes condimenta sunt. *Macis, cortex aromaticus, nucis myristicæ amiculum.* ciciliendrum, *aromatis genus, incognitum Botanicis. putatur esse Arabicum.* vide Lex. Parei. *Sic & alia hujusmodi maximè ficta.*

Terrestes pecudes cicimandro condio, aut happalopside, aut cataractriâ.

Vbi omnes patinæ fervent, omnes aperio. *h. e. opercula removeo.*

Is odos demissis pedibus in cælum volat. *jocus poëticus. odori quis manus aut pedes tribuat?*

Eum odorem cænat Iupiter quotidie. *Iupiter apud Homerum delectatur eo.*

An invenire postulas quemquam coquum,
Nisi milvinis aut aquilinis ungulis?
Verum pro pretio facio, ut opera appareat
Mea, quò conductus sum. *par pari hostimentum reddens.*

Quin ibi constrictis ungulis cænam coquas?

Si conquiniscet istic, conquiniscito simul. *Conquinire, decubare est, à quo conquinisco. Est enim cernuum se inflectere, velut se exoneraturi.*

Sor-

Sorbitione ego hodie faciam te meâ
Ita ut Medea Peliam concoxit senem. *Aesonem puta potius. vide Fab.* II. *lib.* VII. *Metamorph.*
Atque ita suavitate condiam, ut quisque quicquid conditum gustaverit, ipsos sibi faciam, ut digitos prærodat suos.
Vt prærodatis vestras furcificas manus.
Molestus ne sis, nimium tinnis. non places.
Iam hic quoque scelestus, coqui sublingio. *Quasi dicat: discipulus loci ad lingendas patinas, quàm ad obsonia coquenda aptior* Vide plura hoc loco in PL. Boxh.

CAP. XXXII. *Act. IV. Sc.* I.

SEd eccum video verbeream statuam: ut magnificè infert sese! *servum intellige verberib. dignum.*
Neque ego hoc homine quenquam vidi magis malum, & maleficum.
Memorem immemorem facit, qui monet, quod memor meminit.
Teneo omnia: in pectore condita sunt, meditati sunt doli doctè.
Vt ego te hodie excipiam lepidè, ubi effeceris hoc opus.
Lepido victu, vino, unguentis, & inter pocula pulpamentis.
Ibidem una aderit mulier lepida, tibi savia super savia quæ det.
Nisi effecero, cruciabiliter carnifex me accipito.
Verum ex transvorso cedit, quasi cancer solet.

Sc. 2.

Quotumas ædes dixerit, id ego admodum incerto scio. *pro quotas.*
Quis hic homo chlamydatus est? *Chlamys est viatoria.*

toria vestis. Hinc chlamydati, qui peregrè advenirent, ab habitu fere vocabantur.

Peregrina facies videtur hominis, atque ignobilis.

Heus, tu qui cum hirquinâ adstas barbâ. *vide Electa Parei PL. tit. Barba, & nomina partium ignomin.*

Nulla est mihi salus dataria. *quam sc. ego alteri dem.*

Nam in foro vix decimus quisque est, qui ipsus se noverit.

Vt vestitus est perfossor parietum! *Vecticularius, qui palo ferreo muros furandi gratiâ perfodere solet.* Vectis *palum ferreum sign. Hinc* vecticulariam facere. *Et* vecticularia vita.

Nunc homo in medio luto est. Nomen nescit.

Cedo mihi epistolam. Accipe: cognosce signum. *Linum fuit vinculum, quo epistola obligabatur, & cui signum ipsum impositum impressumque. Nec epistolam aperire fuit, nisi illo signo soluto. Hinc* linum incedere *apud Cic. &*, Solvere epistolam. *Vide plura hic.*

Harpax calator meus est, ad te qui venit. *Festus;* calatores *dicebantur servi,* ἀπὸ τοῦ καλεῖν, *quod est vocare, quia semper vocari possent ob necessitatem servitutis.*

Purus putus est ipsus. *putum pro puro dicebant. unde:* putatæ vites; *quod cum id, quod impedimento erat, decisum est, remanent pura.*

Sc. 3. 4. 5. 6.

Cor colligatis vasis exspectat meum. *Sumptum à re militari, ubi vasa colligunt, aut ornantes fugam aut castra mutantes.*

Non ego te ad illum duco dentatum virum Macedoniensem. *hoc est, magnis dentibus; vel mordacem.*

Mihi

Mihi cor retunsum est oppugnando pectore. *pro, retusum est. ita mihi palpitando cor pectus tudit, ut jam ipsum penitus retusum sit.* Dissald.

Ite hac triumphi ad cantharum recta via.

Viso quid rerum meus Vlysses egerit,

Iamne habeat signum ex arce Ballionia. *Phanicium. ut olim Vlysses ex arce Trojanâ Palladium. Vide notas Bacch. act. 4. sc. 9.*

Det nomen ad molarum coloniam. *Alludit ad morem Rom. quò qui educendi erant in aliquam coloniam, in eam nomen dabant.* Coloniæ *quoque nomen pro quavis habitatione & conductione coloni seu domicilii sumitur.*

Sc. 7.

Nihili est autem, suum qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus.

Bona Scæva est mihi. *Scævum à Græcis; qui scævum dicunt sinistrum. Inde Scævola appellatus; à sinistrâ: quod, quæ sinistra sunt, bona auspicia existimantur, à quo dicuntur Comitia; aliudve, quod sit ave sinistra, scævâ.* Festus.

Cave tis tibi à curio infortunio. *Curium infortunium hoc loco dixit, quo macer reddi possit iste, qui tam solicitè quæreret, ubi esset leno Ballio.* Curius, *à Cura. Ita,* agnum curionem *supra dixit, pro macro. quia præ curis emaciantur homines.*

Contumeliam si dices, audies.

Conveniebatne in vaginam tuam machæra militis?

Vncti hi sunt senes, fricari se ex antiquo volunt.

Helleborum hisce hominibus est opus. *alibi hoc sumus interpretati.* Danda est hellebori multo pars maxima avaris. *Horat. 2. Sat. 3.*

Meo peculio hæc empta habeo. *Vide de hoc loco obscæniore, Plaut. Boxh. hoc loco.*

Quem ego hominem nullius coloris novi. *sic Apul.*

Apul. usque an albus, an ater esses, ignoravi.

Iam dudum illi Syrus cor perfrigefacit.

De improbis viris auferri præmium & prædam decet.

Pseudolus mihi centuriata habuit comitia. *significat Pseudoli consilia omnibus artibus fuisse instructissima. Nam* centuriata comitia *erant omnium maxima.* Curiata & Tributa *erant minora.*

Superavit Dolum Trojanum atque Vlyssem Pseudolus. *pro Dolonem. Dolo speculator in castra Græcorum missus, ab Vlysse, qui etiam venerat speculatum, interfectus.*

Bene ego illam tetigi. Nimis illic mortalis doctus, nimis vorsutus, nimis malus.

Act. V. Sc. I.

Hercle si cecidero, vestrum erit flagitium. *sc. vestra culpa, & flagris digna.*

Magnum hoc vitium vino est, pedes captat primum. Luctator dolosus est

Nunc probè abeo maldulsa. *Festus: Madulsa. ebrius. à Gr. μαδᾶν. vel quia sit madidus vino.*

Loco festivo sumus festive accepti

Nam ubi amans complexus est amantem, ubi labra ad labella adjungit; ubi alter alterum bilingui manifesto se prehendunt: ubi mamma manicula opprimitur alia. aut si lubet, corpora conduplicant, manu candidâ cantharum dulciferum propinare amicissimam amicitiam. *Maniculam aliqui hic interpretantur parvam manum; alii à mala manu, &c.* vide Cl. Salmas. hic. *Sententia est; Diis proximum esse arbitror, ibi esse, ubi cantharus dulcifer candida manu propinat dulcissimam salutem.*

Est homini, quamobrem vitam amet. Hic omnes voluptates; in hoc omnes venustates sunt. Diis proximum esse arbitror.

Vnguenta atque odores, lemniscos, corollas dari dapsiles. *Lemnisci sunt fasciolæ purpureæ, dependentes ex*

ex coronis. Solebant enim veteres coronas fasceis laneis ex purpura alligatas donare.

Hanc diem sumpsimus prothymè. Qui probè Iönica perdidici. Sed palliolatim amictus. *Tunica palliolata, mixtum est genus vestis, usum & formam referens tunica & pallii.*

Vbi circumvortor, cado: id fuit nænia ludo. *hoc vult dicere: is casus huic ludo meo finem fecit. Nania cani solebat iis, qui finierant vitam. Hinc tracta hæc loquendi formula, ut dicatur nania ludi, ludi finis.*

Sc. 2.

Quid tu, malum ergo in os mihi ebrius eructas?

Non vides me, ut madidè madeam?

Pergin' ructare in os mihi?

Massici montis uberrimos quattuor fructus ebibere in horâ unâ. *quasi diceret vindemias Maßici vini.*

Vnde onustam celocem agere te prædicem. *Egregia translatione de bibulis dicitur, qui celocem onerant, & vino se implent.*

Perpotavi modò. Sed, Simo, quàm probè tactus Ballio est!

FINIS PSEUDOLI.

M. AccI

M. ACCI PLAUTI.

POENULUS.

COMOEDIA hac lepida, elegantiarum plenissima. detegens artes lenonias, illicitosque Amores.

CAMERARI

Argumentum.

A Pano Panulus est forma diminutionis. Pœnus ille, qui introducitur, patruus est adolescentis, cujus sunt prima partes in Fabula. Quidam adolescens Carthaginensis furtim surreptus, avehitur Caledonia in Aetoliam, & ibi venditur seni civi, &c.

ELE-

ELECTA PLAUTINA.

Ex

P OE N U L O.

CAP. XXXIII.

PROLOGUS.

SIleteque & tacete, atque animum advortite.
Audire jubet vos imperator histricus.
Bonoque ut animo sedeant in subselliis,
Et qui esurientes, & qui saturi venerint.
Qui edistis, multò fecistis sapientius:
Qui non edistis, saturi fite fabulis.
Nimia stultitia est, sessum impransum incedere.
h. e. subsellium occupare, non antè pransum.
Bonum factum est, edicta ut serveris mea.
Scortum exoletum ne quis in proscenio
Sedeat, neu lictor verbum, aut virgæ muttiant,
Neu designator præter os obambulet. *Designatores in funere publico lectores comitabantur, severioris imperii causa & ordinis servandi: sic in theatro. non intelligendum de Lictoribus magistratuum.* Lipsius.
Vitent ancipiti infortunio: ne & hîc varientur virgis, & loris domi.
Neve esurientes hîc quasi hædi obvagiant.
Matronæ tacitæ spectent, tacitæ rideant
Canora hîc voce sua tinnire temperent.
Irruptionem facite; nunc dum occasio est.
Nunc dum scriblitæ æstuant, ocurrite. *Scribilita, vel scriblita est genus placentæ. sic fortasse dicta, quod eam qui fingit, quasi scribere videatur.*
Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Pollin-

Pollinctor, *quasi pollutorum h. e. cadaverum unctor. tanquam*, pellis unctor. *ut sit pellengere*, *quasi* pellem ungere.

Ipse abiit ad Acheruntem sine viatico. *solebant enim tumbis mortuorum imponere viaticum*, *aurum & pretiosa vasa. putantes animas sine his nusquam posse divertere.*

Quia amare cernit, tangere hominem vult bolo. *sic apud* Non. *Patrem argenti talento tetigi*, *id est, circumveni. Tangere enim, fallere significat. sic Terent.* Geta ferietur munere.

Valete atque adjuvate, ut vos servet salus.

Act. I. *Sc.* I

Docte, & cordatè;& catè mihi reddidisti opiparas operâ tuâ.

Pro quibus benefactis fateor deberi tibi
Et libertatem & multas grates gratias.
Tuæ blanditiæ mihi sunt, quod dici solet
Gerræ germanæ, atque edepol liræ liræ.

Si authoritatem postea defugeris. Differor cupidine ejus.

Ego in ædem Veneris eo. Aphrodisia hodie sunt, oculos meos volo delectare mundiciis meretriciis. *Aphrodisia, dies Veneri festus.*

Inest amoris macula huic homini in pectore, quæ sine damno magno elui neutiquam potest.

Cui jam infortunii intenta ballista est probè. *Balista proprie sign. instrumentum bellicum, quo lapides & saxa ejaculabantur. Interdum amori adscribitur ut in Bacch.* 4. 4. 58.

Sc. 2.

Negotii sibi qui volet vim parare,
Navem & mulierem, hæc duo comparato.
Nam nullæ magis res duæ plus negotii
Habent, fortè si occœperis exornare.
Neque unquam satis hæ duæ res ornantur.

I Nam

Nam nos usque ab aurora ad hoc quod diei est,
Ex industriâ ambæ nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi.

Apage sis, negotii quantum in muliere unâ est!

Sed verò duæ, sat scio, maximo uni
Populo, cui libet, plus satis dare potis sunt.

Modus muliebris nullus est. Nam quæ elauta est, nisi perculta est, meo quidem animo quasi illauta est.

Modus omnibus in rebus, soror, optimum est habitu.

Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus ex se.

Quasi salsa muriatica esse autumantur
Sine omni lepore, & sine suavitate:
Nisi multa aquâ & diu macerantur,
Olent, salsa sunt, &c.

Ejus seminis mulieres. sunt insulsæ
Admodum, atque invenustæ sine munditia & sumptu

Lingua huic excidit. tantula tanta verba funditat.

Vis inter istas versarier Prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, miseras, cæno delibutas, servolicolas sordidas? quæ tibi olant stabulum, statumque, sellam, & sessibulum merum? *Proseda à prosedendo in meritoriis vel fornicibus. alibi* Prostibula *dicuntur, quod ante stabulum stent quæstus diurni ac nocturni gratia. Interdum quoque sedebant meretrices: unde dictæ* Sellariæ. Alicariæ meretrices *solita in Campania ante pistrina alicorum versari, quæstus gratia.* Alica *dicitur, quod alit corpus.* Cæno *delibuta. Sabini dicunt* Scœnum *pro* cœnum*: ut* scœlum *pro* cælum.

Cujus ego nebulæ cyatho septem noctes non emam.

Nam

Nam Venus non est Venus. hanc equidem Venerem venerabor, me ut amet posthac propitia.

Non enim quæstus. potest subsistere, si eum sumptus superat.

Servolorum surdidulorum scorta diobolaria. *Diobolares meretrices, vilissimi generis, quæque merebant binos obulos,* h. e. dupondium. Nebulam *pro re nihili ponebant. unde & nebulones. Persius*: Grande locuturi nebulas Helicone legunto. *h. e. nugas & inania, & nugacia Poetarum figmenta.*

Illa mulier lapidem silicem subigere, ut se amet, potest.

Invidia in me nunquam innata est, neque malitia.

Tu es lapide silice stultior. Vt tibi & illi limem caput. *Limare caput conjungere sign. illa conjunctio amantium, quasi terere & limare amplexibus osculisque mutuò sese videtur.*

Bono ingenio me esse ornatum, quàm auro multo mavolo.

Aurum in Fortunâ invenitur, naturâ ingenium bonum.

Bonam ego quam beatam me esse nimio dici mavolo. *Beatos olim vocabant, qui opib. abund.*

Meretricem pudorem gerere magis decet, quàm purpuram.

Pulchrum ornatum turpes mores pejus cæno collinunt.

Lepidi mores turpem ornatum facilè factis comprobant.

Siquidem tu mecum es futurus pro uvâ passâ pensilis. *alludit ad uvas, quæ sæpe suspenduntur, ut passæ fiant.* Horat. *Tum pensilis uva secundas Et nux ornabat mensas.* Auctor Priap. Vvis aridior puella passis. *Et Græci hominem ἀσαφίδα vocant. Lucill.* passos senes dixit. *Persius*, apricos.

Nimia vos socordia hodie tenuit.

Quæ habent nocturna ora noctu sacrificatum

ire occupant. *aliqui legere malunt* ora noctuina, *à noctuis avib. deformib. & inauspicatis.*

Nam vigilante Venere si veniant eæ, ita sunt turpes, Venerem ut ipsam è fano fugent.

Nihil nisi laterculos, Sesamum, papaveremque triticum, & frictas nuces. *Laterculus genus est pistorii operis, à forma, in quam fingitur, vocati. Apul. panes, crustula, lucunculos, hamos, laterculos, plura scitamenta mellita.* Turneb. Sesamum *inter bellaria principem locum obtinebat.* papaverem *fuisse ex eodem numero constat ex Petronio:* Mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque tanquam papavere & sesamo sparsa. *Sic* nuces frictæ *ex melle in secundis mensis apponebantur. Ita &* sicer frictum, *&* fabam frictam. *ex melle edebant.*

Lucrum amare nullum amatorem addecet.

Tunc ego & oleum & operam perdidi.

Quia apud ædem Veneris hodie est mercatus meretricius, eò conveniunt mercatores.

Invendibili merce oportet ultro emptorem adducere.

Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est.

Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.

Sunt mihi intus, nescio, quot nummi aurei lymphatici. *Antiquis* lymphare *idem, quod* oblucinare *erat, & furore corripi.* ut *enim à luco* oblucinare *dicebant, quod lucos sacros diis existimarent, & qui in illis multum versarentur, deorum occursu & præsentia furore agitari: sic eum, cui conspecta Nymphæ essent,* Lymphatum & furiosum *appellabant.* νυμφόληπτον Græci.

Iam hercle tu peristi, nisi illam mihi tam tranquillam facis, quàm mare est olim, cum ibi alcedo pullos educit suos. *De alcedone vide notas Terentianas in Andriâ.*

Quam magis adspecto, tam magis est nimbata.

nimbus

nimbus erat fascia frontalis. nam cum frons parva inter forma decora reputaretur, ut magnitudinem possent dissimulare, nonnulla forma studiosa nimbis eam imminuebant. hos nimbos tam callidè dissimulabant, ut agrè cognosci possent. Inde est, quod dicat hic Milphio, meretricem quo attentius intueretur, eo magis videri nimbatam.

Sed vide sis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea.

Mea voluptas, meæ deliciæ, mea vita, mea amœnitas,

Meus ocellus, meum labellum, mea salus, meum suavium,

Meum mel, meum cor, mea colostra, meus molliculus caseus. *Colostra vel colostrum, est lac novum in mammis.*

Discrucior miser, nisi ego illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi.

Novi ego hujus morosi malos.

Non ego homo trioboli sum, nisi ego illi mastigiæ

Exturbo oculos atque dentes.

Hujus salus, hujus amœnitas, hujus festivitas

Hujus colostra, hujus dulciculus caseus, mastigia,

Hujus jecur, hujus studium, hujus flagrum.

Hujus amica mammeata, mea inimica & malevola.

Oculus hujus lippitudo mea: mel hujus, fel meum.

Capias restim ac te suspendas cum hero.

Hem mihi jam video propter te victitandum sorbilo. *h. e. video mihi propter te vapulandum & gemendum. suspiria enim & gemitus vapulantium, imitantur spiritum sorbentium.*

Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito.

Paucis verbis rem divinam facito.

Sc. 3.

Perque hanc sororem lævam, perque oculos tuos,

Perque meos amores. *autor Moneti: Interdum fessa succedit læva sorori, Alternatque vices. Altera manus quasi soror dextra. omnia enim paria fratres & sorores appellabant.*

Quantum Acheronte est mortuorum!

Nam isti quidem hercle oratione Oedipo

Opus conjectore est, qui Sphyngi interpres fuit. *Alibi explicavimus. Vide Indicem.* Pseud. 1. 1.

Act. II.

Dii illum infelicitent omnes, qui post hunc diem ullam Veneri unquam immolarit hostiam.

Quoniam litare nequeo, vetui exta prosecarier. *Litare plus est quam sacrificare.* Sacrificare *est offerre sacrum & veniam poscere.* Litare *est propitiare, & votum impetrare.* Non ἀπὸ τῶν λιτῶν, *à precibus*; sed à luere, id est, *solvere.* Prosicarier: exta cocta solebant prosecare: unde & prosecta dicebantur. Partem adolebant; partem consecrabant; *sacerdotibusque dabant*; *Ovid. Inde ubi libavit, prosecta sub æthera ponit. Nonius: prosecta exta, quæ aris dantur ex fibris pecudum dissecta.*

Omnibus in extis ajebat portendi mihi malum damnumque. & Deos esse iratos mihi.

Eo pacto avaræ Veneri pulchrè adii manum. *Adire manum vide Aul.* 2. 8.

Eo prosternebant folia farferi. *Farferum, virgulti genus. herba quoque est nymphea non dissimilis. Apul. Folia sunt farferi & nugæ meræ.*

Tam crebri ad terram accidebant quam pira.

Vt quisque acciderat, eum necabam ilico

Per cerebrum pinna sua sibi, quasi turturem. *solent enim ex disciplina venatoria aves quædam hoc modo necari.*

CAP.

CAP. XXXIV. *Act. III. Sc.* I.

Ita me Dii ament, Tardo Amico nihil est quicquam iniquius. Præsertim homini amanti, qui quicquid agit properat omnia.

Sicut ego hos duco advocatos, homines spissigradissimos, Tardiores quàm corbitæ sunt in tranquillo mari. *naves onerariæ sunt, quæ tardæ & grandes. sic dictæ, quod earum malus ferebat corbem in summo fastigio.*

Nam isti quidem gradus succretu'st cribro pollinario. *Quorum gradus in ambulando, perinde minutus & creber, quasi sacco colatus esset. Liquores enim per saccum, dum exprimuntur, minutis guttis eunt. per* cribrum pollinarium *intelligitur ipsa farina, à furfuribus expurgata, quam* florem *h. e. pollinem vocamus.* Pareus. *Quasi pedes habeant in cribro aut sacco, vult dicere. Quod videre licet in equis tolutariis.*

Liberos homines per urbem modico magis par est gradu ire. servile esse duco festinantem currere.

Præsertim in re placidâ, atque interfectis hostibus, non decet tumultuari. *Tumultus quasi tumor multus.*

At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,

Vinceretis cervum cursu, vel grallatorem gradu.

Nunc vos quia mihi advocatos dixi, & testes ducere,

Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine. *Pro grallatore aliqui legunt clavatorem. vide Salmas. hoc loco in Boxh. PL.*

Tuâ causâ nemo nostrum est suos rupturus ramices. *est hernia, vitium scroti & tunicarum, quæ inguina attingunt.*

Quin etiam deciderint vobis femina in talos velim. *vide indicem, Femina.*

Nec tuum quidem est, amicis per jocum injustè loqui.

Basilicè ornatus incedit, & fabrè ad fallaciam.

Sc. 2.

Callum aprugnum callere æquè non sinam

Fac modo condocta tibi sint dicta ad hanc fallaciam. *callum aprugnum explicatum in Capt. act. 4. sc. 3.*

Non potuisti homines adducere magis ad rem idoneos.

Nam istorum nullus nefastus est, comitiales sunt meri. *Nefastum I C intestabilem vocant. sensus est: His testibus non esse nefas testimonium perhibere. & sic nec improbos nec intestabiles esse, quia in comitio perhibendis testimoniis assiduò dant operam. Translatio est igitur à dieb. nefastis.* Tria verba fari, *quid sit, alibi hîc notavimus.*

Hodie juris coctiores non sunt, qui lites creant,

Quàm sunt hi: qui si nihil est litium, lites serunt. *Ridiculum dictu*, juris coctiorem, *pro* juris doctiorem *dicere. Nam & jus culinarium coquitur. Et* coctus *&* recoctus *dicitur, qui in aliquâ re tyro non est.* Turneb.

Agite, inspicite? aurum est. Co. profectò, spectatores, Comicum: *Comicum aurum hîc lupini sunt. Et sicut in comœdia pro aureis nummis annumerantur lupini, sic & pueri lupini grana pro nummis soliti sunt habere, atque numerare. & inter æs & lupinum parum distinguere.*

Fores hæ fecerunt magnum flagitium modò. crepuerunt clare. *alludit ad crepitum ventris, qui non sine flagitio in cœtu hominum editur.*

Sc. 3.

Isthic est thesaurus stultis in lingua situs,

Vt

Vt quæſtui habeant malè loqui melioribus.
Viam qui neſcit, qua deveniat ad mare,
Eum oportet amnem quærere comitem ſibi.
Nunc vos mihi amnes eſtis: vos certum eſt ſequi.
Si bene dicetis, veſtrâ ripâ vos ſequar,
Si male dicetis, veſtro gradiar limite.
Malo bene facere, tantundem eſt periculum,
Quantum bono malefacere.
Malo ſi quid benefacias, id beneficium interit.
Bono ſi quid malefacias, ætatem expetit. *h. e. diu durat ac perennat.*
Sermonem ibi nobiſcum copulat.
Quorſum aſinus cædit calcibus? aſinus ferociens retro jactat calces. *ſignificat, lucrum non provorſum ad Lycum iturum, ſed verius retrorſum ab eodem abſceſſurum.* Taubmann.
Hoſpitum te ajunt quærere à muſcis. Co.
Quia à muſcis ſi mihi hoſpitium quærerem,
Adveniens, huc irem in carcerem recta via.
Ego id quæro hoſpitium, ubi ego curer mollius,
Quàm regi Antiocho oculi curari ſolent. *Hoſpitium à muſcis h. e. liberum ab arbitris & adventorib. Addit de carcere, quia nemo invocatus in carcerem veniret. atque adeo illic tutus ſatis.*
Vbi tu Leucadio, Lesbio, Thaſio, Coo,
Vetuſtate vino edentulo ætatem irriges. *Lepidè dictum*, vinum ſine dentibus: *quaſi nimiâ vetuſtate. Vinum vetus antiquis laudatum. comparatione à ſenibus deſumptâ*, Edentulum *vocat Plautus. Vt enim ſenibus dentes excidunt, ita vinum vetuſtum ſine dentibus eſt*, hoc eſt, cruditatem acerbitatemque *deponit.* Lipſ.

Sc. 4.

Edepol feciſti prodigum promum tibi. *non potuiſti eligere*

eligere promum largiorem , quàm ego sum.

Si pultem, non recludet. AD. Panem frangito. *h. e. pedib. & pultando fores frangito , haud aliter, quàm panis frangitur , ubi puls non datur. jocus est in voce* pultem, *quod est nomen & verbum.*

Sc. 5.

Qui illi malæ rei fuimus illices.

Suspendant omnes nunc jam se aruspices.

Tranquillitas evenit , quasi navi in mari :

Vtcunque est ventus, exin velum vortitur.

Calidum prandisti prandium hodie ? Ly. quia os nunc frigefactas, cum rogas.

Lupo agnum eripere postulant, nugas agunt.

Nego , & negando, si quid refert, ravio. *hoc est, contenta voce ad ravim usque clamans pernego.* Turnebus.

Sc. 6.

Cras subscribam homini dicam.

Priusquam obtorto collo ad prætorem trahor. *Rapere obtorto collo, est, veste ad collum prehensa gulam & fauces premere , iisque astrictis urgere & trahere.* Turneb.

Ita sunt isti nostri divites , si quid bene facias, levior pluma est gratia. si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt. *h. e. graves & diuturnas.*

Pro spisso evenit , quod mali promittunt. *hoc est, perquam tarde & serò.*

Act. IV. Sc. 1.

Servire amanti miseria est.

Sc. 2.

Neque perjurior , neque pejor alter usquam est gentium.

Neque tam luteus, neque tam cœno collitus

Itaque me dii ament, vel in lautumniis , vel in pistrino mavelim agere ætatem, præpeditus latere forti

forti ferro mea: quam apud lenonem hunc servitutem colere.

Quodvis genus ibi hominum videas, quasi Acherontem veneris. *Lautumniæ sunt loca lapidibus cæsis exsecta, in qua noxii damnari solebant. Cujusmodi erant lapidicinæ Syracusis in Sicilia.*

Itaque in totis ædibus tenebræ, latebræ: bibitur, estur: quasi in popina, haud secus.

Ibi tu vides literatas fictiles epistolas pice signatas. *intellige amphoras literis inscriptas. sic* vina literata. *&* ensiculus literatus. *Interpretes ad illud Arbitri vide:* statim allatæ sunt amphoræ vitreæ, diligenter gypsatæ, quarum in cervicib. pittacia erant affixa. *Vide plura PL. Boxh. Nomina consulum inerant longis literis.*

Ita vinariorum habemus nostræ delectum domi.

Malè partum, malè disperit.

Qui ipsus hercle ignaviorem potis es facere ignaviam.

Herus nequivit propitiare Venerem suo festo die.

Vbi mihi vapulandum est, tute corium sufferas. *h. e. tuum pro me tergum supponas.*

Facio, quod manifesto mœchi haud fermè solent. Quid id est? Refero vasa salva. *Ludit jocosè. Vasa omne instrumentum signif. & eam partem, quam pudor secrevit ab oculis.*

Neque triobulum ullum amicæ das, & ductas gratiis.

Sine pennis volare haud facile est. meæ alæ pennas non habent.

Nolito edepol devellisse, jam his duob. mensibus

Volucres tibi erunt tuæ hirquinæ. *Alludit nequam plagitriba ad pilos subalares. id est, primam illam & musteam subalis sive axillis erumpentem lanuginem, &c.*

Fidei non melius creditur, loquere. hic soli sumus.

Manu eas asserat suas populares, liberali causa. *hoc est, actione, seu judicio de libertate. Et sunt juris verba, à quib. etiam* Assertores *dicuntur, vindices alienæ libertatis.*

Profectò ad incitas lenonem rediget. *h. e. ad summam egestatem. Multi legi volunt* incita. *Scaliger tuetur* incitas.

Proba materies data est, si probum adhibes fabrum.

Act. V. Sc. 2.

Deum hospitalem ac tesseram mecum fero. *sc. 1. de tesserâ fidei ac hospitali diximus.*

Creta est profectò horum hominum oratio. *quasi oratio Agorastoclis & Milph. eam vim habeat, quam creta. nam eâ emaculantur vestes. sic illa oratio animo suo omnes sordes abluat. Aliqui de sermone candido & fausto intelligunt.*

Incipere multo est, quàm impetrare, facilius,

Sed quænam illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit? *vocat Pænum avem, ob manicas alarum instar utrimque pensiles, libereque fluentes.*

Viden, homines sarcinatos consequi? atque ut opinor, digitos in manibus non habent. Quia incedunt cum annulatis auribus. *malè apud Rom. Pœni audiebant, qui perforatas aures habebant,* Lucill. *Nequam est, aurum aures cujus vehementius ambit.*

Nullus me est hodie Pœnus punior. *h. e. callidior, vel Punicæ linguæ scientior.*

Mures Africanos prædicat in pompam ludis dateædilibus. *Romani veteres Elephantem vocarunt, Bovem Lucam; struthionem, passerem marinum: Camelopardalim, ovem feram: Pantheras, mures Africanos.*

Tu qui Zonam non habes, quid in hanc venisti urbem? *perdere. Zonam, notum proverb. à militib.* de-

desumptum, qui pecunias suas in Zonâ portabant. hîc pro veste Pœnorum sumitur.

At hercle te hominem & sycophantam & subdolum. *alibi interpretatus sycophantam.*

Qui huc venisti nos captatum Bisulci linguâ, quasi proserpens bestia. *Veteratores intellige, & improbos, qui instar serpentum te venenatis morsibus infestant.*

Neque eam incestavit unquam. *h. e. vitium attulit. incestum ab eo venit, quod est incassum. Hinc* crimen incestus. incesta conjugia. *h. e. minimè casta.* Incestare, *coitu inquinare.*

Statura haud magna, corpore aquilo. Specie venusta, ore parvo, atque oculis pernigris. *Nigri oculi olim laudi.* Horat. de Arte Poët. *Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.* Aquilus color, *est subniger, fuscus, ab aqua nominatus, cujus color, neque albus, neque niger.*

Sc. 3.

Tua pietas planè nobis auxilio fuit.

Hodie earum mutarentur nomina. *Meretrices solitæ nomen apud Ædiles profiteri, ac mutare. Et illæ, quæ quæstui meretricio renunciabant, liberum sibi ingenuumque nomen assumebant. Cellis etiam meretricum erant superimpositi tituli.* Douza.

Tace atque parce muliebri supellectili.

Quid iste clarus clamor sine modo?

Quos ego jam detrudam ad molas. Inde porrò ad puteum, atque ad robustum codicem. *Robur, in carcere is locus, quo mittebantur nefarii homines, qui antea arcis robustis includebantur.* Propert. *Codicis immundi vincula rupit anus.* Codicem à Robore *diversum censet Turnebus. quem alligati servi trahebant.*

Sc. 4.

Quanta è quantillis sunt factæ!

Tanta

Tanta ibi copia venustatum aderat, Arhabius Murrhinusque omnes odor complebat. .

Si tibi illic non os oblitum est fuligine.

Multa sunt mulierum vitia: sed hoc è multis maximum est, cum sibi nimis placent, nimisque operam dant, ut placeant viris.

Etiam me meæ latrant canes? *Etiamne ii, qui pro me omnia facere debent, mihi adversantur?*

Alludiato: dato mihi pro offa suavium, pro offe linguam objicito.

Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem. *proverb. in homines minime iracundos, lenique ingenio praditos.* Alludiare *dicuntur heri suis canib. cum eis alludunt.*

Condamus alter alterum in nervum brachialem. *hoc est, conjungamur mutuo brachiorum vinculo.*

O Apella, ô Zeuxis pictor, cur numero estis mortui?

Sc. 5.

Aere militari tetigero lenunculum. *ut solent milites latrocinari.*

Iam pol ego illam pugnis totam faciam, ut sit morula. *habent alii* merulea, *hoc est, tota nigra, ut avis merula.*

Itaque replebo atritate, atrior multo ut fiet,

Quam Aegyptii, aut qui cortinam per ludos ferunt. *Homines sole perusti, qui vas aqua plenum ludis Circensibus circumferunt. ut equos cursu defessos frigida adspergant. Vide plura hoc loco in PL. Boxh.*

Homo est cum tunicis longis, quasi puer cauponius.

Ego illum excruciandum totum carnifici dabo.

Sanè

Sanè genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis. *Laxa toga, ad talos demissa.*

Quid tibi hanc digito tactio est?

Nam te cinædum magis esse arbitror, quàm virum.

FINIS POENULI.

M. ACCI

M. ACCI PLAUTI
PERSA.

CAMERARI
Argumentum.

ARgumentum Fabulæ est exile, amationis servilis. Etiam parasiticæ levitatis exagitationem continet, dum Saturio filiam suam, cibi causâ, non dubitat vendere. Constat, ait, Scaliger, homine ex Peride πέρσην dici, & Latinè Persam, &c.

ELE.

ELECTA PLAVTINA.

Ex

P E R S A.

CAP. XXXV.

Act. I. Sc. 1.

QVi amans egens ingressus est princeps in amoris vias,
Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis:
Nam cum leone, & cum excetrâ, cum cervo, cum apro Aetolico, *per Excetram, Hydram intellige.*
Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,
Quam cum amore. Ita fio miser quærendo argento mutuo.
Qui hero suo servire vult bene servus servitutem,
Næ edepol illum multa in pectore suo collocare oportet,
Quæ hero placere censeat præsenti atque absenti suo. *Princeps idem est hîc, quod primus, qui sc. primum amare cœpit.*
Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen, quin mihi imperet. quin me suis negotiis præfulciat. *Proverb. de re, quâ carere non possumus. cum tamen damnosa nobis sit.*
Nec quicquam, nisi, NON EST; sciunt mihi respondere, quos rogo. *à quibus mutuò pecunias petebat. præfulciat. Hinc bonus & fidelis servus dicitur*

dicitur columen familiæ. qui instar fulcri & columinis est.

Plusculum annum fui præferratus apud molas tribunus vapularis. *hoc est, majorem anni partem. Tribunus vapularis pulchrè dicitur. sic antea dixit ergastulos* genus ferratile.

Saucius factus sum: in Veneris prælio Sagittâ Cupido cor meum transfixit.

Basilicè agito Eleutheria. *regium in morem vivens, ob libertatem nactam festos dies agito.* Eleutheria, *festa, quæ celebrabantur Græcis in honorem Iovis Eleutherii: quem & σωτῆρα vocabant.*

Basilico accipiere victu. Iam scapulæ pruriunt.

Diis ne advorser? Quasi Titani quum DIS belligerem. *contra quis ferat arma Deos?* Tibull.

Vide modò, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.

Nam tu aquam à pumice nunc postulas.

Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.

Cave fuas mihi in quæstione: usque ero domi, dum excoxero lenoni malum. *cave mihi quærendus sis.*

Sc. 2.

Veterem atque antiquum quæstum meum alimoniæ

Servo atque obtineo, & cum magna cura colo.

Nam nunquam quisquam majorum meorum fuit,

Quin parasitando paverint ventres suos.

Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,

Quasi mures semper edêre, alienum cibum,

Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.

His cognomentum erat duris capitonibus. *Durus antiquitus quoque pro impudente positum. unde* duri capitones *hoc loco exponuntur, ore improbo, duro ferreoque.* hoc est, attritâ perfrictaque fronte insignite

gnite præditi: *cujusmodi parasitis conveniunt. Olim inter alia instrumenta perditi luxus, & matula in triclinia inferri solita: quas sæpe, ubi incaluissent, in capita sibi invicem illiserunt. Hinc dicti propterea parasiti* duri capitones. Casaub. *Aliter* Lambinus.

Neque quadruplari me volo. *nolo esse quadruplator, nolo aliena bona ereptum ire: ne cogar ad solvendum quadruplum pretium.* Quadruplatores *sive delatores criminum publicorum sub pœnâ quadrupli: sive quod ipsi ex damnatorum bonis, quos accusaverant, quartam partem consequebantur.*

Qui hîc albo reti aliena oppugnant bona. *De illis, qui dolos suos prætextu exornant, & illis bonam causam prætendunt, ut leges & jura. Leges* retia *vocantur, quia illis homines implicantur, ut feræ pedicis. non est metaphora à piscatione desumpta. nam si ita esset, cur Plautus dixisset* oppugnare, *non* captare, *aut* piscari? *Allegoria est in* Reti.

Sc. 3.

Commisce mulsum; struthea colutheaque appara,

Bene ut in scutris concaleant, & calamum injice

Iam pol ille aderit congerro meus. *Mulsum est vinum melle conditum.* Struthea, *genus pomorum. in musto decoquebantur Cotonea mala, & alii etiam odores eo adjiciebantur. Videtur Plautus* struthea *pro Cydoneis malis dixisse. intellige bellaria & tragemata.* In scutris: *inde scutula, scutella, à rotunditate scutiformi.* Congerro, *est collusor, qui easdem exercet nugas. vide plura hoc loco in PL. Boxh.* Festus *Gerrones, leves & inepti, à cratibus dicti, quas Græci γέῤῥας appellant. inde* congerrones *&* congerræ.

Collyræ facite ut madeant & colliphia. *Collyra panificii quoddam genus, quod ex jure sumeretur. Hinc* jus collyricum, *ex quo collyra eduntur.* Colliphia, *sunt panes cum recenti caseo mixti.*

Tum

unctiones uti solebant. ut & strigilibus *ibi se defricabant, destringebantque. Pauperes sibimet ipsis ad balneas ampullam ferebant, cum servos ampulligeros non haberent.* Scaphium, *est vas potorium.* Familiarem vitam oblectet modò. *Vitam familiarem parasitus vocat eam, quam domi subinde agit, à nemine vocatus ad convivium.*

Exigam hercle ego te ex hac decuria. *Ordine, & dignitatis gradu. De curia, decuria, centuria alibi diximus.*

Tunicam atque zonam, & chlamydem afferto & causiam. *Causia tegumentum capitis ad arcendum æstum. à καίω, uro.*

Me quoque etiam vendes, si lubet. Dum Saturum vendas.

Sed horum nihil scio. *simulat se peregrinam, quasi eorum, quæ ipsa monstrata, nihil sciat.*

Act. II. Sc. 1.

Nimis me pro barda & pro rustica reor habitam

Cuculus si in ludum iret, potuisset jam fieri ut probè literas sciret.

Miser est, qui amat.

Certò is quidem nihil est, qui nihil amat: quid ei homini opus vita est?

Ejus aures quæ mandata sunt onerabo.

Sc. 2.

Ain' vero verbereum caput? *sic dixit* verberea statua, *de servo bene verberibus exercito.*

Equidem si scis tute, quod habeas hodie digitos in manu, eo dem pignus tecum. *h. e. ea de re ausim tecum pignore certare.*

Scelus tu pueri es: atque ob istam rem ego aliquo te peculiabo. *h. e. aliqua re. præterea ludit in am-*

ambiguo. nam peculium *inter nequitia vocabula recensetur.*

Face rem hanc cum cura geras: vola curriculo. PAE. Istuc marinus passer per Circum solet. *Festus ait, passerem marinum esse struthiocamelum.* Vide Scalig. hoc loco. *Ita volat, ut à terra se non tollat, sed alarum passu velis una currens remiget.*

Tuo ex ingenio mores alienos probas.

Vbi ista altera est furtifica læva?

Nihil amas, cum ingratum amas.

Ne ubi capillus versipellis fiat, fæde semper servias.

Tu Quidem haud etiam es octoginta pondo. PAE. At confidentia illa militia militatur multo magis, quàm pondere. *Quare* Naso: *pondere; non nervis corpora nostra carent. Allegoria amatoria.*

Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis pejor, quam ego fiem.

Malitia certare tecum, miseria est.

Omnes muti prius loquerentur hoc, quàm ego.

Omnes sunt lenæ levifidæ. neque tippulæ levius pondus est, quàm fides lenonia. *Tippula bestiola genus, sex pedes habentis, sed tanta levitatis, ut super aquam currens non desidat.*

Sc. 3.

Iovi opulento, inclyto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti,

Opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor. *Vitulor à vita, qua interdum lætitiam lubentiamque signat. unde dea hilaritatis præses,* Vitula. *Etiam* vivere, *lubentiis diffluere*, hoc est, vitulari. *Vide plura hoc loco.*

Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo.

Nunc

Nunc & amico meo prosperabo, & Genio meo multa bona faciam.

Tax tax tergo meo erit, non curo. *interjectio orta ex strepitu verborum, ex taxo: quod est tango, teste* Festo.

Nunc amico homini bobus domitis meâ ex crumenâ largiar. *nunc ex Toxilum donabo pecuniâ, quam impendere debeam boum emptioni. similis locus:* cave sis à cornu: boves bini sunt hîc in crumenâ. *Act.* 2. *Sc. V.*

Diu, quod bene erit, die uno absolvam:

Id demum lepidum est; triparcos homines, vetulos, avidos, aridos bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale. *h. e. insigni damno afficere.* Salinum, *pro vase, in quo est sal.*

Virtus est, ubi occasio admonet, despicere.

Sc. 4.

Pensum meum, quod datum est, confeci.

Scio, quid sim ætatis ego.

Vlmi triba tu, maledicis majori.

Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere.

Cædere hodie tu restibus.

Non hercle si os præciderim tibi, metuam, morticine. *Morticinus convitium erat in tetros & exangui facie homines. sic dicimus,* cadaverosa facies. *Latini quoque* cerritos *vocant.*

Video ego te, jam incubitatus es. *Falluntur, qui negant hoc verbum Latinâ monetâ esse percussum.* Salmas. *stupratus, pædicatus, ut docet* Pareus. *ab* incubo. *sic* incubitatur puer. *Vah! fæda & inhumana.*

Vtinam vades desint, in carcere ut sis.

Nisi te hodie defigam in terram colaphis. *Alapa fit palma, id est, deductâ & explicata manu.* Colaphus *fit digitis comprehensis, & in pugnum coactis.*

Terent:

[illegible] infregit mihi.
[illegible]
[illegible]
[illegible] sanguis & scele-
[illegible]

[illegible]

[illegible] est agrip-
[illegible]
[illegible] cillum esse.
[illegible] SA. magnificè.
[illegible]
[illegible] fu-
[illegible]
[illegible] SA. Vomica
[illegible]
[illegible]
[illegible] SA.
[illegible] enitie
[illegible] SA. enim
[illegible]
[illegible] ut
[illegible] se eos
[illegible]
[illegible] sic pe-
[illegible]
[illegible] & compurari.

[illegible] XXXVI. [illegible] II. [illegible]

[illegible] meo.
[illegible]
[illegible] pe-
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] plus nimio,

Quam

Quàm menſa inanis nunc ſi apponatur mihi.
Hominum immortalis eſt infamia;
Etiam tum vivit, cum eſſe credas mortuam. *Qui apud bonos & graves viros malè audit*, infamis *dicitur, licet ei legibus non inuratur infamia. Remiſſa culpa, infamia tamen macula manet.* verè igitur infamia immortalis.
Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ reticet, ſi quid fieri perversè videt.
Ne hæc fama faciat repudioſas nuptias.
Virgo atque mulier nulla erit, quin ſit mala,
Quæ præter ſapiet, quàm placet parentibus.
Dum Dos ſit, nullum vitium vitio vortitur.
Librorum habeo plenum ſoracum. *vel ſarracum, Genus vehiculi eſt, quo ornamenta portantur ſcenicorum.*
Dabuntur dotis tibi inde ſexcenti logi. *Filia dotem promittit ex artis ſua libris ſexcentos logos. Homeri exemplo, qui ſua quoque filia Cyprie ſua carmina dediſſe in dotem perhibetur.*

Sc. 2.

Eho, lutum lenon[illegible]m, commictum cœnum, ſterquilinium publicum.
Impure, inhoneſte, injure, illex, labes popli.
Pecuniæ accipiter, rapax, trahax: trecentis verſibus.
Tuas impuritias traloqui nemo poteſt,
Vir ſumme populi, ſtabulum ſervitricium,
Scortorum liberator, ſubiculum flagri,
Compedium tritor, piſtrinorum civitas.
Perenniſerve, lurco, edax, furax, fugax. *Vocabulum* ſervitricium *factum eſt more Plautino, à* ſervus *&* tricæ, *tricæ fraudulentis ſervis apud Comicos tribuuntur plerunque.* Stabulum *ergo* ſervitricium. *eſt ſervus, plenus captionum, dolorum, tricarum. Boxh.*
Eodem mihi pretio ſal perhibetur, quo tibi.

Nisi me hæc defendet, nunquam delinget salem. *hoc est, ne sal quidem illi dabitur.* eodem pretio, *quod dicit, sic intellige: Tanti mihi constat victus, quanti tibi. sivè, non magis, quam tu, gratis vivo.*

Mirum, quin citius jam à foro argentarii
Abeunt, quàm in cursu rota circumvolvitur.

Act. IV. Sc. 1.

Si quam rem accures sobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè sub manus procedere.
Atque edepol, ferme ut quisque rem accurat suam,
Sic ei procedunt post principia denique.
Si malus aut nequam est, malè res vortunt, quas agit.
Sin autem frugi est, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus facetè & callidè:
Igitur bene proventuram confido mihi.

Sc. 3.

Cui homini dii propitii sunt, aliquid objiciunt lucri:
Nam ego hodie compendi feci binos panes in dies.
Iam hodie alienum cænabit, nihil gustabit de meo.
Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis.
Ne quicquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult.
Nunquam ego te tam matulam esse credidi. *h. e. vilem, insulsum, meticulosum, ignavum.*

Sc. 4.

Si incolæ bene sunt morati, pulchrè munitum arbitror,

Per-

Perfidia & Peculatus ex urbe & Avaritia si exulant.

Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio, septimum Perjurium, octava Indiligentia, nona Injuria; decimum, quod pessimum aggressu, Scelus:

Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est. *Scelus, Facinus, Flagitum hoc differunt: quod* Facinus *vi aut malitia committitur:* Flagitium *fit libidine, vel nequitia. unde* flagitiosi, *impudici; ganeones; aleatores, parricidæ adulteri, sicarii, sacrilegi, perjuri.* Scelus *utrumque comprehendit.*

Proinde ut tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:

Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea:

Ferream seram atque annulum: ne si ferro parseris,

Ferreas tute tibi impingi jubeas crassas compedes.

Generi Lenonio nunquam ullus Deus benignus fuit, qui fuerit propitius.

Indica, fac pretium. tua merx est, tua indicatio. *Indicare vendentis est; ut mercari & liceri emptoris.*

Quantum est, adhibere hominem amicum, ubi quid geras!

Hospes, volo ego hanc percunctari? SA. à terra ad cælum, quid lubet. *ἀπ' οὐρανοῦ μέχρι γῆς. quasi dicat: quacunque de re. ab extremo initio usque ad extremum finem.* Proverb.

Nomen atque omen quantivis est pretii. *mos religionis prisca. in nominibus sæpe augurium prosperitatis, aut contra. Boni ominis*, ut Salvius, Longinus, Statorius. *Mali ominis*, Curtius. Minutius, Furius, Hostilius. *Vide plura hoc loco.*

Tibi ibidem das, ubi tu tuum amicum adjuvas,

Mihi quoque Lucridem confido fore re. *non nomine tantum ; sed & re.*

Ego ille doctus leno pene in foveam incidi. *hoc est, pene deceptus sum.*

Hanc mancupio nemo tibi dabit. *h. e. nemo ita vendet, ut periculum evictionis velit subire.*

Nata est in calido loco, ubi rerum omnium bonarum copia est sæpissime. *innuit sic pulchrè sub nomine culinæ, verum suum situm, h. e. locum genitalem, sive uterum.*

Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit:

Tanquam hominem, quando animam efflavit, quid cum quæras, qui FUIT.

Et si res sunt fractæ, amici sunt tamen.

Dabit hæc tibi grandes bolos. *sc. erit magno tibi emolumento.*

Sc. 6.

Si quid bonis boni fit, esse idem & grave & gratum solet. *Grave pro pretioso & caro accipiunt Latini.*

Vaniloquidorus, Virginis vendonides,
Nugipolyloquides, Argenti exterebronides.
Tedigniloquides, Nummorum expalponides.
Quod semelarripides, Nunquam posteaeripides.
Ita sunt Persarum mores, longa nomina
Contortiplicata habemus.

Næ ego hodie bonam vitam tibi feci. *scen. 8.* Casin. 4. 4. *Venus multipotens bonam vitam mihi dedisti.* sc. 9.

Sequere hac, scelesta felles virginaria. *sic appellat lenones : tracta convitio à rapacitate ejus animalis.* Lipsius.

Act. V. Sc. 1.

Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis, *h. e. conditionibus pacis transactis.*

Bello

Bello exstincto, re bene gesta, integro exercitu & præsidiis,

Cum benè nos Iupiter, juvisti, Diique alii omnes cælipotentes.

Statuite hîc lectulos, ponite hîc, quæ assolent, Hic statui volo primum Aquilam mihi. *Aquilam: duplex aqua in mensa apponi solet, calida & frigida. Allusio pulchra ad aquilam militarem.*

Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Sed, amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus.

Hunc diem suavem meum natalem agitemus amœnum.

Do hanc tibi florentem florenti: tu hîc eris dictatrix nobis. age puere.

A summo septenis cyathis committe hos ludos. De corolla florea intellige. *Qui leges bibendi præscribebat* magister *convivii vulgò dicebatur. Varroni etiam* Modimperator. *Horatio*, Arbiter, *Plauto* Dictator. *Græcis*, συμποσίαρχος. *Hæc autem* Magisteria, *seu* Regna vini, *ut Horat, sortiebantur talis in omni convivio. Et quanquam jactus talorum varii, Venus, Canis, Senio, Chius; tamen propius fuit Magistro creando jactus Veneris: qui primus è convivis hanc jecerat, is* magister. *Quem Venus Arbitrum dicet bibendi.*

Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.

Tua factum opera B E N E omnibus nobis, hoc mea manus tuæ poculum donat.

Sc. 2.

Pessimus hic mihi dies hodie illuxit! corruptor Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.

Ne sis me uno digitulo attigeris, ne te ad terram, scelus, affligam.

At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excutiam.

 Quid

Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie vorsavisti! ut me in tricas conjecisti!

Stultitia est, cui bene esset licet, eum prævorti litibus.

Da illi cantharum: exstingue ignem, si cor uritur, caput ne ardescat.

Ludos me facitis, intelligo. *h. e. illudere, ludificari, ludibrio habere.*

Basilicè te intulisti & facetè.

Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te.

Cavesis me attingas: ne tibi hoc scipione malum magnum dem.

Ego pol vos eradicabo. PAE. at te ille, qui supra nos habitat, qui tibi male vult, maleque faciet.

Age, circumfer mulsum: bibere da usque plenis cantharis.

Iam diu est postquam bibimus: nimis diu sicci sumus.

Dii faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat. *venenum hic aliqui intelligunt. Alii aliter, sc. simpliciter intelligendum. Dii faciant, ut id bibatis quod nunquam emingere possitis.* Boxh.

Qui me usque admutilavisti ad cutem.

Quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea faciebat. *Staticuli sunt saltationes statariæ. quales erant in eo Chori genere, quod στάσιμον à Græcis vocatur. Vide plura hoc loco.*

FINIS PERSÆ.

M. A c c I

M. Acci Plauti

R U D E N S.

Argumentum

P R I S C I A N I.

Reti Piscator de mari extraxit vidulum,
Ubi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ surrepta venerat,
Ea in clientelam suipte imprudens patris
Naufragio ejecta devenit: cognoscitur;
Suoque amico Pleusidippo jungitur.

Iulius Cæsar Scaliger.

TEMPESTATEM *inscribere debuit* PLAUTUS *hanc Fabulam.* RUDENS *enim in Fabulâ totâ pene nihil est, pene nusquam.*

CAMERARIUS.

Nomen Fabulæ ex re inditum. Introducitur enim Piscator, qui in mari cepisset vidulum. Funes a. nauticos atque omnino grandiores, rudentes dixere, sive à strepitu, sive aliunde, &c.

M. ACCI PLAUTI
P E R S A.
CAMERARI
Argumentum.

ARgumentum Fabulæ est exile, amationis servilis. Etiam parasiticæ levitatis exagitationem continet, dum Saturio filiam suam, cibi causâ, non dubitat vendere. Constat, ait, Scaliger, homine ex Peride πέρσην dici, & Latinè Persam, &c.

ELECTA PLAVTINA.

Ex

P E R S A.

C A P. XXXV.

Act. I. Sc. 1.

QVi amans egens ingressus est princeps in amoris vias,

Superavit ærumnis is suis ærumnas Herculis:

Nam cum leone, & cum excetrâ, cum cervo, cum apro Aetolico, *per Excetram, Hydram intellige.*

Cum avibus Stymphalicis, cum Antæo deluctari mavelim,

Quam cum amore. Ita fio miser quærendo argento mutuo.

Qui hero suo servire vult bene servus servitutem,

Næ edepol illum multa in pectore suo collocare oportet,

Quæ hero placere censeat præsenti atque absenti suo. *Princeps idem est hic, quod primus, qui sc. primum amare cœpit.*

Sed quasi lippo oculo me herus meus manum abstinere haud quit tamen, quin mihi imperet. quin me suis negotiis præfulciat. *Proverb. de re, quâ carere non possumus. cum tamen damnosa nobis sit.*

Nec quicquam, nisi, NON EST; sciunt mihi respondere, quos rogo. *à quibus mutuò pecunias petebat. præfulciat. Hinc bonus & fidelis servus dicitur*

dicitur columen familiæ. qui instar fulcri & columinis est.

Plusculum annum fui præferratus apud molas tribunus vapularis. *hoc est, majorem anni partem. Tribunus vapularis pulchrè dicitur. sic antea dixit ergastulos* genus ferratile.

Saucius factus sum: in Veneris prælio Sagittâ Cupido cor meum transfixit.

Basilicè agito Eleutheria. *regium in morem vivens, ob libertatem nactam festos dies agito.* Eleutheria, *festa, quæ celebrabantur Græcis in honorem Iovis Eleutherii: quem & σωτῆρα vocabant.*

Basilico accipiere victu. Iam scapulæ pruriunt.

Diis ne advorser? Quasi Titani quum D I S belligerem. *contra quis ferat arma Deos?* Tibull.

Vide modò, ulmeæ catapultæ tuum ne transfigant latus.

Nam tu aquam à pumice nunc postulas.

Amoris vitio, non meo, nunc tibi morologus fio.

Cave fuas mihi in quæstione: usque ero domi, dum excoxero lenoni malum. *cave mihi quærendus sis.*

Sc. 2.

Veterem atque antiquum quæstum meum alimoniæ

Servo atque obtineo, & cum magna cura colo.

Nam nunquam quisquam majorum meorum fuit,

Quin parasitando paverint ventres suos.

Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus,

Quasi mures semper edêre, alienum cibum,

Neque edacitate eos quisquam poterat vincere.

His cognomentum erat duris capitonibus. *Durus antiquitus quoque pro impudente positum. unde* duri capitones *hoc loco exponuntur, ore improbo, duro ferreoque.* hoc est, attritâ perfrictaque fronte insignite

gnite præditi: *cujuſmodi paraſitis conveniunt. Olim inter alia inſtrumenta perditi luxus, & matula in triclinia inferri ſolita: quas ſæpe, ubi incaluiſſent, in capita ſibi invicem illiſerunt. Hinc dicti propterea paraſiti* duri capitones. Caſaub. *Aliter* Lambinus.

Neque quadruplari me volo. *nolo eſſe quadruplator, nolo aliena bona ereptum ire: ne cogar ad ſolvendum quadruplum pretium.* Quadruplatores *ſive delatores criminum publicorum ſub pœnâ quadrupli: ſive quod ipſi ex damnatorum bonis, quos accuſaverant, quartam partem conſequebantur.*

Qui hîc albo reti aliena oppugnant bona. *De illis, qui dolos ſuos prætextu exornant, & illis bonam cauſam prætendunt, ut leges & jura. Leges* retia *vocantur, quia illis homines implicantur, ut feræ pedicis. non eſt metaphora à piſcatione deſumpta. nam ſi ita eſſet, cur Plautus dixiſſet* oppugnare, *non* captare, *aut* piſcari? *Allegoria eſt in* Reti.

Sc. 3.

Commiſce mulſum; ſtruthea colutheaque appara,
Bene ut in ſcutris concaleant, & calamum injice
Iam pol ille aderit congerro meus. *Mulſum eſt vinum melle conditum.* Struthea, *genus pomorum. in muſto decoquebantur Cotonea mala, & alii etiam odores eo adjiciebantur. Videtur Plautus* ſtruthea *pro Cydoneis malis dixiſſe. intellige bellaria & tragemata.* In ſcutris*: inde ſcutula, ſcutella, à rotunditate ſcutiformi.* Congerro, *eſt colluſor, qui eaſdem exercet nugas. vide plura hoc loco in PL. Boxh.* Feſtus *Gerrones, leves & inepti, à cratibus dicti, quas Græci γέῤῥας appellant. inde* congerrones *&* congerræ.

Collyræ facite ut madeant & colliphia. *Collyra panificii quoddam genus, quod ex jure ſumeretur. Hinc* jus collyricum, *ex quo collyra eduntur.* Colliphia, *ſunt panes cum recenti caſeo mixti.*

Tum

unctiones uti solebant. ut & strigilibus ibi se defricabant, destringebantque. Pauperes sibimet ipsis ad balneas ampullam ferebant, cum servos ampulligeros non haberent. Scaphium, *est vas potorium.* Familiarem vitam oblectet modò. *Vitam familiarem parasitus vocat eam, quam domi subinde agit, à nemine vocatus ad convivium.*

Exigam hercle ego te ex hac decuria. *Ordine, & dignitatis gradu. De curia, decuria, centuria alibi diximus.*

Tunicam atque zonam, & chlamydem afferto & causiam. *Causia tegumentum capitis ad arcendum æstum.* à καίω, *uro.*

Me quoque etiam vendes, si lubet. Dum Saturum vendas.

Sed horum nihil scio. *simulat se peregrinum, quasi eorum, quæ ipsa monstrata, nihil sciat.*

Act. II. Sc. 1.

Nimis me pro barda & pro rustica reor habitam

Cuculus si in ludum iret, potuisset jam fieri ut probè literas sciret.

Miser est, qui amat.

Certò is quidem nihil est, qui nihil amat: quid ei homini opus vita est?

Ejus aures quæ mandata sunt onerabo.

Sc. 2.

Ain' vero verbereum caput? *sic dixit* verberea statua, *de servo bene verberibus exercito.*

Equidem si scis tute, quod habeas hodie digitos in manu, eo dem pignus tecum. *h. e. ea de re ausim tecum pignore certare.*

Scelus tu pueri es: atque ob istam rem ego aliquo te peculiabo. *h. e. aliqua re. præterea ludit in am-*

ambiguo. nam peculium *inter nequitiæ vocabula recensetur.*

Face rem hanc cum cura geras: vola curriculo.
PAE. Istuc marinus passer per Circum solet. *Festus ait, passerem marinum esse struthiocamelum.* Vide Scalig. hoc loco. *Ita volat, ut à terra se non tollat, sed alarum passu velis una currens remiget.*

Tuo ex ingenio mores alienos probas.

Vbi ista altera est furtifica læva?

Nihil amas, cum ingratum amas.

Ne ubi capillus versipellis fiat, fæde semper servias.

Tu Quidem haud etiam es octoginta pondo.
PAE. At confidentia illa militia militatur multo magis, quàm pondere. *Quare* Naso: *pondere; non nervis corpora nostra carent. Allegoria amatoria.*

Nunquam hercle istuc exterebrabis tu, ut sis pejor, quam ego siem.

Malitia certare tecum, miseria est.

Omnes muti prius loquerentur hoc, quàm ego.

Omnes sunt lenæ levifidæ. neque tippulæ levius pondus est, quàm fides lenonia. *Tippula bestiola genus, sex pedes habentis, sed tanta levitatis, ut super aquam currens non desidat.*

Sc. 3.

Iovi opulento, inclyto, Ope gnato, supremo, valido, viripotenti,

Opes, spes, bonas copias commodanti lubens meritoque vitulor. *Vitulor à* vita, *qua interdum lætitiam lubentiamque signat. unde dea hilaritatis præses,* Vitula. *Etiam* vivere, *lubentiis diffluere,* hoc est, vitulari. *Vide plura hoc loco.*

Eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de cælo.

Nunc

Nunc & amico meo prosperabo, & Genio meo multa bona faciam.

Tax tax tergo meo erit, non curo. *interjectio orta ex strepitu verborum, ex taxo: quod est tango, teste* Festo.

Nunc amico homini bobus domitis meâ ex crumenâ largiar. *nunc ex Toxilum donabo pecuniâ, quam impendere debeam boum emptioni. similis locus:* cave sis à cornu: boves bini sunt hîc in crumenâ. *Act.* 2. *Sc. V.*

Diu, quod bene erit, die uno absolvam:

Id demum lepidum est; triparcos homines, vetulos, avidos, aridos bene admordere, qui salinum servo obsignant cum sale. *h. e. insigni damno afficere.* Salinum, *pro vase, in quo est sal.*

Virtus est, ubi occasio admonet, despicere.

Sc. 4.

Pensum meum, quod datum est, confeci.

Scio, quid sim ætatis ego.

Vlmi triba tu, maledicis majori.

Servam operam, linguam liberam herus me jussit habere.

Cædere hodie tu restibus.

Non hercle si os præciderim tibi, metuam, morticine. *Morticinus convitium erat in tetros & exangui facie homines. sic dicimus,* cadaverosa facies. *Latini quoque* cerritos *vocant.*

Video ego te, jam incubitatus es. *Falluntur, qui negant hoc verbum Latinâ monetâ esse percussum.* Salmas. *stupratus, pedicatus, ut docet* Pareus. *ab* incubo. *sic* incubitatur puer. *Vah! fœda & inhumana.*

Vtinam vades desint, in carcere ut sis.

Nisi te hodie defigam in terram colaphis. *Alapa fit palma, id est, deducta & explicata manu.* Colaphus *fit digitis comprehensis, & in pugnum coactis.*

Terent:

Terent : *plus quingentos calaphos infregit mihi. quasi cum fragore & sonitu illisit & inflixit.*

Nam umbra mea intus vapulat.

Tanquam proserpens bestia, est bilinguis & scelestus.

Sc. 5.

Vbi se allevat, me allevat. *Allevare se, est agritudinem remittere.*

Magis calleo, quàm aprugnum callum callet.

Sed quis hìc ansatus ambulat? SA. magnificè. Conscreabor. *Procul spuere fuit signum eminentia. vide* PL. Boxh. *hoc loco.* Ansatus *h. e. superbè. subnixis alis.*

Quid hoc hìc in collo tibi tumet? SA. Vomica est. *Hìc facetè significat crumenam. Propriè, significat abscessum malignum, puris plenum.* ἀπόστημα.

Abi atque caveas à cornu. To. quid jam? SA. quia boves bini hìc sunt in crumenâ. To. emitte sodes, nę eneces fame, sine ire pastum. SA. enim metuo, ut possim in bubile rejicere, ne vagentur. To. ego rejiciam habe animum. *Bubule dicitur ut ovile & canine.* Ne vagentur longius. *h. e. ne eos recipere facile possim.* nota *allegoriam. Quemadmodum boves extra bubule in pascuis vagantur: sic pecunia facile deperit, quando exiverit crumenâ.*

Iam omnes sycophantias instruxi & comparavi,

CAP. XXXVI. *Act. III. Sc. I.*

QVa res bene vortat mihi & tibi & ventri meo.
Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo,
Vt mihi supersit, suppetat, superstitet. *cibum perennitatis dixit cibum perennem.*
Si ad paupertatem migrant infamiæ,
Gravior paupertas fit, fides sublestior.
Inimici famam non ita, ut nata est, ferunt.
Non ego inimicitias omnes pluris æstimo,

Quam

Quàm mensa inanis nunc si apponatur mihi.
Hominum immortalis est infamia;
Etiam tum vivit, cum esse credas mortuam. *Qui apud bonos & graves viros malè audit*, infamis *dicitur, licet ei legibus non inuratur infamia. Remissa culpa, infamia tamen macula manet.* verè igitur infamia immortalis.
Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ reticet, si quid fieri pervorsè videt.
Ne hæc fama faciat repudiosas nuptias.
Virgo atque mulier nulla erit, quin sit mala,
Quæ præter sapiet, quàm placet parentibus.
Dum Dos sit, nullum vitium vitio vortitur.
Librorum habeo plenum soracum. *vel sarracum, Genus vehiculi est, quo ornamenta portantur scenicorum.*
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi. *Filia dotem promittit ex artis sua libris sexcentos logos. Homeri exemplo, qui sua quoque filia Cyprie sua carmina dedisse in dotem perhibetur.*

Sc. 2.

Eho, lutum lenon[illegible]n, commictum cœnum, sterquilinium publicum.
Impure, inhoneste, injure, illex, labes popli.
Pecuniæ accipiter, rapax, trahax: trecentis versibus.
Tuas impuritias traloqui nemo potest,
Vir summe populi, stabulum servitricium,
Scortorum liberator, subiculum flagri,
Compedium tritor, pistrinorum civitas.
Perenniserve, lurco, edax, furax, fugax. *Vocabulum* servitricium *factum est more Plautino, à* servus *&* tricæ, *tricæ fraudulentis servis apud Comicos tribuuntur plerunque.* Stabulum *ergo* servitricium. *est servus, plenus captionum, dolorum, tricarum. Boxh.*
Eodem mihi pretio sal perhibetur, quo tibi.

Nisi me hæc defendet, nunquam delinget salem. *hæc est, ne sal quidem illi dabitur.* eodem pretio, *quod dicit, sic intellige: Tanti mihi constat victus, quanti tibi. sivè, non magis, quam tu, gratis vivo.*

Mirum, quin citius jam à foro argentarii
Abeunt, quàm in cursu rota circumvolvitur.

Act. IV. Sc. 1.

Si quam rem accures sobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè sub manus procedere.
Atque edepol, ferme ut quisque rem accurat suam,
Sic ei procedunt post principia denique.
Si malus aut nequam est, malè res vortunt, quas agit.
Sin autem frugi est, eveniunt frugaliter.
Hanc ego rem exorsus facetè & callidè:
Igitur bene proventuram confido mihi.

Sc. 3.

Cui homini dii propitii sunt, aliquid objiciunt lucri:
Nam ego hodie compend[illegible]eci binos panes in dies.
Iam hodie alienum cænabit, nihil gustabit de meo.
Hunc ego hominem hodie in transennam doctis ducam dolis.
Ne quicquam tibi fortuna faculam lucrificam allucere vult.
Nunquam ego te tam matulam esse credidi. *h. e. vilem, insulsum, meticulosum, ignavum.*

Sc. 4.

Si incolæ bene sunt morati, pulchrè munitum arbitror,

Per-

Perfidia & Peculatus ex urbe & Avaritia si exulant.

Quarta Invidia, quinta Ambitio, sexta Obtrectatio, septimum Perjurium, octava Indiligentia, nona Injuria; decimum, quod pessimum aggressu. Scelus:

Hæc nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est. *Scelus, Facinus, Flagitum hoc differunt: quod* Facinus *vi aut malitia committitur:* Flagitium *fit libidine, vel nequitia. unde* flagitiosi, *impudici; ganeones; aleatores, parricidæ adulteri, sicarii, sacrilegi, perjuri.* Scelus *utrumque comprehendit.*

Proinde ut tibi jubeas concludi ædes foribus ferreis:

Ferreas ædes commutes, limina indas ferrea:

Ferream seram atque annulum: ne si ferro parseris,

Ferreas tute tibi impingi jubeas crassas compedes.

Generi Lenonio nunquam ullus Deus benignus fuit, qui fuerit propitius.

Indica, fac pretium. tua merx est, tua indicatio. *Indicare vendentis est; ut mercari & liceri emptoris.*

Quantum est, adhibere hominem amicum, ubi quid geras!

Hospes, volo ego hanc percunctari? SA. à terra ad cælum, quid lubet. *ἀπ' οὐρανοῦ μέχρι γῆς. quasi dicat: quacunque de re. ab extremo initio usque ad extremum finem.* Proverb.

Nomen atque omen quantivis est pretii. *mos religionis prisca. in nominibus sæpe augurium prosperitatis, aut contra. Boni ominis*, ut Salvius, Longinus, Statorius. *Mali ominis*, Curtius, Minutius, Furius, Hostilius. *Vide plura hoc loco.*

Tibi ibidem das, ubi tu tuum amicum adjuvas,

K 2 Mihi

Mihi quoque Lucridem confido fore re. *non nomine tantum ; sed & re.*

Ego ille doctus leno pene in foveam incidi. *hoc est, pene deceptus sum.*

Hanc mancupio nemo tibi dabit. *h. e. nemo ita vendet, ut periculum evictionis velit subire.*

Nata est in calido loco, ubi rerum omnium bonarum copia est sæpissime. *innuit sic pulchrè sub nomine culinæ, verum suum situm, h. e. locum genitalem, sive uterum.*

Omne ego pro nihilo esse ducto, quod fuit, quando fuit:

Tanquam hominem, quando animam efflavit, quid cum quæras, qui FUIT.

Et si res sunt fractæ, amici sunt tamen.

Dabit hæc tibi grandes bolos. *sc. erit magno tibi emolumento.*

Sc. 6.

Si quid bonis boni fit, esse idem & grave & gratum solet. *Grave pro pretioso & caro accipiunt Latini.*

Vaniloquidorus, Virginis vendonides,
Nugipolyloquides, Argenti exterebronides.
Tedigniloquides, Nummorum expalponides.
Quod semelarripides, Nunquam posteaeripides.
Ita sunt Persarum mores, longa nomina
Contortiplicata habemus.

Næ ego hodie bonam vitam tibi feci. *scen. 8.* Casin. 4. 4. *Venus multipotens bonam vitam mihi dedisti.* sc. 9.

Sequere hac, scelesta felles virginaria. *sic appellat lenones : tracta convitio à rapacitate ejus animalis.* Lipsius.

Act. V. Sc. 1.

Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis, *h. e. conditionibus pacis transactis.*

Bello

Bello exstincto, re bene gesta, integro exercitu & præsidiis,

Cum benè nos Iupiter, juvisti, Diique alii omnes cælipotentes.

Statuite hîc lectulos, ponite hîc, quæ assolent, Hic statui volo primum Aquilam mihi. *Aquulam: duplex aqua in mensa apponi solet, calida & frigida. Allusio pulchra ad aquilam militarem.*

Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.

Sed, amabo, oculus meus, quin lectis nos actutum commendamus.

Hunc diem suavem meum natalem agitemus amœnum.

Do hanc tibi florentem florenti: tu hîc eris dictatrix nobis. age puere.

A summo septenis cyathis committe hos ludos. De corolla florea intellige. *Qui leges bibendi præscribebat* magister *convivii vulgo dicebatur. Varroni etiam* Modimperator. *Horatio*, Arbiter, *Plauto* Dictator. *Græcis, συμποσίαρχος. Hæc autem* Magisteria, *seu* Regna vini, *ut Horat, sortiebantur talis in omni convivio. Et quanquam jactus talorum varii, Venus, Canis, Senio, Chius; tamen propius fuit Magistro creando jactus Veneris: qui primus è convivis hunc jecerat, is* magister. *Quem Venus Arbitrum dicet bibendi.*

Bene mihi, bene vobis, bene amicæ meæ.

Tua factum opera BENE omnibus nobis, hoc mea manus tuæ poculum donat.

Sc. 2.

Pessimus hic mihi dies hodie illuxit! corruptor Ita me Toxilus perfabricavit, itaque meam rem divexavit.

Ne sis me uno digitulo attigeris, ne te ad terram, scelus, affligam.

At tibi ego hoc continuo cyatho oculum excutiam.

Quid ais, crux, stimulorum tritor? quomodo me hodie vorsavisti! ut me in tricas conjecisti!

Stultitia est, cui bene esset licet, eum prævorti litibus.

Da illi cantharum: exstingue ignem, si cor uritur, caput ne ardescat.

Ludos me facitis, intelligo. *h. e. illudere, ludificari, ludibrio habere.*

Basilicè te intulisti & facetè.

Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te.

Cavesis me attingas: ne tibi hoc scipione malum magnum dem.

Ego pol vos eradicabo. PAE. at te ille, qui supra nos habitat, qui tibi male vult, maleque faciet.

Age, circumfer mulsum: bibere da usque plenis cantharis.

Iam diu est postquam bibimus: nimis diu sicci sumus.

Dii faciant, ut id bibatis, quod vos nunquam transeat. *venenum hic aliqui intelligunt. Alii aliter. sc. simpliciter intelligendum. Dii faciant, ut id bibatis quod nunquam emingere possitis.* Boxh.

Qui me usque admutilavisti ad cutem.

Quin tibi saltem staticulum dem, olim quem Hegea faciebat. *Staticuli sunt saltationes stataria. quales erant in eo Chori genere, quod* στάσιμον *à Gracis vocatur. Vide plura hoc loco.*

FINIS PERSÆ.

M. Acc. I

M. ACCI PLAUTI

RUDENS.

Argumentum

PRISCIANI.

Reti Piscator de mari extraxit vidulum,
Ubi erant herilis filiæ crepundia,
Dominum ad lenonem quæ surrepta venerat,
Ea in clientelam suipte imprudens patris
Naufragio ejecta devenit: cognoscitur;
Suoque amico Pleusidippo jungitur.

Iulius Cæsar Scaliger.

TEMPESTATEM *inscribere debuit* PLAUTUS *hanc Fabulam.* RUDENS *enim in Fabulâ totâ penè nihil est, penè nusquam.*

CAMERARIUS.

Nomen Fabulæ ex re inditum. Introducitur enim Piscator, qui in mari cepisset vidulum. Funes a. nauticos atque omnino grandiores, rudentes dixere, sive à strepitu, sive aliunde, &c.

ELECTA PLAVTINA

Ex

RUDENTE

CAP. XXXVII.

ARCTURUS.

PROLOGVS.

N*Omen* Arcturo est mihi: noctu sum in cælo clarus, atque inter deos.
Inter mortales ambulo interdius.
Qui est imperator divûm atque hominum Iuppiter,
Is nos per gentes alium alia disparat.
Hominum quî facta, mores, pietatem & fidem
Noscamus: ut quemque adjuvet opulentia:
Qui falsas lites falsis testimoniis
Petunt: quique in jure abjurant pecuniam:
Eorum referimus nomina exscripta ad Iovem.
Cottidie Ille scit, quis hîc quærat malum.
Qui hîc litem adipisci postulant perjurio,
Mali res falsas qui impetrant apud judicem.
Iterum Ille eam rem judicatam judicat,
Majore multâ multat, quàm litem auferunt.
Bonos in aliis tabulis exscriptos habet.
Atque hoc Scelesti Illi in animum inducunt suum,
Iovem se placare posse donis, hostiis,
Et operam & sumptum perdunt, &c.
Facilius, si qui pius est, à Dîs supplicans,

Quam

Quàm qui ſceleſtus eſt, inveniet viam ſibi.
Idcirco vos moneo ego hæc, qui eſtis boni
Quique ætatem agitis cum pietate & fide,
Retinete porrò: poſt factum ut lætemini. *Arcturus propriè dicitur ad femur ſeu coxam Boota quem & ἀρκτοφύλακα nominant. Stella clara, tempeſtatem ciens occaſu ſuo, qui eſt autumnalis. Eſt & hyemalis veſpertinus.* Camer. *Dictus* παρὰ τὴν τῆς ἄρκτου οὐράν. *h. e. ab urſina caudæ ſimilitudine.* Tabulis. *alludit ad* Diphtheram, *in qua Iupiter omnium mortalium acta deſcribere fingitur à Poëtis.*

Eam vidit ire è ludo fidicino domum. *Vbi fidibus canere diſcitur.* Ludus fidicinus, *ut Cic.* Modi tibicini, *in Oratore.*

Minis triginta ſibi puellam deſtinat. *Deſtinatum tribus modis dici poteſt*, Corde, Ore, Opere. *Vide hoc loco plura.*

Act. I. Sc. 1.

Prô Dii immortales, tempeſtatem cujuſmodi
Neptunus nobis nocte hac miſit proximâ!
Detexit ventus villam. quid verbis opus eſt?
Non ventus fuit: verum Alcumena Euripidi,
Ita omnes de tecto deturbavit tegulas:
Illuſtriores fecit, feneſtraſque indidit. *Tragœdia Euripidis, nomine Alcumena: in quâ cum Alcumena pariebat, Iupiter faciebat ſpurcam tempeſtatem oriri, Euripidi genit. antiquus, pro Euripidis.* Boxh.

Sc. 2.

Si ſapiam, hoc, quod me mactat, concinnem lutum. *Mactat, h. e. affligit, enecat, fatigat.* Concinnem, *conficiam.*

Villa nunc perlucet, quàm cribrum crebrius.
Impudicum & impudentem hominem addecet,
Moleſtum ultrò advenire ad alienam domum.
Si qui ſacrificant, ſemper petunt aquam hinc,

aut ignem, aut vaſcula, aut cultrum, aut veru, aut aulam extarem. *Aula extaris eſt olla, in quâ exta coquuntur.* Feſtus: *Auli coqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur, id eſt, elixa. nam ſæpè torrebant.* Virg. *Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis. Et in antiquo lexico*, Extar *exponitur olla, ubi exta coquuntur.* Turneb.

Heus tu, qui fana ventris cauſâ circumis. Βωμολόχ☉ *circumſcribitur. dicti propriè βωμολόχοι ſcurræ, qui templa & aras frequentabant, ſacrificiorum nidorem ſecuti.*

Cererem te melius, quàm Venerem ſectarier,

Amore hæc curat, tritico curat Ceres.

Deludificavit me ille homo indignis modis.

Propter viam illi ſunt vocati ad cœnam. Iocus ex ambiguo. *Fuit apud veteres ſacrificium, quod vocabatur* propter viam: *in eo ſi quid ex epulu ſuperfuiſſet, igne conſumi neceſſe erat.* Feſtus: *Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratia, Herculi aut Sanco, qui idem eſt deus. Significat Sceparnio hos naufragium feciſſe omnium bonorum. ut illi*, qui *propter viam faciunt, omnes reliquias flammis conſumunt.* Turneb.

Sc. 3.

S*i erga* parentem aut deos me impiavi: *h. e. impia fui.*

Hanccine ego partem capio ob pietatem præcipuam? *Qui numina piè colunt, facilius aliquid impetrant.*

Scelus me ſolicitat: ejus me impietas malè habet.

Nunc quam ſpem, aut opem, aut conſilii quid capeſſam?

Hoc quod induta ſum, ſummæ opes oppido. *de puellâ naufragâ, cui nihil reliqui, præter veſtitum.* vulgò: *cum ſubſilio, facultates omnes meæ commoventur.* Lipſius.

Algor,

Algor, error, pavor, membra omnia tenent.

Sc. 4.

Quid mihi melius eſt, quid magis in rem eſt, quàm corpore vitam ſecludam?

Ita malè vivo, atque ita mihi multæ in pectore ſunt curæ exanimales.

Perdidi ſpem, quâ me oblectabam. Omnia jam circumcurſavi.

Quænam vox mihi propè hîc ſonat?

Spes mea, ut me omnium jam laborum levas!

Sc. 5.

Unde vos ire cum uvidâ veſte dicam, obſecro, tam mœſtiter veſtitas?

Nempe equo ligneo per vias cæruleas eſtis vectæ.

Ergo æquius vos erat candidatas venire hoſtiatasque ad hoc fanum. *Albati enim deos adibant.*

Sed hîc pauperes res ſunt inopeſque, puellæ:

Egomet vix vitam colo: Veneri cibo meo ſervio.

Act. II. Sc. I.

Omnibus modis, qui pauperes ſunt homines, miſeri vivunt.

Præſertim, quibus nec quæſtus eſt, nec didicere artem ullam

Hi hami, atque hæ harundines ſunt nobis quæſtu & cultu.

Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum.

Pro exercitu gymnaſtico & palæſtrico, hoc habemus,

Echinos, lepadas, oſtreas, balanos captamus, conchas,

Marinam urticam, muſculos, plaguſias, ſtriatas.

Poſt id piſcatum hamatilem & ſaxatilem aggredimur.

Cibum captamus è mari. si eventus non venit,
Salsi lautique purè domum redimus clanculum,
Dormimus incœnati, &c. λεπὰς, *ostrei genus, quæ exteriore tantum parte conchâ tegitur: interiore & carnosa ita scopulis adhæret, tanquam osculetur.* Plagusias, vel potius placusias, πλακόεσσα πλακοῦσα. *à latitudine. qualis est placenta*, quæ πλακοῦντες *Græcis* Salmas. Hamatilem ex saxatilem. *Olim in scopulis piscatores piscatum exercuere: quod ex Oppiano, Aristinato, Petronio, aliisque patet.* Salsi lautique; *locus ex ambiguo.* Salsi, *non salibus, sed aquâ marinâ:* lauti, *non opiparis epulis, sed madidi.* Pure, *dicit, quia aqua marina omnes sordes abluit.*

Sc. 2.

Salvete fures maritimi, conchitæ, atque hamiotæ,
Famelica hominum natio, quid agitis? ut peritis?
PI. ut piscatorem æquum est, fame, siti, speque.
Ecquem recalvum ac silonem senem, statutum, ventriosum, tortis superciliis, contractâ fronte, fraudulentum, deorum odium atque hominum, mali vitii probrique plenum.
Ad carnificem est æquius, quàm ad Venerem commeare.

Sc. 3.

Verum omnes sapientes decet conferre & fabulari.
Nec te aleator ullus est sapientior. profectò nimis lepidè jecisti bolum. *jactus retis etiam, jactus, absolute dicitur. Ita & Græcè βόλος, quo verbo etiam alea jactus significatur. Vide plura hoc loco.*
Perit potando opinor. Neptunus magnis poculis hac nocte eum invitavit,
Credo, hercle, anancæo datum quod biberet, ut ego amo te, mea Ampelisca; ut dulcis es! ut mulsa

ſa dicta dicis. *Anancæum, puto, fuit poculum magnum, quod in potandi certamine neceſſe eſſet, ebibere, quaſi* Ἀναγκαῖον Turneb. *Poëta vetus* Ἀνάϊκαν *vocat* τὴν φρενῶν ἔκςασιν, *cum poto liberalius vino, homo ſuæ ſpontis non eſt, nec ſanæ mentis. & hanc neceſſitatem vocant* γλυκεῖαν : *quia erat olim aliud* anancææ potionis *genus, cujus triſtis neceſſitas.* Plautus *hîc alludit vel ad ſorbitionem cicutæ neceſſariam; vel ad hauſtum illum è flumine Lethæo, qui nobis omnibus neceſſarius.* Caſaubon.

Novi: Neptunus ita ſolet: quamvis faſtidioſus

Aedilis eſt: ſiquæ improbæ ſunt merces, jactat omnes. *ſolebant Aediles improbas merces in profluentem interdum jactare: ut edulia, quæ putebant. à Græc.* ἀγορανόμοι dicti. *vendentium enim coërcebant rabiem.*

Multa præter ſpem ſcio multis bona eveniſſe.

Ergò animus æquus optimum eſt ærumnæ condimentum.

Sc. 4.

Quis eſt, qui noſtris tam protervè foribus facit injuriam?

Veneris effigia hæc quidem eſt. ut in ocellis hilaritudo eſt! Eja corpus cujuſmodi! ſubvulturium; illud quidem, ſubaquilum volui dicere. vel papillæ cujuſmodi. tum quæ indoles in ſuavio eſt! *Subvolturium: corpus colore ſubnigro. vel corpus alacritate ad vulturii corporis ſimilitudinem propè accedens.* Lambin. Subaquilum: *quia aquilæ generoſiores ſunt vulturibus.*

Sc. 5.

Sacra hæc urna Veneria literata eſt! abs ſe cantat quoja ſit. *h. e. literis inſcripta eſt. vel potius Veneris imagine inſignita. Hoc in omnibus ſacrorum vaſis obſervari ſolitum.*

Sc. 6.

Qui homo ſeſe miſerum & mendicum volet,

Neptuno

Neptuno credat sese atque ætatem suam.
Edepol Libertas lepida es, quæ nunquam pedem
Voluisti in navem cum Hercule una imponere.
alludit Comicus ad aliquam fabulam doctis ignotam.
Pessum dedisti me blandimentis tuis.
Scelestiorem cænam cænavi tuam,
Quàm quæ Thyestæ quondam anteposita est, & Tereo. *Atreus Thyestæ fratri suos liberos epulandos proposuit. de Tereo, cui Progne uxor communem filium Itym comedendum objecit, vide Ovid. Metam. lib. 6. fab. 7.*
Piscibus in alto, credo, præbent pabulum.
Mendicitatem mihi obtulisti opera tua,
Dum tuis ausculto magnidicis mendaciis.
O scirpe, scirpe, laudo fortunas tuas,
Qui semper servas gloriam aritudinis. *Leno se pra scirpo, contemnit: quia si suis bonis contentus, ut scirpus ariditate sua, fuisset, nunquam eo miseriarum venisset.*
Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis posteaquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum ille instruit:
Ita salsam præbet potionem & frigidam.
Vt fortunati sunt fabri ferrarii,
Qui apud carbones assident! semper calent.
Vtinam fortuna nunc anatina uterer,
Vti cum exivissem ex aqua, arerem tamen.
Quid si aliquo ad ludos me pro manduco locem? *Manducus in ludis circumferebatur inter cæteras ridicularias & formidolosas personas, magnis malis lateque dehiscens, & clarè crepitans dentibus.* Iuven. satyra 3. *tandemque redit ad pulpita notum Exodium; cum personæ pallentis hiatum in gremio. matris formidat rusticus infans. Dentes magnos & voracitatem attribuebant illis nocturnis terriculamentis. Quo nomine factum, ut* Lamiam *puerorum infantium diglutricem fingerent. Sic* Pythonem *pro terriculamento, &* Gorgoneum, *pro manduco dixerunt.*

Sc. 7.

Sc. 7.

Obſecro, hoſpes, da mihi aliquid, ubi condormiſcam loci.

At vides me, ornatus ut ſim veſtimentis uvidis? da mihi aliquid veſtimenti aridi, dum mea areſcunt.

Quin abeo hinc in Veneris fanum, ut edormiſcam hanc crapulam: quam potavi præter animi ſententiam.

Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare.

Itaque alvum prodiſperavit nobis ſalſis poculis. *quaſi diceret: prolixè nos accepit in mari Neptunus.* & *ſperavit verba nobis dari poſſe*, & *alvum prodi ſalſis poculis.* h. e. *ut potaremus largius, atque ita male conduceret alvo & vita.* Prodiſperavit *barbarum. ſed disjungi videtur:* prodi ſperavit. *ſic*, prodi, *quis dicitur, quando dulcedine ciborum quis nimium abreptus.*

CAP. XXXVIII. *Act. III. Sc.* 1.

Miris modis dii ludos faciunt hominibus.
Mirisque exemplis ſomnia in ſomnis danunt.
Ne dormientes quidem ſinunt quieſcere.
Velut ego hac nocte, quæ præceſſit, proximâ
Mirum atque inſcitum ſomniavi ſomnium.
Ad hirundinum nidum viſa eſt ſimia
Adſcenſionem ut faceret, admolirier.
Poſtibi videbatur ad me ſimia aggredirier,
Rogare, ſcalas ut darem utendas ſibi, &c.

Sc. 2.

Ferte opem inopiæ, atque exemplum peſſimum peſſumdate; vindicate, ne impiorum potior ſit pollentia.

Ferte ſuppetias, qui Veneri, Veneriæque antiſtitæ

More

More antiquo in custodiam suum commiserunt caput.

Teque oro & quæso, si speras tibi hoc anno multum futurum sirpe & laserpicium,

Eamque eventuram exagogam Capuam salvam & sospitem. *Exagoga est exportatio sive evectio. de Laserpicio vide Salmas. hoc loco.*

At ego te per crura & talos, tergumque obtestor tuum,

Si tibi ulmeam uberem esse speras virgidemiam.

Et tibi esse eventuram hoc anno uberem messem mali.

Iube oculos elidere, itidem ut sepiis faciunt coqui.

Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.

Nimis velim improbissimo homini malas edentaverint.

Sc. 3.

Nunc id est, cum omnium copiarum atque opum

Auxilii, præsidii viduitas nos tenet.

Nec ulla specula est, quæ salutem afferat

Neque est melius morte, in malis rebus, miseris.

Aram habete hanc pro castris: mænia hinc ego defensabo.

Præsidio Veneris malitiæ lenonis contra incedam.

Te ex conchâ natam esse autumant: cave tu harum conchas spernas. *Concha inter verba nequitia antiquitus usurpatum. Vide hoc loco Boxh. TL.*

Sc. 4.

Tune legirupionem hîc nobis cum diis facere postulas? *Legirupio est nomen.* Facere diis, *est sacrificare. Sic* Legirupa.

Exi

Exi è fano, natum quam tum eſt hominum ſacrilegiſſime.

Te compingi in carcerem eſt æquum, donec totum carcerem contriveris.

Extemplo hercle ego te follem pugilatorium faciam, & pendentem incurſabo pugnis. *pila eſt coriacea, vento completa. pugilatorius dictus, quod non palma, ſed pugno percutiatur.*

Quaſi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam. *Faſciculi myrtorum junco colligati Veneri offerebantur. myrtus Veneri ſacra.*

Etiam vim opprobras, flagitii flagrantia? hoc eſt, *probri loco objicis, flagitioſiſſime.*

Ni offerumentas plures in tergo tuo;

Quam ulla navis longa clavos, tum ego ero mendaciſſimus.

Poſtea adſpicito meum, quando ego tuum inſpectavero,

Niſi erit tam ſincerum, ut quivis dicat ampullarius

Optimum eſſe opere faciundo corium, & ſinceriſſimum. *Ampullarius, qui ampullas corio integit.* vide hic plura.

Quid cauſæ eſt, quin virgis te uſque ad ſaturitatem ſauciem?

Iam, hercle, tibi meſſis in ore fiet mergis pugneis. *h. e. dentes tibi excutientur pugnis.* Mergæ, *ſunt furculæ, quibus acervi frugum fiunt.*

Vulcanum adducam, is Veneris eſt adverſarius. *quia claudus & deformis faber: Venus, adultera.*

Nam, hercle, ego te barbâ continuò arripiam, & in ignem conjiciam,

Teque ambuſtulatum objiciam magnis avibus pabulum. *Intelligit aves rapaces, Vultures & aquilas.*

Sc. 5.

Minacias ego iſtas flocci non facio tuas.

Eccum

Eccum clavator advenit ! LA. illud quidem, Edepol, tinnimentum eſt auribus. *clavam, intelligit : quia, cum caput eâ tunditur, aures tinnitum audiunt.* Turnebus.

Quantum poſt, extemplo amplectitote crura fuſtibus.

Quid eſt quod caveam ? Lo. hem à craſſo infortunio. *Quod ſc. craſſa hæ clavæ tibi dabunt.*

Sc. 6.

Converreret jam hic me totum cum pulviſculo. *h. e. pugnis, fuſtibus contundet me.*

Illic in columbum, credo, leno vortitur :

Nam in columbari collum haud multo poſt erit.

In nervum ille hodie nidamenta congeret. *Columbar genus eſt vinculi, cui collum inſeritur*, collariumque *vocatur hic ex parte : cum foramen ipſum vinculi columbar ſit. Sed quia & columbaria ſunt foramina in periſterotrophiis, ubi columbæ nidulantur, ſubdit ludens :* in nervum hodie, &c. *ubi nidamenta ſunt flocci, pinnæ, muſcus, tomentum, pili, cæteraque unde aves nidos parant.* congerere, *h. e. nidificare, Virg. 3. Ecl.* Aëriæ quo congeſſere columbæ.

Act. IV. Sc. 1.

In digitis hodie percoquam, quod ceperit,
Ita fluctuare video vehementer mare.
Iam opplebit meas aures ſua vaniloquentia.

Sc. 2.

Plurimâ prædâ onuſtus, ſalute horiæ, quæ in mari fluctuoſo piſcatu novo me uberi compotivit. *hoc eſt, compotem fecit. Horia naviculæ genus. igitur, ſalvâ & incolumi horiâ.*

Miroque modo, atque incredibili hic piſcatus mihi lepidè evenit : neque piſcium ullam unciam hodie

Pondo

Pondo cepi, nisi hoc, quod fero in rete.

Nimis homo nihili est, qui piger est. Vigilare decet hominem: qui vult sua tempori conficere officia.

Sc. 3.

Nam qui dormiunt libenter, sine lucro & cum malo quiescunt.

Bonis quod bene fit, haud perit.

Turbida tempestas heri fuit. non vides me referre uvidum rete, sine squammoso pecu?

Enecas jam me odio, quisquis es.

Mare quidem certo commune est omnibus.

Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo. *cædere virgis, atque ita corium tuum fiet rubrum:*

Iam in cerebro colaphos abstrudam tuo

Ego jam hîc te, itidem quasi penicillus novus exurgeri solet.

Ni hunc amittis: exurgebo, quicquid humoris tibi est. *Novus, quia hic plus humoris solet imbibere, & ideo crebrius exurgendus.*

Affligam ad terram te itidem, ut piscem soleo polypum.

Si tu proreta es isti navi, ego gubernator ero. *proreta, qui in prora & ventos aucupatur & captat, & eorum conversiones dicit. quique rupes scopulosque prospicit ac explorat.* Gubernator *sedet in puppi.*

Nunquam hercle, hinc hodie ramenta fies fortunatior. *affines sunt voces* rasura & rasamen. *sic* serrago, *à serra.* rasura eboris. *Ramentum & ramenta dicitur.*

Tu abi tacitus tuam viam.

Sc. 4.

Quomodo habeas, illud refert, jurene an injuria.

Homini ego isti talos suffringi volo.

Omnia isthæc ego facile patior, dum hic hinc à me sentiat. *à me, est pro me. sc. sententiam pro me ferat.*

Tacita

Tacita bona eſt mulier ſemper, quam loquens.
Neque loquens, neque tacens unquam es bonus.
Nimis pene inepta eſt atque odioſa ejus amatio. *ſc.* 6.
Hercules illum infelicitet cum ſua licentia. *ſc.* 7.
In ætate hominum plurimæ fiunt tranſennæ, ubi decipiuntur dolis.
Atque edepol in eas plerunque eſca imponitur.
Quam ſi quis avidus poſcit eſcam avariter
Decipitur in tranſennâ avaritia ſuâ.
Semper cavere hoc ſapientes æquiſſimum eſt,
Ne conſcii ſint ipſi maleficiis ſuis.

Act. V. Sc. 2.

Cum mentionem fieri audio uſquam viduli, quaſi palo pectus tundas.
Cubitum, hercle, longis literis ſignabo jam uſque quaque,
Si quis perdiderit vidulum cum auro atque argento. *Opulentiores præconem conducebant, qui palam quid prædicabat. Homines pauperculi compendio utebantur. Illi literis cubitum longis, h. e. quæ longitudine eſſent cubitali, utebantur: quas affigebant.*
Dii te ament cum irraſo capite. *qui è naufragio ſervati erant, radebant caput in ſignum liberationis.*
Imo edepol, una litera plus ſum, quàm medicus. GR. tum tu mendicus es? LA. tetigiſti acu.
Nummi octingenti aurei in marſupio iuſuerunt.
Præterea centum denaria Philippica in paſceolo ſeorſus. Præterea ſinus, epichyſis, cantharus, gaulus, cyathuſque. *Paſceolus, ex aluta ſacculus. à Gr.* φασκώλιον, & φάσκωλον. *Aſconius vocat ſcorteas. à* Paſcelo. *Epichyſis, vas vinarium.*
Miſerum iſthuc verbum, & peſſimum eſt Habuiſſe, & nihil habere. *Gaulus, vaſculum in formam cimbii.*
Venus eradicet caput atque ætatem tuam.

Tan-

Tange aram hanc Veneris. Per Venerem hanc jurandum est tibi. *Formula erat jurisjurandi, conceptis verbis, per Venerem, adversario praeunte.*

Sc. 3.

Iusjurandum rei servandæ, non perdendæ, conditum est.

Iurisjurandi volo gratiam facias. *Gratiam facere jurisjurandi dicitur is, qui aliquem liberat praestiti jurisjurandi religione.*

FINIS RUDENTIS.

M. AccI

M. Acci Plauti
STICHUS.

Camerarius.

Argumentum hujus Fabulæ est leve & futile. Et si in hac bona & præclara sententia inserta sunt: & exemplum proponitur egregium Fidei conjugalis in duabus sororibus erga suos Maritos. Duo adolescentes fratres habebant duas sorores conjuges. Dum vivunt in luxu & deliciis, rem familiarem perdunt. hanc recuperare student mercaturis faciendis. quod autem longo tempore abessent, vult pater filias, uxores illorum aliis collocare; sed illæ constantur refragantur. Redeunt illi re bene & feliciter gesta, & aucti opibus. Itaque facilè reconciliantur socero. Parasitus autem, quo socio & adjutore rem amiserant, ab illis repellitur, & ludibrio habetur.

ELE-

ELECTA PLAVTINA

Ex

S T I C H O.

CAP. XXXIX.

Act. I. Sc. I.

Credo ego miseram fuisse Penelopam,
Soror, suo ex animo; quæ tam diu vidua
Viro suo caruit. nam nos ejus animum
De nostris factis noscimus.
Nostrum officium nos facere æquum est: neque
Id magis facimus, quam nos monet pietas.
Hæ res vitæ, soror, me saturant.
Hæ mihi dividiæ & senio sunt.
Neque ille sibi mereat Persarum montes,
Qui esse aurei perhibentur.
Omnes sapientes suum officium æquum est colere & facere.
Faciendum id nobis, quod parentes imperant.

Sc. 3

Qui manet, ut moneatur officium suum, servus is habitu haud probus est.
Cum ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.
Pati nos oportet, quod ille faciat, cujus potestas plus potest.
Assimulabo quasi aliquam culpam in sese admiserint.
Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora.

Nun-

Nunquam enim nimis curare possunt suum parentem filiæ.

Pudicitia est, pater? eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi.

Nunquis hîc est alienus nostris dictis auceps auribus?

Vbi facillimè spectatur mulier, quæ ingenio est bono?

E malis multis malum, quod minimum est, id minimum est malum.

Qui potest mulieres vitare, vitet: ut quotidie Pridie caveat, ne faciat quod pigeat postridie.

Quæ tibi mulier videtur multò sapientissima?

Quæ tamen, cum res secundæ sunt, se poterit noscere.

Edepol vos lepidè tentavi, vestrumque ingenium ingenii.

Placet ille meus mihi mendicus: suus rex reginæ placet.

Stultitia est, pater, venatum ducere invitas canes.

Hostis est uxor, invita quæ ad virum nuptum datur.

Sc. 3.

Famem fuisse suspicor matrem mihi:
Nam postquam natus sum, satur nunquam fui.
Illa me in alvo menses gestavit decem,
At ego illam in alvo gesto plus annos decem.
Atque illa puerum me gestavit parvulum,
Quo minus laboris illam cepisse existimo:
At ego non pauxillulam in utero gesto famem.
Verum hercle multò maximam & gravissimam.
Vteri dolores mihi oboriuntur quotidie.
Audivi sæpè hoc vulgo dictum dicier,
Solere elephantum gravidam perpetuos decem
Esse annos. Ejus ex semine hæc certò est fames.

Nam

Nam jam complures annos utero hæret meo.
Nunc si ridiculum hominem quæret quispiam,
Venalis ego sum cum omnibus ornamentis. *Festivissimè ridiculus homo est Gelasimus : qui ait matrem sibi fuisse famem.* γελάω *rideo. Decem annis gestare elephantum in utero vulgus existimat. Aristoteles biennio. nec amplius, quàm semel gignere. Vivere ducenis annis, & quosdam trecenis. Iuventa eorum à sexagesimo incipit.* Plin. 8. 10. *Notum illud* Iuvenalis ; *nihil durius in se habere paupertatem, quàm quod ridiculos homines faciat.* Cum omnibus ornamentis. *Cicero : Vivus, ut ajunt, & videns cum victu suo ac vestitu publicatus.* Vide plura hoc loco in PL. Boxh.

Propter paupertatem adeo hoc nomen reperi.
Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater ;
Quia inde jam à pauxillo puero ridiculus fui.
Paupertas omnes artes perdocet, ubi quem attigit.
Per annonam caram dixit me natum pater.
Propterea, credo, nunc ego esurio acrius.
Sed generi nostro hæc reddita est benignitas,
Nulli negare soleo, qui esum me vocat.
Curiosus nemo est, quin sit malevolus.
Damna evenerunt maxima misero mihi.
Potationes plurimæ demortuæ.
Quot adeo cænæ, quas deflevi, mortuæ!
Quot potiones mulsi! quot autem prandia!
Quæ inter continuum perdidi triennium.
Præ mœrore adeo miser atque ægritudine
Consenui: penè sum fame emortuus. *Curiosus propriè est* πολυπράγμων. *Plutarch.* πᾶς πολυπράγμων κακοήθης.

Logos ridiculos vendo; agite licemini.
Qui cænâ poscit? ecqui poscit prandio?
Vel auctiones Græcas, sudatorias,
Vel alias magis malacas crapularias,
Cavillationes, assentatiunculas,

Ac perjuratiunculas parasiticas.

Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam,

Parasitum inanem. *Græcas, quæ elegantiores erant, propter unguentorum copiam.* Sudatorias: *solebant enim & Gr. & Romani, priusquam accubitum irent, in balneis sudare & inungi.* Malacum, *in Bacch. exposuimus.* Strigilibus *defricabantur veteres, posteaquam uncti fuerant, & divites quidem à parasitis.* Vide notas Persæ act. 1. sc. 3.

Vti decumam partem Herculi polluceam. *de his egimus in Mostell.* act. 1. sc. 1.

Adhæsit homini ad infimum ventrem fames. Ampullam rubidam: scorteæ ampullæ vetustate rugosæ & coloris ejusdem, Rubidæ dici solent.

Miccotrogus nomine ex vero vocor. *μικκὸς, id est, μικρὸς, & τρώγειν, rodere. quasi paucirodus. convenit hoc verbum parasitis, qui, ut mures, aliena rodunt.* Taubmann.

Linguam quoque mihi esse venditariam. *non qua vendit, sed qua vendere cupit. nam vendito, non est frequenter vendo, sed vendere cupio.*

Næ ille edepol vinum poculo pauxillulo

Sæpe exantlavit submerum scitissimè. *hoc est, aliquantum merum, non admodum aquâ dilutum.* Lambinus.

Act. II. Sc. 1.

Itaque onustum pectus porto lætitiâ lubentiaque.

Amœnitates omnium Venerum atque venustatum affero,

Ripisque superat mihi atque abundat pectus lætitiâ meum.

Secundas fortunas decent superbiæ.

Nimis hæc res sine curâ geritur; vide quamdudum hic adsto & pulto! somnone operam datis?

Experiar, fores an cubiti, an pedes plus valeant.

Nimis vellem hæ fores herum fugissent.

Tuâ

Tuâ quod nihil refert, ne cures. quid isthic ineſt? quas tu vides colubras? *Inſanum dicit eſſe paraſitum puer.*

Sc. 2.

Omnia membra laſſitudo mihi tenet. PA. linguam quidem ſat ſcio tibi non tenere.

Ita celeri curriculo fui propere à portu, tui honoris causâ.

At ego perii, cui medullam laſſitudo perbibit.

Quid ego, cui miſero medullam ventris percepit fames.

Efferte huc ſcopas, ut operam omnem aranearum perdam & texturam improbam.

Dejiciamque earum omnes telas. GE. Miſeræ algebunt poſtea.

Quid illas itidem eſſe cenſes, quaſi te cum veſte unicâ?

Ecquis huc effert naſiternam cum aquâ?

Sine ſuffragio populi tamen ædilitatem hic quidem gerit. *Naſiterna: genus vaſis aquarii, anſati & patentis, quale eſt, quo equi, poſt confecta ſpatia in Circenſibus perfundi ac recreari ſolent. Ita dictum, quod tres naſos, ſive anſas haberet. Ita Vatinianis calicibus aſſignat naſos Martial. & Iuvenal.* Siccabis calicem naſorum quatuor. *Scaliger.* Sine ſuffragio: *ubi quis in alieno negotio imperioſior.*

In portum vento ſecundo, velo paſſo pervenit. *paſſo, id eſt, laxo & rugoſo.*

Ehem, qui ventrem veſtiam?

Tum Babylonica periſtromata, conſutaque tapetia.

Advexit nimium bonæ rei. *Vide Notas Menach. 2.3. & Pſeud. 1.2. Et hoc loco PL. Boxh.*

CAP. XL. *Act. III. Sc. 1.*

O*Lim* quos abiens affeci ægrimonia.

Eos nunc lætantes faciam adventu meo.

Cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.

Videte, quæso, quid potest pecunia!
Cadum tibi veteris vini propino.

Eo conduxi in symbolam ad cœnam. *Condicere apud ICtos est denunciare. Hinc condicere cœnam, cum quis alteri denunciat, se cum eo cœnaturum.* Vide plura hoc loco.

Ego hunc lacero diem. *h. e. stultè garriendo eum excrucio.*

Sc. 2.

Auspicio hodie, hercle, optimo exivi foras:
Mustela murem mihi abstulit præter pedes.

Cum strena obscævavit. *Obscævare est malum omen offerre. Hic de bono agitur. Indicat magnus* SALMAS. *obcœnavit, id est, comedit, poni debere.* Strena; *pone eum strenue obcœnavit.*

Vt præ lætitia lacrymæ præsiliunt mihi!
Propino tibi salutem plenis faucibus.
Haud postulo equidem me in lecto accumbere.

Scis tu me esse imi subsellii virum. *Accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente: capite leviter erecto, dorso a pulvillis modicè suffulto. Primus decumbebat ad caput lecti: pedes porrigebantur pone dorsum secundi. Secundus occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto; pedes jacebant ad tergum tertii. & sic deinceps. Is qui primus & ad caput lecti decumbebat,* Summus *dicebatur; qui ad pedes,* Imus: *qui inter istos,* Medius. *Hinc illa Plauti:* Da puer à summo.

Ergo oratores populi summates viri,
Summi accumbent, ego infimitatis infimus.
Certum est, mustelæ post hæc nunquam credere:
Nam incertiorem bestiam nullam novi.
Quin ipsa decies in die mutat locum.

Act. IV. Sc. 1.

Vt cuique homini res parata est, firmi amici sunt:

si

si res lassa labat, itidem amici collabascunt: res amicos invenit,

Si tibi nulla est ægritudo animo obviam.

Omnium me exilem atque inanem fecit ægritudinum.

Nosmet potius oneremus vicissatim voluptatibus.

Postea ibo lavatum in Pilum: ibi fovebo senectutem meam. *h. e. balneum seu labrum.*

Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet senem: aliud quidem illi quid amica opus sit, nescio.

Sc. 2.

Eccum tibi lupum in sermone. *sic dicimus lupus in fabulâ.*

Illic homo tuam hæreditatem inhiat, quasi esuriens lupus.

Edepol te hodie lapide percussum velim.

Tantillum loci ubi catellus cubet, id mihi sat est loci.

Nam mihi jam intus potione vinea onerabo gulam.

Act. V. Scen. 1.

Quasi senex tabescit dies.

Sc. 2.

Bona scæva strenaque obviam occessit mih. *strenam vocamus*, inquit Festus, *quæ datur die religioso, ominis boni gratia, à numero: quo significatur, alterum tertiumque venturum similis commodi, veluti; trenam, præposita S. litera; ut in loco & lite solebant antiqui. sc.* 2.

Sc. 4.

Hodie polluctura, præter nos, jam dabitur nemini. *Polluctūram vocat partem Herculanam*

Hoc convivium est pro opibus nostris satis commodule, nucibus, fabulis, ficulis.

Servo homini modestè meliùs facere sumptum, quam ampliter.

Suum quemque decet. Quibus divitiæ domi sunt, scaphio & cantharis, batiolis bibunt.

At nos nostro, Samiolo potorio.

Tamen vivimus: non tamen effecimus pro opibus nostra mœnia.

Vtrum Fontinali an libero Imperium te inhibere mavis? *Fontinalis, Deus fontium. unde* Fontinalia *vocata sacra.* Imperium autem inhibere Fontinali *est, in aqua imperium habere. sententia est: utrum aqua, an vino praesse mavis.*

Strategum te facio huic convivio. *Vide notas Pers. act. 5.1.18.*

Potius in subsellio Cynice accipiemur, quàm in lectis. *Romani & Gr. non sedebant ad mensam; sed accumbebant. Homerus tamen procos Penelopes & heroas suos sedentes facit. vide plura hoc loco Lips. in PL. Boxh. De modo accumbendi, paullo ante egimus.*

Sed interim, stratege noster, cur hîc cessat cantharus?

Vide quot cyathos bibimus. Sy. tot quot digiti sunt in manu.

Cantio est Græca: ἢ πέντε πῖν', ἢ τρεῖς πῖν' ἢ μὴ τέτταρα. *h. e. aut quinque bibe; aut tres, aut non quatuor. non quatuor, id est, quinque. Volunt significare, Stichum velle bibi decem cyathos, quot literis constet nomen amicæ suæ,* STEPHANIUM.

Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium.

Nimis vellem aliquid pulpamenti. *Pulpamentum obsonium est lautum è pulpa, id est, parte carnosiore animalis. verbi gratia, quæ pars est posterior in lepore.* Lepus *enim ex sui posteriore parte pulpamentum præbet. Terent.* tute lepus es, & pulpamentum quæris. *verbis tectum, re impudentissimum.*

Nihil moror cupedia. *Cupes & cupedia antiqui lautiores cibos nominabant.* vide plura hîc.

Refer

Refer ad labias tibias. suffla celeriter tibi buccas, quasi proserpens bestia:

Agedum, Stiche, uter demutassit, poculo multabitur. *h. e. uter nostrum ab hac lege discesserit, pro multâ poculum ei auferetur.*

Bonum jus dicis. Impetrare oportet, quia æquum postulas.

Hæc facetia est amare inter se rivales duos.

Vno cantharo potare, & unum scortum ducere.

Hoc memorabile est: ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus

Vnam amicam amamus ambo: mecum ubi est, tecum est tamen.

Tecum autem ubi est, mecum autem ibi est neuter utri invidet.

Sc. 5.

Fac nos hilaros hilariores adventu tuo.

Ita est ingenium muliebre, Bene cum lauta est, tersa, ornata, ficta est; infecta est tamen.

Nimioque sibi mulier meretrix repperit odium ocius

Suâ immunditia, quàm in perpetuum ut placeat munditia suâ.

Vapulat peculium: actum est, fugit hoc libertas caput.

Age mulsa mea, suavitudo, salta: saltabo ego simul.

Lepidam & suavem cantionem aliquam occipito cinædicam:

Vbi perpruriscamus usque ex unguiculis.

FINIS STICHI.

M. ACCI PLAUTI.

TRINUMMUS.

CAMERARI

Argumentum.

HÆc Fabula & elegans est, & exemplum boni ac fidelis Amici proponit: & abundat utilibus sententiis. Commendarat liberos suos & rem familiarem senex, ad mercatum abiens, amico. Interea aliis absumptis, ædes etiam paternas venditurus erat filius perditus. In illis ædib. thesaurus defossus erat, &c.

PRISCIANI.

Thesaurum abstrusum abiens peregrè Charmides,
Remque omnem amico Callicli mandat suo.
Isthoc absente malè rem perdit filius.
Nam & ædes vendit. has mercatur Callicles.
Virgo indotata soror illius poscitur:
Minus quo cum invidiâ ei det dotem Callicles.
Mandat qui dicat aurum ferre se à patre.
Vt venit ad ædes, hunc deludit Charmides
Senex, ut rediit, quo jus nubant liberi.

ELE-

ELECTA PLAVTINA

Ex

TRINUMMO.

CAP. XLI.

Luxuria & Inopia.

PROLOGVS.

P*Rimum* mihi Plautus nomen *Luxuria* indidit:
Tum hanc mihi gnatam esse voluit *Inopiam*.
Huic nomen Græcè est *Thesauro* Fabulæ.
Plautus vortit barbarè: nomen *Trinummo* fecit.

Act. I. Sc. 1.

Na amicum castigare ob meritam noxiam,
Immune est facinus; verum in ætate utile
Et conducibile.
Hic nimium morbus mores invasit bonos,
Ita plerique omnes jam sunt intermortui.
Sed dum illi ægrotant, interim mores mali
Quasi herba irrigua succreverunt uberrimè.
Neque quicquam hic vile nunc est, nisi mores mali.
Eorum jam licet messem metere maximam.

Sc. 2.

Edepol, pro ut bene vivitur, diu vivitur.
Nam si in te ægrotant artes antiquæ tuæ,
Sive immutare vis ingenium moribus,
Aut si demutant mores ingenium tuum,

Neque eos antiquos servas, ast captas novos,
Omnibus amicis morbum tu incuties gravem,
Vt te videre audireque ægroti fient.
Omnes Bonos Bonasque accuratè addecet
Suspicionem & culpam ut abs se segregent.
Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori
Suspicio est in pectore alieno sita. *Aegrotant artes supra dixit*: hoc est, *instituta, quæ studiosè sectamur. Ita Terent.* artes *appellat fidem & taciturnitatem. Antiqui quoque*, artes, *& vitia & virtutes vocarunt. Horat.* 3. *odarum*, 3. artes *vocat Iustitiam & Constantiam.*
Haben' tu amicum aut familiarem quempiam
Cui pectus sapiat?
Sunt, quorum ingenia atque animos non possum noscere.
Tu ex amicis certis mihi es certissimus.
Turpilucricupidum te vocant cives tui.
Tum sunt alii, qui te volturium vocant:
Hostes ne an cives comedis, parvi pendere.
Est, atque non est, mihi in manu. Quin dicant, non est: meritò ut ne dicant, id est.
Id ita esse ut credas, rem tibi auctorem dabo. *h. e. re ipsâ ostendero.*
Qui exædificaret suam inchoatam ignaviam?
Inconciliastine eum, qui mandatus est tibi? *Nonne per dolum decepisti? Inconciliare est dissipare, separare, divellere, quandoque vendere. Antiquis quoque decipere.*
Aedes venales hasce inscribit literis. *Terentius: inscripsi illico ædes mercede. Veteri more venalia prædia proscribebantur, id proposito divulgatoque libello venum ire, venumque exponi significabantur.*
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt. *de curiosis: non potuit quicquam rectius dici.*
Sciunt id, quod in aurem rex reginæ dixerit:
Sciunt, quod Iuno confabulata est cum Iove:

Quæ

Quæ neque futura, neque facta sunt, tamen illi sciunt.

Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quàm urbani assidui cives, quos scurras vocant.
Assidui, pro locupletibus, & facilè munus facientibus. sic vocati ab assibus ducendis, *id est, are dando. Nisi si quis fortè scurras, id est, urbanus* assiduos *cives istos ita dictos deputet*, ab assidendo : ut *ad consiliabula vel potius desidiabula referamus, in quibus hoc hominum genus assiduè garriendo bonas horas collocare solet.*

Act. II. Sc. I.

Egomet me concoquo, & macero, & defatigo.
Magister mihi exercitor animus hinc est.
Amoris artes eloquor quemadmodum expediant.
Nunquam amor quemquam nisi cupidum hominem postulat se in plagas conjicere.
Eos cupit, eos consectatur, subdolè blanditur : ab re consulit blandiloquentulus harpago, mendax, avarus.
Elegans, despoliator, latebricolarum hominum corruptor.
Blandus, inops, celati indagator.
Nam qui ab eo, quod amat, quàm extemplo saviis sagittatis percussus est, ilicò res foràs labitur, liquitur. *Vide plura hìc amoris officia & effecta.* Elegans, *hoc loco videtur pro vitio positum. sic vetustissimi hoc usurpabant. Pulchrè dixit*, savia sagittata, *aliàs*, armata oscula, *quum armis illis, quæ gestare sola per legem Corneliam licet, res geritur.*
Vestispicæ, unctor, auri custos, flabelliferæ, sandaligerulæ, cantrices, cistellatrices, nuncii, renuncii, raptores panis & peni. Fit ipse, dum illis comis est, inops amatur.
Hæc ego cum ago cum animo meo, & recolo,

ubi qui eget, quam pretii sit parvi; apage te, amor: non places, nihil te utor.

Quamquam illud est dulce, esse & bibere. Amor amara dat tibi satis, quod ægrè sit, fugit forum, fugat tuos cognatos; fugat ipse se à suo contuitu.

Mille modis amor ignorandus est. procul adhibendus est, atque abstinendus.

Nam qui in amorem præcipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat. *Tarpejo sc. vel alludit fortè ad Leucadem petram, à quâ qui saltu se mitterent, Amoris insania dicebantur liberari.*

Apage amor! tuas res tibi habe. Mihi magis lubet cum probis potius, quam cum improbis vivere vanidicis. *Vestispica, supra;* Vestispici, *id est, vestium custodes servi, quod diligentem habeant inspectionem vestium.* Sandaligerulæ: *Ancillæ, quæ dominæ sandalia, id est, crepidas, & calceamenta sexus istius altiora gerunt.* Flabelliferæ: *ancillæ, quæ flabellum ferunt.*

Sc. 2.

Neque tibi ero in morâ, neque latebrosè me abs tuo conspectu occultabo.

Per pietatem! nolo ego cum improbis te viris,

Gnate mi, neque in viâ, neque in foro ullum sermonem exequi.

Novi ego hoc sæculum, moribus quibus sit. malus bonum

Malum esse vult: ut sit sui similis. turbant, miscent mores mali, rapax,

Avarus, invidus: sacrum, profanum, publicum privatum habent: hiulca gens. hæc ego doleo. hæc sunt, quæ me excruciant. hæc dies noctesque tibi canto, ut caveas. Hiulca: *quasi biante ore prædam captans.*

Quod manu non queunt tangere, tantum fas habent, quo manus abstineant.

Cœtera rape, trahe, fuge, late. Lacrymas

Hæc

Hæc mihi excutiunt. quia ego ad hoc genus hominum duravi: quin prius me ad plures penetravi? *plures numero sunt mortui, quàm vivi. Græcâ notatione plures pro* mortuis *ponuntur.*

Nam hi mores majorum laudant: Eosdem lutulant, quos collaudant.

Meo modo & moribus vivito antiquis: nihil ego moror fatuos mores & turbidos, quibus boni dedecorant se.

Tu si animúm vicisti, potius, quàm Animus te, est, quod gaudeas.

Qui animum vincunt, quam quos animus, semper probiores cluent.

Is probus est, quem non pœnitet, quàm probus sit.

Isthæc ego mihi semper habui ætati tegumentum meæ,

Ne penetrarem me usquam, ubi esset damni conciliabulum.

Ne noctu irem ambulatum, neu suum adimerem alteri.

Sarta tecta tua præcepta usque habui meâ modestiâ

Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bonæ.

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Qui ipsus se contemnit, in eo est indoles industriæ.

De mendico malè meretur, qui ei dat, quod edit, aut quod bibat.

Nam & illud, quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miseriam.

Vt ita te aliorum miserescat, ne tui alios misereat.

Pol pudere, quàm pigere præstat.

Bene si Amico feceris, ne pigeat fecisse: ut potius pudeat, si non feceris.

Civi

Civi immunifico scis quid cantari solet?

Quod habes, ne habeas: & illud, quod nunc non habes, habeas malum.

Quando quidem nec tibi bene esse potes pati, nec alteri.

Sapientiæ ætas condimentum est: Sapiens ætati cibus est. *Sapientia in juvenibus immatura est; procedente autem ætate mitigatur. Desumpta metaph. à cibis. alii recentes esui non sunt: sed reponi debent, & muria aut aceto aliisque condiri.*

Sapiens quidem pol ipse fingit fortunam sibi.

Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia.

Sc. 3.

Qui nihil aliud, nisi quod sibi soli placet, nugas agit.

Suæ senectuti acriorem hyemem parat.

Sc. 4.

Nisi tu immortale rere esse argentum tibi.

Postquam comedit rem, post rationem putat.

Nequaquam argenti ratio comparet.

Ratio quidem, hercle, apparet: argentum οἴχεται. *sic dicimus, pecuniam proficisci. Itemque Cicero in Verrem: Pecuniam, qua via iverat, eadem semita revertisse.*

Pater cum peregrè veniet, in porta est locus: *Foris & sub dio est habitandum:*

Nisi fortè in ventrem filio correpserit. hoc est, *pecuniam, quam pro domo acceperat, jam in ventrem congesserat.*

Nequam illud verbum est, Bene vult, nisi quibene facit.

Inter se atque vos affinitatem ut conciliarem & gratiam.

Mearum rerum me novisse, æquum est, ordinem.

Edepol mutuum mecum facit. *h. e. à me mutuò amatur.*

Nam

Nam illum tibi ferentarium esse amicum inventum intelligo. *Qui repente ferat opem amico. Translatio desumpta à Ferentariis militibus, qui laborantibus facilè auxiliantur.*

Stulte facere, & stultè fabularier,

Vtrumque in ætate haud bonum est:

Atque ambabus malis expletis ut vorem.

Verecundari neminem apud mensam decet. *Scaliger: nulla verecundia debet nos dimovere à sententia dicenda, ubi de rebus divinis & humanis agitur. divina & humana res Parasiti est* esca; *& mensa* senatus.

Nam ibi de divinis & humanis cernitur.

Cœna hac annona est sine sacris hæreditas. *Lips. aliique legunt: cæna hac an non est sine sacris hæreditas? nam annona hîc locum non habet, testatur CL. Salmas.* Hæreditas sine sacris, *dicebatur, quæ esset sine ulla incommoda appendice. Vide Boxh. PL. in* Bacch. *act.* 4. *Sc.* 9. *Veteres sine sacris hæreditatem interire nolebant. curiosè igitur observabatur, ut qui hæres, hic etiam ad sacra teneretur.* Si annona *hîc legitur, aliter hoc explicat* Pareus. *quasi tanta sit horum temporum benignitas, ut non æquè raro cæna obveniat, quam hæreditas sine sacris. tanta e. raritas invitatorum.*

Tu semper hoc cogites, Lesbonicè, id optimum esse, tute ut sis optimus.

Si id nequeas, saltem ut optimis sis proximus.

Dei divites sunt, deos decet opulentia, & factiones. Verum nos Homunculi Salillum animæ, qui cum extemplo amisimus,

Aequo mendicus atque ille opulentissimus.

Censetur, censu ad Acheruntem mortuus. *sumus vasculum salis, h. e. sumus corpuscula animata. nam corpora nostra sunt tanquam animarum vascula.* Salillum animæ *dixit, fortasse metaphoricè respectu mensæ pauperum. quæ sunt perquam tenues. eis a. sal est pro obsonio.* Horat. *Vivitur parvo benè, cui paternum splendet in mensa tenui salinum.* Lambinus: *Anima corpori quoque dici potest suum sal. nam anima ubi.*

ubi à corpore se subduxerit, corpus computrescit, ad instar carnis non sale condita.

In quinto quoque sulco moriuntur boves. *pro serere quinquies, sexies, novies aratum agrum, ponitur* quinto sulco, sexto, nono. *dum quinquies aratur ager.*

Acherontis ostium in nostro est agro.

Tum vinum, priusquam coactum est, pendet putidum. *sic in locis pestilentibus* Orci ostium *dicitur. Hic sumitur pro sterilitate, quasi ab inferis anima & spiraculum teterrimum exhaletur, quod noceat frugibus. Per* vinum, *uvas intellige.*

Vt ad incitas redactus. PH. apage à me istum agrum. *Antiqui fines seu terminos, quos amplius promovere non est*, incitos *vocabant. Et qui eò rerum erant redacti, ut nullum rerum suarum consilium possent capessere*, ad incitas redacti *dicebantur. ubi subaudi*, lineas. *Scaliger.*

Nam fulguritæ sunt hîc alternæ arbores.

Sues moriuntur anginâ hîc acerrimè.

Oves scabræ sunt, tam glabræ, hem! quàm hæc est manus.

Nemo exstat, qui ibi sex menses vixerit,

Ita cuncti solstitiali morbo decidunt. *alii hunc morbum pro comitiali intellexerunt; alii pro repentino & subitaneo. ut etiam in Pseudolo*, herba solstitialis *illa est, quæ nata statim moritur.* Turnebus *solstitialem morbum ardentissimas febres dixit, quasi illæ sub solstitio maximè vagentur. Vide plura hoc loco.*

Hospitium est calamitatis, quid verbis opus est?

CAP. XLII. *Act. III. Sc. I.*

S*ine dote* ille illam in tantas divitias dabit?

Nimium difficile est reperire amicum, ita ut nomen cluet. *cujus facta respondent nomini. qui est maximè Ferentarius.*

Sc. 2. Nul-

Sc. 2.

Nullum beneficium duco esse id, quod, cui facias, non placet.

In foro operam amicis da, haud in lecto amicæ, ut solitus es.

Nisi me auscultas, atque hoc, ut dico, facis.

Tute pone te latebis facile, ne inveniat te honor.

Ita est amor; balista ut jacitur. nihil sic celere est, neque volat.

Atque is mores hominum moros & morosos efficit.

Minus placet, magis quod suadetur: quod dissuadetur, placet.

Cum inopia est, cupias; quando ejus copia est, tum non velis.

Ille, qui aspellit, is compellit: ille, qui consuadet, vetat.

Insanum est malum in hospitium devorti ad Cupidinem.

Datur ignis, tametsi ab inimicis petas.

Nunquam erit alienis gravis, qui suis se concinnat levem.

Is est honos homini pudico, meminisse officium suum.

Nisi uti sarcinam constringam, & clypeum ad dorsum accommodem:

Fulmentas jubeam suppingi soccis: non sisti potest. *Fulmenta sunt clavi soccis sive calceis suppacti, tanquam fulcimenta.*

Video caculam militarem me futurum haud longius. *nonnullis calones dicuntur, qui militibus ligna suppeditabant. ut* Lixæ, *qui aquam, quàm veteres* lixam *dixêre. vel* calones, *quia ligneas clavas pro tutela dominorum gerebant. nam ligna,* κᾶλα *vocarunt.* Scalig.

Suspicionem ab adolescente amoveris.

Hoc me ætatis sycophantari pudet.

Diem

Diem sermone terere, segnities mera est.

Act. IV. Sc. 1.

Salsipotenti & multipotenti Iovis fratri, & Nerei Neptuni,

Lætus lubensque, laudes ago; & grates gratiasque habeo, & fluctibus salsis.

Quod suis me ex locis in patriam urbisque mœnia reducem faciunt.

Atque hanc tuam gloriam jam antè auribus acceperam, & nobiles apud homines,

Pauperibus te parcere solitum, divites damnare atque domare.

Hoc diis dignum est, semper mendicis modesti sint.

Ita jam quasi canes, haud secus, circumstabant navem turbines venti:

Imbres fluctusque atque procellæ infensæ frangere malum.

Ruere antennas, scindere vela.

Quis hic est, qui in plateam ingreditur cum novo ornatu specieque?

Sc. 2.

Huic ego diei nomen Trinummo faciam: nam ego operam meam

Tribus nummis hodie locavi ad artes nugatorias.

Quas ego neque oculis, neque pedibus unquam usurpavi meis.

Viden' egestas quid negotii dat homini misero mali?

Qui sit homo, nescio: neque natus, nec ne is fuerit, id solidè scio.

Fol hic quidem fungino genere est, capite se totum tegit. *Fungi nihil aliud sunt ferè, quàm caput.*

Ni illic homo est, aut dormitator, aut sector Zonarius. *Dormitator h. e. fur: quod interdiu dormiat, noctu evigilet ad furandum.* Turneb.

Ape-

Aperite hoc, aperite. heus! ecquis his foribus tutelam gerit? *alloquitur ostiarium, qui, ut ait Ovid. egressus, introitusque videt. Ex prisco instituto Ianitores isti erant in catenis.*

Sesquipede quidem est, quàm tu longior.

Ne malè loquare absenti amico.

Non placet, qui amicos intra dentes conclusos habet.

Nimium miris modis mirabiles.

Sed ubi absinthium fit, atque cunila gallinacea. *variè de hac voce scribitur.* CL. Salmas. *ait, ideo fortasse sic dici, quod galli gallinacei semen ejus appetant.*

Pudicum neminem esse oportet, qui abs terrâ ad cœlum pervenerit.

Cui, si capitis res fiet, nummum nunquam credam plumbeam.

Aggrediundus est hic homo mihi astu-heus, Pax, te tribus verbis volo.

Dii te perdant; & si flocci facio, an periisses prius.

Sed enim tu qui sis, qui non sis, floccum non interduim.

Iam dudum meum ille pectus pungit aculeus.

Nam epistola illa mihi concenturiat metum in corde. *concenturiare, est colligere: dictum à centuriis, qua ad suffragia conveniebant.* Terent. *Ego in subsidiis hic ero Succenturiatus, si quid deficies.* h. e. *ero successor in deficientis locum, ad supplementum centuria. Translatio à re militari.*

Sc. 3.

Recipe te ad dominum domum, ne subitò metus exoriatur scapulis stultitiâ tuâ. adde gradum, appropera.

Cave tibi sis, ne bubuli in te cottabi crebri crepent. *Facetè ita appellat plagarum crepitus, qui eduntur, cum servi corio bubulo caeduntur. vel lora ipsa, quib. caeduntur. Vide plura hoc loco in PL. Boxh.*

Con-

Condalium es oblitus, postquam thermopotasti gutturem? *annuli genus est. dicitur quoque condulus, vel condalus: quem servos digitis gestasse Calius author. ἀπὸ τῶν κονδύλων, à digitorum articulis.*

Oculicrepidæ, Cruricrepidæ, Ferriteri, Mastigiæ.

Ambitio jam more sancta est, libera est à legibus.

Scuta jacere, fugereque hostes, more habent licentiam.

Petere honorem pro flagitio, more fit.

Strenuos præterire, more fit.

Mores leges perduxerunt jam in potestatē suam:

Magis quîs sunt obnoxiosi, quàm parentes liberis.

Eæ miseræ etiam ad parietem sunt fixæ clavis ferreis:

Vbi malos mores affligi nimio fuerat æquius.

Vectus capitali periculo per prædones plurimos.

Adimit animam mihi ægritudo.

Neque demutavit animum de firmâ fide.

Act. V. Sc. 2.

Nam exædificasset me ex his ædibus, absque te foret.

Beneficium homini proprium quod datur, proprium sumpserit:

Quod datum utendum est, id repetundi copia est, quando velis. *exadificasset hoc est, ex adibus ejecisset.*

Tunica propior pallio est. *amicis aliis atque aliis magis devincti sumus.*

Quis homo tam tumultuoso sonitu me excivit subitò foras?

Miseria una uni quidem homini est affatim

Imò huic parum est: nam si pro peccatis centum ducat uxores, parum est.

FINIS TRINUMMI.

M. AccI

M. Acci Plauti
TRUCULENTUS.

Camerari
Argumentum.

Hæc Comœdia est altera, qua admodum Ciceroni placuit. Meretrix quadam callida & astuta & rebus omnibus ad fallacias & fraudes instructa pellicit in amorem sui tres adolescentes: unum urbanum, quem celeriter conficit: alterum rusticum, qui profusus est in dando: tertium militem, cujus stoliditate abuti, & quem compilare cupiens, simulat se ex ipso esse gravidam: & hoc persuadet credulo. ut enim hoc genus fastuosum, ita stolidum est. Erat rustico servus immitis, & cui doleret corrumpi filium herilem: sed & ille tamen mutatur, & desinit esse sævus seu truculentus. nam hinc nomen Fabulæ inditum est. Inseritur & virginis stuprum, compressæ per vim ab urbano. &c. Nimis graphice expressa est levitas & malitia & fraudulentia meretricia, &c.

Iul. Cæs. Scaliger.

Truculentum Plautus Rusticum inscribere debuit. *Rusticus* enim ibi, non *Truculentus* est.

ELE-

ELECTA PLAVTINA

Ex

TRUCULENTO.

CAP. XLIII.

PROLOGVS.

EN me hercule, in vobis resident mores pristini
Ad denegandum ut celeri lingua utamini.

Act. I. Sc. I.

Non omnis ætas ad perdiscendum sat est
Amanti, dum id perdiscat, quot pereat modis.
Neque eam rationem eapse unquam edocet Venus,
Quam penes amantum summa summarum redit. *h. e. penes quam summa rerum amantum potestas est.* Summa summarum, *est, cum in rationibus multa nomina & capita in unam summam rediguntur, &c.* Turneb.
Quot amans exemplis ludificetur, quot modis
Pereat, quotque exoretur exorabulis!
Quot illic blanditiæ, quot illic iracundiæ.
Sunt! quot sui pericla amanda! Dii vestram fidem, hui!
Quid pejerandum est etiam, præter munera!
Quasi in piscinam rete qui jaculum parat,
Quando abiit rete pessum, tum adducit sinum:
Sin jecit rete, pisces ne aufugiant, cavet:
Itidem est amator.
Interim ille hamum vorat, si semel Amoris poculum accepit merè,
Eaque intra pectus se penetravit potio.

Bis

Bis periit amator, ab re atque animo ſimul.
Sin alter alteri potior eſt, idem perit:
Si raras noctes ducit, ab animo perit.
Ita diſciplina in ædibus eſt lenoniis.

Sc. 2.

Neu quis manus attulerit ſteriles intro ad nos,
Gravidas foras exportet.

Qui alterum incuſat probri, eum ipſum ſe intueri oportet.

Amator ſimilis eſt oppidi hoſtilis. Quam primum expugnari poteſt amator, optimum eſt amicæ.

Sed longè aliter eſt amicus atque amator.

Certè hercle quam veterrumus homini optimus eſt amicus.

In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ atque orationes Lacteque: corda felle ſunt lita, atque acerbo aceto.

E linguis dicta dulcia datis, corde amare facitis Amantes.

Act. II. Sc. 1.

Huic homini amanti mea hera apud nos dixit neniam de bonis:

Nam fundi & ædes obligatæ ſunt ob amoris prandium.

Adeo ei conſiliarius hic amicus eſt, quàm auxiliarius. *Dixit neniam de bonis: idem eſt, quod ſupremam dixit: valedixit: abire juſſit. Nenia ὕμνοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν.*

Iſte nunc id habet,.quod nos habuimus. humanum facinus factum eſt.

Actutum Fortunæ ſolent mutarier. Varia vita eſt.

Nos divitem eum meminimus, atque iſte pauperes nos. Vorterunt ſeſe memoriæ.

Piacu-

Piaculum est, misereri nos hominum rei male gerentum.

Bonis esse oportet dentibus lænam probam: arridere,

Quisquis veniat, blandeque alloqui: male corde consultare, bene loqui linguâ.

Meretricem esse similem sentis condecet,

Quemquem hominem attigerit, profectò aut malum aut damnum dari.

Nunquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimicus est suæ.

Nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere,

Quin, ubi nihil det, pro infrequente eum mittas militiâ domum. *Vide hîc Lipf. hoc loco in Boxh. Plautus.*

Probus est amator, qui relictis rebus rem perdit suam.

Nam ecastor nunquam satis dedit suæ quisquam amicæ amator.

Quando sterilis est amator à datis, improbus est.

Si neget se habere quod det, soli pernoctandum est.

Sc. 2.

Quis illic est, qui tam protervè nostras ædes arietat?

Quid tibi ad hasce ædes accessio est? aut pultatio?

Salve. ST. satis mihi est tuæ salutis: nihil moror: non salveo.

Aegrotare malim, quàm esse tuâ salute sanior.

Iam, hercle, ego hîc te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram.

Tu verò clurinum pecus, advenisti huc sustentatum cum exornatis ossibus. *Clura vel clurinum* simia *dicitur. Homines deformes per convitium simia appellati. Pro* sustentatum *alii legunt*, ostentatum.

pro

pro oßibus, oribus, *vel* auribus. *ut* oricilla *pro* auricilla.

Ita me amabit sarculum, ut ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem. *Bos patalis, Festo est, qui cornua habet late patentia. Hamaxari, est plaustrum trahere. tales autem boves & plaustris & aratris apti.*

— Abire hinc ni properas grandi gradu,

Iam ego istos fictos, compositos, crispos, concinnos tuos,

Vnguentatos usque ex cerebro expellam.

Buccas rubricæ; cera omne corpus intinxit tibi. pessumæ estis.

Vetus est maceria, lateres si veteres ruunt. *Maceria est murus intermedius ex lapidibus sine calce & camento congestus.*

Nunquam edepol mihi quisquam homo mortalis post hac duarum rerum creduit. *Omnis enim sermo duobus monosyllabis constat. Est* & *Non.* Turneb. *duarum rerum*, id est, *divini & humani.*

Hem tu, ô sexungula! malè vivitis. *aptißimè rapax genus describitur. significat amatores bona sua perdere apud meretrices, emptionibus, obligationibus & compotationibus.* Scaliger.

Si ecastor hic homo sinapi victitet, non censeam tam esse tristem posse.

Sc. 3.

Si proinde amentur mulieres, diu quam lavant
Omnes amantes balneatores fiant.

Quid jam me revocabas, improbe nihilique homo?

Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora. *quæ mora tantum moræ tibi peperit, quantum est mille passuum. oratio hic est concisa.*

Nescio quem præstolata est: credo,* militem. *præstolor, id est præsto sum, appareo, id est, obsequor.*

Me nemo magis respiciet, quàm si hinc ducentos annos fuerim mortuus.

Vt rei servire suave est! væ misero mihi.

Post factum plector, quia ante partum perdidi.

Nunc postquam scio dulce atque amarum quid sit ex pecunia.

Ita edepol illam servem, itaque parce victitem,

Vt nulla faxim cis dies paucos siet. h. e. *propediem.*

Sentio aperiri fores, quæ absorbent quicquid venit intra pessulos.

Sc. 4.

Num tibi nam, amabo, janua est mordax mea?

Ah, hoc est mel melle dulci dulcius.

Sed, dic mihi, bene ne ambulavisti? *formula quærens de incolumitate peregrè venientis.* Bene ambula. *h. e. feliciter proficiscere.*

Tibi mea consilia summa semper credidi.

Qui quasi uxorem sibi me habebat anno. *hoc est, anno præterito. cui opponitur horno.* Lips.

Vt esset aliquis laqueus & redimiculum. *ponitur pro quodam vinculo & modo, quo velut alligatus teneretur miles Babyl.*

Ad suum quemque æquum est, quæstum esse callidum.

Quin Diis sacrificare hodie pro puero volo,

Quinto die, quod fieri oportet. *qui dies quintus ἀμφιδρόμιος dicebatur, à ritu, quo cursim circa focum gestabatur puer. Apud Græcos infans die quinto lustrabatur: sed apud Latinos octavo quidem puella; nono pueri: qui dies* lustricus *dicebatur. Symmacho* lustratus solemnitas. *item* Nominalis, *quia nomen tum illi indebatur. Hinc* Nominalia.

Ostendit sese jam mihi medullitus.

Sc. 5.

Puero isti date mammam. ut miseræ matres sollicitæque ex animo sunt cruciantурque!

Nimio minus perhibemur Malæ, quàm sumus ingenio. ego prima domi docta dictito.

Quanta

Quanta eſt, cura in animo, quantum corde capio dolorem.

Dolus ne occidat morte pueri! mater dicta quod ſim, eo magis ſtudeo vitæ, quæ auſa ſum tantum clam dolum aggrediri.

Nullam rem oportet doloſe aggredi, niſi
Aſtutè accurateque exequare.

Malo quod mulier facere incepit, niſi id efficere perpetrat, id illi morbo, id illi ſenio eſt, ea illi miſeræ miſeria eſt.

Si bene facere incepit, ejus eam cito odium percipit.

Mulieri nimiò malefacere melius eſt onus, quàm bene.

Fer huc verbenam mihi, thus & bellaria.

Date aquam manibus. *Verbenam, quæ herba ſacra dicitur, alibi interpretati ſumus. Hinc Verbenarii. vide Numam* 2 *Reg. Romanorum. Dicitur &* Verbenaca. *Domi ſacra fiebant vulgo, infinitis de cauſis. etiam ob puerperium.*

Sc. 6.

Meas pugnas manibus duelli prædicare ſoleo, haud in ſermonibus.

Soleas mihi duce. pallium injice in me huc. *Veteres cum accumbere vellent, deme mihi ſoleas, ajebant. cum ſurgere, poſcebant ſoleas.*

Non laudandus eſt, cui plus credit, qui audit, quàm qui videt.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quàm auriti decem.

Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt.

Non placet, quem ſcurræ laudant, manipulares muſſitant. *militares homines.*

Neque illi, quorum lingua gladiorum aciem præſtringit domi.

Strenui nimio plus proſunt populo, quàm arguti & cati.

Facile ſibi facunditatem Virtus argutam invenit.

Sine Virtute argutum civem mihi habeam pro præficâ. *De prafica alibi dicemus: qua in funeribus mercede conducebantur ad ejulandum. quaſi in hoc ipſum præfecta. Et cæteris dant modum plangendi.* Feſtus.

Salve, qui me interfeciſti pene & vita & lumine. *Homerus Agamemnonis vulnerati dolorem cum parturientis dolore confert. qua ὠδῖναι maxima.*

Quique vim magni doloris per voluptatem tuam Condidiſti in corpus, quo nunc etiam morbo miſeraſum. *Obſcœnitatis latebras Priapus, non Chriſtianus explicet.*

Filium peperiſti, qui ædes ſpoliis opplebit tuas. *ſpolia apud Hebræos ſign. ſupellectilem.*

PH. Multo magis oppletis opus eſt tritici granariis,

Ne ille, priuſquam ſpolia capiat, hic nos exſtinxit fame.

Si plane ex medio mari Savium petere tuum jubeas, petere haud pigeat me, mel meum.

Iam mihi auro contra ſtat filius.

Purpuram ex Sarâ tibi attuli, & induvias Ponto amœnas. *Sara, h. e. ex Tyro. Tyrus* Sara *dicta ex piſce* Sar. *Hinc Virg. ut gemmâ bibet & Sarrano dormiat oſtro.*

Sc. 7.

Ite, ite hac ſimul, muli æris damnigeruli, foras gerones. Bonorum hamaxagoæ.

Qui bona ſua pro ſtercore habet, foràs jubet ferri.

De minâ unâ deminui modò quinque nummos: mihi detraxi partem Herculanam. h. e. *decimam.* Muli æris damnigeruli, *qui inſtar mulorum onuſti eſtis ære.* Nummus *hic valet duas drachmas.* Minam *Græci dixerunt centum eſſe drachmarum.* Herculana, *pars decima: Herculi qua portio debebatur. Vide plura hoc loco in* PL. Boxh.

Mere-

Meretricem ego item esse reor, mare ut est: quod des devorat, nec unquam

Abundat. at hoc saltem servat mare: quod illi subest, apparet: huic des

Quantumvis; nusquam apparet, neque datori neque acceptrici.

Velut meretrix meum herum miserum suâ blanditia intulit in

Pauperiem, privavit bonis, luce, honore, atque amicis.

Tune ais impudentem me esse, quæ sis stabulum flagitii?

Me intuetur gemens. traxit ex imo ventre suspirium. dentibus frendit: icit femur.

Tune tantilli doni causa, olerum atque escarum, & poscarum,

Mæchum malacum, cincinnatum, umbraticolam. tympanotribam

Amas, hominem non-nauci? *Poscarum*, *Malacum exposuimus.* Vmbraticola *hic dicitur mollis, qui non assuevit aprico & soli. quemadmodum milites.* Iuvenal. *sed genus ignavum, quod tecto gaudet & umbrâ: sic.* Petronius, *umbraticum Doctorem dixit.* Tympano triba: *effeminatus, quales erant Cybelæ Sacerdotes, & exsecti Matris deum, manibus tympana pulsantes. vide plura hoc loco.*

Vnum verbum adde isthoc. jam hercle ego te hîc offatim conficiam.

Iam ego te hîc agnum faciam, & medium distruncabo. Ad Legiones tu bellator,

At ego in culinâ cluo Ares. *h. e. Mars. Getam è culina veru allaturum minatur. vide hîc plura.*

Offatim jam, jam, jam concipilabo. quid tibi huc ventio est? quid tibi hanc aditio est?

Emoriere ocius, si manu niceris. *Concipilasti dictum à Nævio, pro, corripuisti & involasti.* Nicere, *significat manum movere; vel manu minari, Boxh.*

De vento condoluit caput.

 Nunc

Nunc ego iſtos mundulos urbanos amaſios
Hoc ictu exponam, atque omnes ejiciam foras.

CAP. XLIV. *Act. IV. Sc. 1.*

Dii magni, ut ego lætus ſum! & lætitiâ differor!
ita ad me magna nunciavit Chyamus hodie gaudia.

Mea pila eſt: ſi repudiatur miles, mulier mecum perit. *Proverbialiter dictum. meretrices, quæ ſe publicant, tanquam pila ſunt. aut ſi non ipſæ pila, tanquam pila ſunt.* Nævius Tarentilla: *Quaſi in foro pilà Ludens datatim dat ſe, & communem facit.* Vnde illud Afranii: *Datatim uxorem ut ludas: h. e. uxorem tuam vulges. quaſi pilâ ludatur.*

Sc. 2.

Stultus es, qui facta infecta facere verbis poſtules

Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis.

Nam invidere alii bene eſſe, tibi male eſſe, miſeria eſt.

Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

Nam item, ut Acheronti hîc ratio accepti ſcribitur. *Orcus enim nunquam quicquam reddit aut remunerat.*

Nugæ ſunt, ſi ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.

De nihilo eſt, illi iraſci, quæ te non flocci facit.

Sc. 3.

Quanquam vos colubrino ingenio ambæ eſtis; edico prius,

Ne duplices habeatis linguas, ne ego bilingues vos necem:

Niſi id ad tintinnaculos vultis vos educi viros. *Tintinnaculi viri ſunt, qui ferreas compedes indebant vin-*

vinciendis, quia tintinnum edebant, dum eas accuderent pedibus. A verbo tintino. *unde nomen* tintinax, *qui talem sonum dedit, ut à bibo* bibax. *A tintinnax*, Tintinnaculus. *ut à bibax bibaculus.* SALMAS.

Plus poteſt, qui plus valet. Vir erat plus valebat, vicit.

Lapideus ſum, commovere me miſer non audeo.

Res palam omnis eſt: meo illic nunc fiunt capiti comitia. *vide notas Pſeudoli act.* 4.7.

Video ego te; propter mala facta qui es patronus parieti. *qui videris ſuſtentare parietem. hoc eſt; ſenem, ne labatur. ita ei adhæres latitans.*

Neque vivus, neque mortuus ſum. nec quid nunc faciam ſcio. h. e. ſemimortuus ſum.

Per tua obſecro genua, ut tu iſtuc inſipienter factum ſapienter feras.

Mihique ignoſcas, quod animi impos vini vitio fecerim. CA.

Non places. in mutum culpam confers, quod nequit loqui.

Nam vinum ſi fabulari poſſet, ſe defenderet.

Non Vinum hominibus moderari, ſed vino homines ſolent:

Qui quidem probi ſunt; verum qui improbus eſt, ſive ſubbibit,

Sive adeo caret temeto, tamen ab ingenio & improbus.

Sc. 4.

Blitea & lutea eſt meretrix, niſi quæ ſapit in vino ad rem ſuam.

Si alia membra vino madeant, cor ſit ſaltem ſobrium. *Dicebantur* βλιτάδες, *in contemptum. quaſi diceres, Nugatoriæ mulieres.* Plin. *Blitum iners videtur, ac ſine ſapore.*

Cogitate, Mus puſillus, quàm ſit ſapiens beſtia.

Aetatem qui uni cubili nunquam committit ſuam

Quia ſi unum oſtium obſideatur, aliud perfugium gerit.

Act. V.

Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter.

Vt dies noctesque potet: opus est igne, opus est carbonibus:

Fasciis opus est, pulvinis, cunis, incunabulis:

Oleum opus est, farina puero opus est: opus est totum diem.

Nunquam hoc uno die efficiatur opus, quin opus semper siet.

Non enim possunt militares pueri setanio educier. *Differentiam videntur habere fascia & incunabula.* Incunabula *propriè lora aut vincula, quibus ad cunas ligabantur, ne exciderent.* Fasciæ, *quibus illigabantur & involvebantur infantes.* SALMAS. Sitanium, vel Sitania, *genus mespili in Italiâ frequens.*

Omnes homines ad suum quæstum callent & fastidiunt.

Quanquam hic horridus est, quanquam hic squallidus est, scitus bellum init. *Iocus protervior, sed non indignus virosâ meretriculâ.*

Stultus atque insanus damnis certant.

Melius te minis certare mecum, quàm minaciis.

FINIS TRUCULENTI.

ELECTA TERENTIANA.

ELECTA TERENTIANA.

Ex

A N D R I A.

CAP. I.

Act. I. Sc. I.

Quod tibi mea ars efficere possit.

Nam isthæc commemoratio Quasi exprobratio est immemoris beneficii.

Postquam excessit ex Ephœbis. *Ephœbi dicuntur pueri, quorum lucida facies jam pubescens, primâ lanugine obducitur. Phœbi /e. dicuntur lucidi. ex ἐπὶ & ἥβη, pubertas. ἐφηβία, pubertas. h. e. prima ætas adolescentiæ, & extrema pueritiæ.* Donat.

Liberior vivendi potestas. Mansuetique animi officia.

Adprime id in vita utile, ut NE QUID NIMIS.

Sine invidiâ invenias laudem, & amicos pares.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Egregiâ formâ atque ætate integrâ. Lanâ ac telâ victum quæritans.

Vt ingenium omnium hominum à labore proclive ad libidinem.

Qui cum ingeniis conflictatur ejusmodi: neque commovetur animus eâ in re.

Tunc uno ore omnes omnia bona dicere.

Vitæ suæ modum posse habere. Mortem hujus tam fert familiariter.

Formâ præter cæteras honesta & liberali.

Percussit ilicò animum. Hinc illæ lacrymæ. *Lacryma à lacerando, quod animum lacerent. vel à Gr. Δακρύειν. igitur sine h. scribendum.*

Mediam mulierem complectitur.

Ad sepulchrum venimus: in ignem posita est: fletur. *Olim cadavera comburebantur, deinde cineres in urnâ, humi, aut in arca lapidea condebantur. Antiquissimi tamen terrâ mortuos operibant.* Cic. 2. lib. de Leg.

Vultu adeo modesto, adeo venusto, ut nihil supra

Bene dissimulatum amorem & celatum indicat.

Vt consuetum facile amorem cerneres, rejecit se in eum flens quàm familiariter.

Satis vehemens causa ad objurgandum.

Egomet quoque ejus causa in funus prodeo. *Funus à funalibus dictum, quod incensi funes mortuis præferebantur, quoniam noctu efferebantur cadavera. vel ab eo, quod φῦνος Iones dicunt ionicè, pro φόνος, quod cædem, vel cladem significat.*

Nam si illum objurges, vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

Prope adest, quum alieno more vivendum est mihi:

Sine nunc meo me vivere interea modo.

Manibus pedibusque obnixè omnia facturum.

Mala mens, malus animus. *Nam si mens, unde proficiscuntur consilia, mala est; non meliora inde speranda sunt consilia.* Mens, *quasi eminens, quod maximè emineat inter omnes animæ facultates.* Animus, *est vita & voluntatis fundamentum.* Mens *cogitationis consiliique quædam subtilitas.*

Act. I. Sc. 2.

Mirabor hoc si sic abiret. Quid cum illo consilii captet.

Vt bene assimules nuptias vide.

Nun-

Nunquam cuiquam noſtrum verbum fecit.

Opinantes ducere falſo gaudio.

Oſcitantes opprimere. Diſturbare nuptias.

Meum gnatum rumor eſt amare. Dum tempus ad eam rem tulit.

Omnes, qui amant, graviter ſibi dari uxorem ferunt. *Vxor, quaſi* unxor, *ab ungendo. nam cum puellæ nuberent, ac mariti domum intrarent, axungiâ poſtes unguebant, hoc modo omnia mala ab eâ domo arceri putantes.* Enn. *Exin Tarquinium bona fœmina lavit & unxit.*

Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum, ipſum animum ægrotum ad deteriorem partem plerumque applicat.

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat.

Quod ante hac fecit, nihil ad me attinet.

Davus ſum, non Oedipus. *Interjectio eſt iraſcentis. Oedipus, podis, ſi Græcè: Oedipi, ſi Latinè. Dictus Oedipus* ἀπὸ τοῦ οἰδεῖν τοὺς πόδας, *à tumore pedum, quos habuit perforatos.* Plaut. *Oedipo eſt conjectore opus, qui Sphyngi interpres fuit.* Sphynx, *monſtrum apud Thebas, cujus caput & manus puellæ, corpus canis, alæ avis, vox hominis, ungues leonis, cauda draconis.* ἀπὸ τοῦ σφίγγειν *à ſtringendo.* Dictum *Sphynx, quod cogeret prætereuntes conſiſtere, quibus ænigma proponeret. quod monſtrum Chimæra produxit ab Orco compreſſa.* αἰνίττω hoc eſt, *obſcure loquor. Hinc Ænigma. Sphinx propoſuit tale: Quidnam eſſet in orbe, quod quaternis primum pedibus inambularet, inde tribus, inde duobus, atque mox tribus, poſtremo quaternis. Neſcientes diluere in rupem agebat præcipites. Oedipus illac iter habens diſſolvit. hominem ſc. eſſe. infantem repere, in juventute bipes, in ſenio tripes.*

Verberibus cæſum te Dave in piſtrinum dedam. *In piſtrino, ut ait Apulejus, complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage variâ. nec die tantum, verum perpeti etiam nocte prorſus inſtabili*

stabili machinarum vertigine lucubrabant pervigilem farinam. Pistrini habitatores tales *homunculi vibicibus livedinis totam cutem depicti, dorsumque plagosum scissili centunculo magis inumbrati, quàm obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem injecti, cuncti tamen sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti frontes litterati, & capillum semirasi, & pedes annulati.*

Apertè ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus.

Vbivis facilius passus sim, quàm in hac re me deludier.

Act. I. Sc. 3.

Quæ si non astu providentur, me aut herum pessumdabunt.

Nihil loci est segnitiæ, neque socordiæ. Cui verba dare difficile.

Quo jure, quaque injuria præcipitem me in pistrinum dabit.

Nam incœptio est amentium, haud amantium.

Sanè pol temulenta est mulier, & temeraria. hoc est, *ebriosa. Temetum vinum dicitur. unde* abstemius, *sobrius. dictum* temetum, *quod tentet mentem.* Temulenta, *vino*; temeraria *natura.*

Act. I. Sc. 4.

Nec satis digna, cui primo partu committas mulierem.

Dii, date facultatem, obsecro, huic pariundi. D*ii sc. nuptiales, qui quinque perhibentur: Iupiter, Hymenæus, Iuno, Venus, Diana.*

Act. I. Sc. 5.

Hoccine est humanum factum, aut incœptum? hoccine est officium patris?

Prô Deûm! atque hominum fidem, quid est, si non hæc contumelia est?

Non

Nonne oportuit præsciſſe me ante? Nonne prius communicatum oportuit? *Loquitur de nuptiis, in quibus propter ſanctitatem conſenſus requiritur. Conſenſus e. non concubitus nuptias facit.*

Itane obſtinatè operam dat, ut me à Glycerio miſerum abſtrahat? *Obſtinatè facere, eſt aliquid in alterius malum cum conatu facere perſeveranter, & in alterius perniciem nimis niti.*

Adeone hominem eſſe invenuſtum aut infelicem quenquam, ut ego ſum? SALMAS. Ἀφροδίτην *in talorum jactu invocabant veteres, ut ſecundaret* τὰς βόλους: *quin & feliciſſimus jactus dicebatur Venus. Hinc venuſtum Latini, non tantum formoſum & amabilem, ſed etiam felicem dicebant: cui omnia proſperè affluerent.*

Facta, tranſacta omnia. *Iuris hæc eſt formula. & tunc dicitur, quando in contractibus adhibentur omnia, quæ ad legitimam pactionem ſpectant.*

Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me. *ſic in contumeliam dicimus: Quid hominis uxorem habes? proverbialiter ponitur, quoties aliquid occulti vitii latere ſignificamus.*

Oratio hæc me miſeram exanimavit metu.

Tantamne rem tam negligenter agere? *de nuptiis ſc.*

Abi citò, & Suſpende te.

Aliquid facerem, ut hoc ne facerem. *ſenſus talis eſt: facerem aliquid, ut ne facerem hoc, ſc. ut non uxorem ducerem.*

Tot me impediunt curæ, quæ meum animum divorſè trahunt. *Curæ, quod cor urat.*

Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc vel illuc impellitur. *Metaphora deſumpta à mole alicujus ponderis, quæ antequam in loco ſederit, cum incerta pendet, faciliimè commovetur.*

Quæ mihi ſuum animum, atque omnem vitam credidit.

Quam

Quam ego animo egregiè charam pro uxore habuerim.

Adeone porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum,

Vt neque me consuetudo, neque amor, neque pudor

Commoveat, neque commoneat, ut servem fidem?

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides.

Quod ego per hanc dextram oro, & ingenium tuum.

Per tuam fidem, perque hujus solitudinem

Te obtestor, ne abs te hanc segreges, neu deseras.

Si te in germani fratris dilexi loco. Horat. *Quod te per genium, dextramque deosque penates Obsecro.*

Bona nostra hæc tibi permitto, & tuæ mando fidei. Alludit ad fidei commissum. *Pamphilus, fiduciarius; seu, fidei commissarius est. Glycerium, justa & legitima hæres. nam omnia sua bona illi doti dederat.*

Mors continuo ipsam occupat.

Hanc mihi in manum dat. *In manum dari, in manum convenire fœmina veteribus dicebatur, cum in uxorem duceretur. Hîc non ducitur Glycerium in uxorem, sed demum in comœdia exitu. Quare vel de tali datione in manum intelligi debet, quâ & alia porriguntur. Donatus dicit hîc Glycerium non uxorem fieri coëmptione, qua uxores reddebat. Matresfamilias propriè dictas; sed usu, qua liberorum procreandorum causa tantum assumebantur.* Vide Virg. commentarium in Georgicis ad illum locum: *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.*

CAP. II. *Act.* 2. *Sc.* 1.

DAVUS. *Aturne* illa Pamphilo hodie nuptum? Vt animus in spe, atque in timore, usque antehac attentus fuit.

Post-

Postquam adempta spes est ; lassus , curâ confe-ctus, stupet.

Quoniam non potest fieri, quod velis, id velis, quod possit.

Quanto satius est te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo, quam id loqui, quo magis lubido frustra incendatur tua!.

Facile omnes, quum valemus, recta consilia ægrotis damus. *Thales enim interrogatus, quid esset difficillimum? respondit: γνῶναι σεαυτόν. Quid facillimum? ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι; alteri consilium dare.*

Omnia experiri certum est prius quàm pereo. Virg. *Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.*

Credo impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies. *Prodere aut protrahere diem, est, quod ICtis, diffundere, aut diffindere diem. Et producere, ut alio loco*: ut huic malo aliquam producam moram.

Abi hinc in malam rem cum suspicione isthac, scelus.

Ad te advenio, spem, salutem, auxilium, consilium expetens.

Neque pol consilii locum habeo, neque auxilii copiam.

Si id facis, hodie postremum me vides.

Næ iste haud mecum sentit, *h. e. valde. sic Cicero; Næ illi vehementer errant. sive, ô quam.*

Saltem aliquot dies profer, dum proficiscor aliquò.

Nuptias effugere ego istas malo, quàm tu adipiscier. *Nuptiæ à nubendo. novæ nuptæ faciem obvelare, sive obnubere solebant.*

CAP. IV. *Act. II. Sc. 2.*

DI boni, boni quid porto! *Erant enim Dii mali: ut Pestis, Febris, Pallor, Timor, Impudentia, Infamia.*

Vt

Vt metum, in quo nunc est, adimam: atque expleam animum gaudio.

Mea quidem hercle certe in dubio vita est.

Obsecro te, quamprimum hoc me libera miserum metu.

Item alia multa, quæ nunc non est narrandi locus.

Continuò ad te properans percurro ad forum. Forum à ferendo. *ἀγορά. cupedinis forum, in quo cupediæ, h. e. lautiores cibi vendebantur. Græcè* Emporium *dicitur h. e. oppidum, vel alius locus, quò undique mercatores convenire solent, &c.*

Hem, paululum obsonii. ipsus tristis. de improviso nuptiæ. *Obsonium, sive ops. dicitur quicquid ultra panem & vinum cibi apponitur.* Iuven. *Non tamen his ulla unquam obsonia fiunt Rancidula. Obsonare ambulando famem.* h. e. excitare. Cœnæ obsonavi, h. e. obsonium emi. ὀψωνέω, vel ὀψωνεύω, emo, seu præparo obsonium.

Quum illuc advenio, solitudo ante ostium.

Liberatus sum hodie Dave tua operâ.

Et si hercle sæpe jam me spes frustrata est. Vale.

Act. II. Sc. 1.

Vt ab illa excludar, huc concludar.

Quæ nunc sunt certa ei consilia, incerta ut fient.

Nam quod tu speres, propulsabo facile.

Vide, quò me inducas.

Puerum a. ne rescíscat mihi esse ex illâ, cautio est.

Reviso quid agant, aut quid captent consilii.

Nunquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse verbum. *h. e. altercari, jurgare. Idem videtur antiqua hæc formula significare, quod* colloqui & sermones conferre.

Act. II.

Act. II. Sc. 5.

Quasi de improviso respice ad eum. *De improviso : sc. ne meditata intelligat eum habuisse consilia.*
Nunc nostræ timeo parti, quid hic respondeat.
Herus, quantum audio, uxore excidit. *Excidere dicuntur, quæ imprudentibus nobis è manibus elabuntur.*
Neque alibi usquam tibi erit in me mora.
Verum illud verbum est, vulgo quod dici solet :
Omnes sibi malle melius esse, quam alteri.
Hic nunc me credit aliquam sibi fallaciam portare.

Act. II. Sc. 6.

Præter spem evenit : sentio : hoc malè habet virum. *Vir à viribus & virtute dictus.*
Bidui est aut tridui hæc sollicitudo.
Ipsus secum eam rem rectâ reputavit viâ. *hoc est, retractavit, quia* putare, *purgare est. unde & arbores & vites putare dicimus.*
Dum licitum est ei, dumque ætas tulit, Amavit.
Cavit, ne unquam infamiæ ea res sibi esset.
Nunc uxore opus est, animum ad uxorem appulit.
Subtristis visus est esse aliquantulum mihi.
Ait nimium parcè facere sumptum.
Vix, inquit, drachmis obsonatus est decem. *Sponsa in domum viri ingressa, totus dies nuptiarum in sacrificiis, conviviis & saltationibus transigebatur olim. A Romanis latæ leges sumptuariæ : quæ tamen nuptiis aliquid indulserunt.* Lex siquidem Licinia *nuptiis ducenos indulsit, in certos quosdam dies centenos tantum æris impendi permisit.* DRACMA *nostro ære valet tres stuferos cum dimidio.* Drachmis decem, *id est,* XXXV *Stuf.*
Quid hic vult veterator sibi ? nam si hîc mali est quidquam, hem illic est huic rei caput. *Veterator est*

est vetus in astutiâ, & qui in omni re callidus est. Alias in bonam partem Veteratores *dici possunt, qui multa arte exercitati.*

Act. III. Sc. I.

Fidelem haud ferme mulieri invenias virum.

Firmavit fidem. Vtinam aut hic surdus, aut hæc muta facta sit. My. Nam quod peperisset, jussit tolli. SI. ô Iuppiter!

Sed sequere me intro, ne in mora illi sis.

Quod remedium nunc huic malo inveniam?

Iuno Lucina fer opem; serva me obsecro. *Iuno Lucina Iunonis filia. Latini* Nixos *dicunt. Iuno à* juvando *dicta. Lucina ab eo, quod* in lucem *producat. Et gemina vota sunt*, ut & *partus, & pariens servetur.* Serva me, *propter parientem dicitur*; fer opem, *propter partum.* Lucinæ varia sacra instituta, & fere in triviis ante portas colebatur, *Donatus.*

Act. III. Sc. 2.

Per ecastor scitus puer natus est Pamphilo;

Deos quæso ut sit superstes: quandoquidem ipse ingenio est bono. *per Castorem & Pollucem formula jurandi antiquitus, ut alibi diximus. Ritus præterea benè precandi recens natis Christianus est. eò enim vota parentum spectare debent.* Mart. *Sic ad Lethaas nisi Nestore serior undas, Non eat, optabis quem superesse sibi.*

Itane tandem idoneus sibi videor esse, quem tam apertè fallere incipias dolis?

Prorsus à me opinionem hanc tuam esse ego amotam volo.

Ibi me operire, & quod parato opus est, para.

Iubeo Chremetem salvere. *Antiquis mos erat, ut amicus amicum non simpliciter, sed osculo & complexu salutaret. neque id solum apud Iudaos, sed & apud Gr. & Rom.*

Act. III.

Act. III. Sc. 3.

Iræ sunt inter Glycerium & gnatum.

Amantium iræ, amoris redintegratio est. *Ideo Menander:* Ὀργὴ φιλοῦντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον. *Talia enim dissidiola, modo absit amaritudo, renovant firmantque magis amicitiam.*

Lachrymæ confictæ dolis reducunt animum ægrotum ad misericordiam.

At istic periculum in filia fieri, grave est.

Nolo tibi ullum commodum in me claudier.

Act. III. Sc. 4.

Iam advesperascit. *Ex solemni nuptiarum ritu. noctu enim uxor ducebatur, domum prælatis facibus.*

Simulavi vos ut pertentarem. Dolis ut me deluderes. Propemodum habeo jam tibi fidem.

Quin hinc in pistrinum recta proficiscar viâ. *vide Cap. 2.*

Vtinam mihi esset aliquid hîc, quo nunc me præcipitem darem.

Act. III. Sc. 5.

Vbi illic est scelus, qui me perdidit?

Servone fortunas meas me commisisse futili? *Committimus enim quæ cum magno periculo volumus esse servata.* Futile, *leve est. sumitur à vase, quod futile dicitur, quod non deponunt ministri sacrorum, quod est acuto fundo & patulo ore, eoque instabile est.* Virg. *Consiliis habitus non futilis author. Qui enim salutem suam committit ei, cujus opera mox sit periturus, perinde facit, ut ii, qui vinum, quod servatum fideli velint,* futili *infundunt vasi: unde continuò sit effundendum.*

Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si hoc devito malum.

Aliquid jam inventurus, ut huic malo aliquam producam moram.

Tu

Tu rem impeditam & perditam restituas.
Qui me hodie ex tranquillissima re conjecisti in nuptias.
Sed sine paululum ad me redeam, jam aliquid despiciam.

CAP. III. *Act. IV. Sc. 1.*

H*Occine* est credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam ut siet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis,
Alterius, sua comparent ut commoda? *Terentius per vecordiam hic intelligit non socordiam aut amentiam; sed animum pravum, malignum, inhumanum. Sic* Vejoves *sunt, non qui juvant, sed nocent. Ita* vecors, *non qui humanitate ad bene merendum, sed malignitate ad offendendum paratus.*
Proximus sum egomet mihi.
Cum eo injuriam hanc expostularem? Ingeram mala multa? Animo morem gessero. Expostulare, *est querelam apud eum ipsum deponere, de eo ipso, qui fecit injuriam.* Postulare, *querelam dicere de altero apud alterum.* Donat.
Tuum animum ex animo spectavi meo. Solvisti fidem.
Nonne tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium.
Nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres?
Quantas hic suis consiliis mihi confecit sollicitudines!
At tibi Dii dignum factis exitium duint.
Quia primo processit parum, non posse jam ad salutem converti hoc malum.
Conari manibus, pedibus, noctesque & dies. *sc. extremus conatus.*
Hac si non successit, alia aggrediemur via. *Quod aliqui à sacris putant ortum: in quib. si prima victima non fuisset litatum, iterabant sacrum; meliora sperantes.*

Act. IV.

Act. IV. Sc. 2.

Tu modò anime mi, noli te macerare. *blandimentum est muliebre.*

Age, si non insanit satis sua sponte, instiga.

Per omnes tibi adjuro deos.

Si capiundos mihi sciam esse inimicos omnes homines.

Iocularium in malum insciens pene incidi.

Valeant qui inter nos discidium volunt.

Non Apollinis magis verum, atque hoc responsum est.

Si poterit fieri, ut ne pater per me stetisse credat, quò minus hæ fierent nuptiæ.

Hoc ego profectò effectum tibi reddam.

Hinc vos amolimini: nam mihi impedimento estis. *quasi abire majus sit.* Discedere, *dicitur*, *qui facilè abit è medio.* Amolitur, *qui vix recedit.* Donat.

Act. IV. Sc. 3.

Amicum, amatorem, virum in quovis loco paratum putavi hunc Pamphilum. *Amicus* animi *est*; *Amator v.* corporis. *non e. continuò amator est, qui bene vult.* Paratum: *sc. ad omnes affectus:*

Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque astutia: *h. e. dexteritas agendi singularis, ut memoriter atque ex tempore possit dicere.*

Ex ara hinc sume verbenas tibi. *Romanismus est, in atrio, h. e. in vestibulo habere Vestam: cui sacrificium quotidie facerent* (inde e. dictum vestibulum) *illic ei fuerat collocata ara.* Verbena, *herba sacra* ἱερβοτάνη. *eam prisci* Sagmina *vocabant. Hac de loco sacro Capitolii sumebatur, cum coronabantur* Fœciales & Pater Patratus *fœdera facturi, vel bella indicturi. Improprie tamen verbenas vocamus omnes frondes sacras, ut est Laurus, Oliva; myrtus, &c.* Ara *etymologias habet varias. Varro quasi,* Ansam, *dictam*

dictam putat, à Tripodib. quod sacrificantes ansas tenebant. vel quia precantes manibus aras apprehenderent. primo enim ansæ, *postea,* aræ, *dicta. Alii ab* ardendo, *deducunt, quod illic victima incensa ardeant. sunt, qui ab* ἀρᾶσθαι, *oro; unde &* ἀρά, oratio: *quod in sacrificando oretur.*

Nova nunc religio in te isthæc incessit?

Repudio quod consilium primum intenderam.

Quid turbæ est apud forum? quid illic hominum litigant?

Concede ad dextram. Dii te eradicent: ita me miseram territas.

Iam ego hunc in mediam viam provolvam: teque ibidem pervolvam in luto. *Quasi scropha fiat.*

Fallacia alia aliam trudit.

Iocularium in malum insciens pene incidi.

Act. IV. Sc. 5.

Hem scelera! hanc jam oportet in cruciatum abripi.

Ejus morte ea ad me lege redierunt bona.

Vt quimus, ajunt, quando ut volumus, non licet.

Haud auspicato huc ad me appuli.

Si scissem, nunquam huc tetulissem pedem.

Clamitent me sycophantam hereditates persequi. *Sycophanta* vide Plaut. *Act. 1. Sc. 3.*

Act. V. Sc. 1.

Beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.

Remittas jam me onerare injuriis.

Filiam dare in seditionem, atque incertas nuptias.

Per ego te deos oro, ut ne illis animum inducas credere.

Act. V. Sc. 2.

Ego commodiorem hominem, adventum, tempus non vidi.

Omnis res jam est in vado. Omnia apparata sunt intus.

Videtur esse quantivis pretii. Sublimem hunc intrò rape, quantum potes. *sc. ita sublatum eum rape, ut terram non tangat, sed pendeat.*

Cura asservandum vinctum: quadrupedem constringito.

Tantum laborem capere ob talem filium?

Act. V. Sc. 3.

O ingentem confidentiam, num cogitat quid dicat?

Num ejus color pudoris signum usquam indicat?

Cur me excrucio; cur me macero? Cur meam senectutem hujus sollicito amentiâ?

Quidvis oneris impone, impera. Sine me expurgem.

Pro peccato magno paullum supplicii satis est patri.

Act. V. Sc. 4.

Tune hic homines adolescentulos, imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem illicis? sollicitando & pollicitando eorum animos lactans.

Meretricios amores nuptiis conglutinas?

Si mihi pergit, quæ vult, dicere: ea, quæ non vult, audiet.

Arrige aures Pamphile. *dicitur de avidè rem novam semper inhiantibus. Et ducta est metaph. ab animantibus, quæ, si quando quid eminus audiant, aures arrigunt.*

Vix sum apud me, ita animus commotus est metu.

At mihi unus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habet.

Dignus es cum tua religione, odium.

Nodum in ſcirpo quæris. *Scirpi, ſeu, ſirpi, dicuntur ſtramina, ſive junci leves admodum & enodes, quorum uſus eſt in conficiendis mattis, quas & ſtoreas, & tegetes, & phormiones vocamus. in re facili ac planâ hallucinari*, eſt idem, quod *in nodo ſcirpum quærere.*

Iam dudum res me reduxit in gratiam.

O fauſtum & felicem hunc diem!

Act. V. Sc. 5.

Ego deorum vitam propterea ſempiternam eſſe arbitror, quod voluptates eorum propriæ ſunt.

Nam mihi immortalitas parta eſt; ſi nulla ægritudo huic gaudio interceſſerit.

Dos decem talenta. T*alentum continebat Lx. libras.* libra *valebat* x *coronatos. Ergo talentum ſexcenti coronati.* Talentum magnum. *Lxxx erat librarum. Pamphili ergo dos ſecundum Budæum, ſunt mille ſeptingenta ac quinquaginta libræ Flandricæ.*

Act. 5. Sc. 6.

More hominum evenit, ut, quod ſim nactus mali, prius reſciſceres tu, quàm ego illud, quod tibi evenit boni

Num ille ſomniat ea, quæ vigilans voluit?

Age, me in ſecundis tuis reſpice. *Ne mei tibi obrepat oblivio.*

FINIS ANDRIÆ.

ELECTA

ELECTA TERENTIANA

Ex

EUNUCHO.

CAP. IV.

PROLOGUS.

NUllum est jam dictum, quod non dictum sit prius.

Act. I. Sc. I.

Infectâ pace ultra ad eam venies.
Actum est! ilicet! *vide Plaut. in Aulul.*
Here, quæ res in se neque consilium, neque modum habet ullum, eam consilio regere non potes.
In Amore hæc omnia insunt vitia: injuriæ,
Suspiciones, inimicitiæ, induciæ,
Bellum, pax rursum. Incerta hæc situ postules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quam si des operam, ut cum ratione insanias.
Cur amor modum non admittat, petenda ab Aristotele ratio. Carnalis amor ex iis enim est affectionibus, quarum virtus regula esse non potest. mediocritas autem & modus affectionum à virtute dependet.
Hæc verba, una mehercule falsa lacrymula,
Quam oculos terendo, misera, vix vi expresserit,
Restinguet.
Et tædet & amore ardeo: & prudens & sciens
Vivus vidensque pereo. *Prudens est, qui intelligentiâ suâ aliquid sentit. Sciens, qui alicujus indicio rem cognoscit.* Cic. *Huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur.*

Quid agas ? nisi ut te redimas captum quam queas

Minimo : si nequeas paululo, at quanti queas :
Et, ne te afflictes.

Si sapis, neque præterquam quas ipse amor molestias

Habet, addas : & illas, quas habet, rectè feras.

Sed ecca, ipsa egreditur, nostri fundi calamitas. *propriè calamitatem rustici grandinem dicunt : quod comminuat calamum. h. e. culmum & segetem.*

Act. I. Sc. 2.

Miseram me ! vereor ne illud gravius Phædria
Tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit. *h. e. in aliam partem.*

Tremo horreoque postquam adspexi hanc. *natura magni caloris etiam horrorem incutit, ut nimia febres. Sic in amore quoque. nimius enim ignis effectum frigoris reddit. & ex frigore nimio effectus ignis existit : secundum Physicos. Virg. Aut Borea penetrabile frigus adurat.*

Accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis. *Donatus de amore & meretrice intelligit. Sed melius est illud, quod Menander aperte dixit, Meretrices juxta domum suam vel in atrio solitas habere aram Veneris vulgaria, cui quotidie sacrificarent : ut hoc sit,* accede ad ignem. *h. e. ad aram.* Virgilius : *At mihi sese offert ultrò meus ignis Amyntas*

O Thais, Thais, utinam esset mihi pars æqua amoris tecum, ac pariter fieret.

Vt aut hoc tibi doleret itidem, ut mihi dolet.

Quia sum apud te primus. *id est, plurimi fio, & præ cæteris diligor.* pars æqua amoris. h. e. *utinam mutuo amando paria faceremus.* Theocrit. *Atque utinam ! spirent in utroque Cupidinis æstus Aequales.*

Misera præ amore exclusisti hunc foras.

Hac lege tibi meam adstringo fidem.

Quæ

Quæ vera audivi, taceo, & contineo optimè.
Sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuò palam est.
Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo.
Astringo fidem, h. e. fidem promitto: quia vincula fidei dicuntur. falsum est, *quo tegitur id quod factum est.* Vanum, *quod fieri non potest.* Fictum, *quod non est factum, & fieri potuit. Falsum loqui, mendacis est: Fictum callidi: Vanum stulti. Falsum loqui, culpa est. Fictum virtutis. Vanum vecordia.*
Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
Puduit dicere Thaidem, Meretrix mihi mater fuit. Hinc Pythagoras oriundus. Hinc quoque vasa fictilia, Samia dicta. Hanc insulam Apul. lib. 2. Florid. eleganter describit.
Se audivisse abreptam è Sunio. Mater ubi accepit, cœpit studiosè omnia
Docere, educare, ita ut si esset filia.
Quo cum uno tum rem habebam hospite. *id est, Consuetudinem, amorem.*
In Cariam est profectus: te interea loci cognovi..
Post illa quam intimum habeam te: & mea consilia ut tibi credam omnia,
Ejus frater aliquantum ad rem est avidior:
Is ubi hanc formâ vidit honesta virginem,
Et fidibus scire, pretium sperans, ilico
Producit: vendit: forte fortuna adfuit
Hîc meus amicus.
Imprudens harum rerum, ignarusque omnium
Is venit.
Ait, si fidem habeat, se iri præpositum tibi
Apud me. *hoc est, si accipiat fidem me præposuisse se tibi.*
Sed ego, quantum suspicor, ad virginem animum adjecit. *Prudentia naturalis est. Gnaritas extrinsecus advenit. Imprudens per se: ignarus per alios.*
Sola sum. habeo hîc neminem, neque amicum

neque cognatum. *aliud amator, aliud amicus. Amicus qui perpetuò amat.*

Sine illum priores partes hosce aliquot dies apud me habere.*

Ego excludor: ille recipitur: quâ gratia?

Nisi illum plus amas, quàm me.

Nunquid meam benignitatem sensisti in te claudier. *propriè liberalitatem & munificentiam intelligit.*

Porrò Eunuchum, dixti velle te. *apud Persas & Indos præcipuè in deliciis habebantur. & adhibebantur ad lectorum matronalium custodiam. unde dicti Eunuchi ab εὐνὴ, id est, cubile, & ἔχω custodio. alii à mentis bonitate, quod sint placido mitique ingenio. Corippus Africanus lib. 3.*

Illis summa fides & plena licentia sacris
Deservire locis, atque aurea fulcra parare;
Regales mensas epulis onerare superbis,
Conservare domum, sanctumque intrare cubile,
Internas munire fores, vestesque parare.

Quia solæ utuntur eis reginæ.

Utinam! isthuc verbum ex animo, ac verè

Diceres: Potius quàm te inimicum habeam:

Si isthuc crederem sincerè dici, quidvis possem perpeti.

Labascit: victus uno verbo, quam citò! *Sincerum. purum, sine fuco & simplex: ut mel sine cera, Bene ergo ut mel. blandimentum meretricis dulce fatetur, sed negat esse sincerum.* Labascit: *ostendit amatorum stultitiam, qui se uno verbo flecti patiuntur.* Propert.

Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus undæ,
Nec dubio nubes vertitur atra noto.
Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.

Rus ibo. ibi me macerabo hoc biduum.

Ita facere certum est: mos gerundus est Thaidi.

In hoc biduum Thais vale. *hic, vale, abscessum signi-*

significat, non, salutationem. nam si mera salutatio, biduo plus valere amicam optaret.

Dies noctesque me ames: me desideres.

Me somnies: me expectes: de me cogites:

Me speres: me te oblectes: mecum tota sis:

Meus fac sis postremò animus, quando ego sum tuus. *Desiderium plus est amore. me somnies, valde amatoriè dictum.* Exspectatio, *certorum est*: spes, *incertorum.* Exspectatio, *propinquarum rerum*: spes, *longinquarum.* Mecum tota sis. *h. e. toto animo. Ea fit inter amantes animorum permutatio, ut vicissim unius in alterum animus quasi demigret. Et animus hominis non illic est, ubi animat, sed ubi amat; ut habet proverb.*

Neque meo cordi esse quemquam cariorem hoc Phædriâ.

CAP. V. *Act.* 2. *Sc.* 1.

NE isthuc tam iniquo patiare animo.

Munus nostrum ornato verbis.

Memini, tametsi nullus moneas.

Quin effectum dabo. *Quin pro imo, ut in* Heauton. *Quin nolo mentiare.* nullus moneas, *ponitur pro non. Sic dicitur*: nullus dixeris. nullus credas.

Nam aut jam revertere, aut mox noctu te adigent horsum insomnia.

Opus faciam, ut defatiger usque; ingratiis ut dormiam. Vigilabis lassus.

Ejiciunda hercle hæc est mollities animi. Te adigent horsum, *h. e. ad urbem agent.* Insomnia, *h. e. vigiliæ.* Ingratiis ut dormiam. h. e. *etiam invitus & coactus. nam* ingratiis, *non ultro significat: quia ultronea grata sunt. ingrata, quæ ab inimicis fiunt. Ab antiquis dictum quoque* insomnia *in fæm. gen. Qui legunt*, ingratis, *per synæresin pro*, ingratiis, *dicunt. significat idem quod* illibenter. Cic. *Vobis invitis, atque amborum ingratiis.* idem: *Reticebunt quæ poterunt libenter; dicent, quæ necesse erit, ingratiis.*

Tandem non ego illâ caream, si sit opus, vel totum triduum :

Dii boni, quid hoc morbi est ? adeone homines immutarier ex amore ? ut non cognoscas eundem esse.

Ducit una secum virginem facie honestâ. *Sic* Virgil. *latos oculis afflarat honores.*

Act. II. Sc. 2.

Dii immortales ! Homini Homo quid præstat ? Stulto intelligens quid interest ?

Cum meo decrepito hoc Eunucho. *Sc. 1. decrepiti sunt dicti, quorum crepitu & plangore familia, fuerant jam conclamata funera.*

Conveni hodie adveniens quendam mei loci hinc, atque ordinis Hominem haud impurum, itidem patria qui abligurierat bona.

Video sentum, squalidum, ægrum, pannis annisque obsitum.

Quid isthuc, inquam, ornati est ? Quoniam miser quod habui, perdidi :

Quo redactus sum ? omnes Noti me atque Amici deserunt.

Hîc ego illum contempsi præ me. Quid homo, inquam, ignavissime ?

Itane parasti te, ut spes nulla reliqua in te esset tibi ? *Mei loci atque ordinis.* Loci, *ingenuum* : ordinis, *pauperem significat. alterum est natalium. alterum fortunæ.* Abligurire, *est suavibus escis consumere.* ἀπὸ τῦ λιγυρῦ. *nam* λιγυρὸν *Græci suave appellant.* Senta *loca propriè dicuntur, sentibus & dumetis obsita.* Squallidi, *propriè rei, qui diu delituerunt in sordibus carceris.* Ægrum, *ad maciem refertur.* Pannis annisque obsitus : *ad vestitum & tristitiam refertur : nam miseriæ quoque deditum est senium. ut quisque miserior est, ita senior videtur.* Obsitum : *ut sentum dixit. metaphorâ ab agro sumptâ.* Ornati, *pro ornatus dixit. ut senati, antiquitus.*

Simul

Simul consilium cum re amisisti? viden' me ex eodem ortum loco? *h. e. ex eadem fortunâ.*

Qui color, nitor, vestitus, quæ habetudo est corporis?

Omnia habeo, neque quidquam habeo; nihil cum est, nihil desit tamen.

At ego infelix, neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.

Totâ erras viâ. Olim isti fuit generi quondam quæstus apud sæclum prius. *Cum essent tempora meliora.*

Hoc novum est aucupium: ego adeo hanc primus inveni viam.

Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,

Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant;

Sed his ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul.

Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque. *Pulcher hic locus de adulatoribus, qui ubique ad omnia aliorum & dicta & facta illud* EUGE *accinunt.*

Negat quis, nego: ait, ajo: postremo imperavi egomet mihi,

Omnia assentari: is quæstus nunc est multo uberrimus.

Scitum hercle hominem! hic homines prorsum ex stultis insanos facit.

Ubi advenimus concurrunt læti mihi obviam cupedinarii omnes,

Cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores,

Quibus & re salvâ, & perdita profueram, & prosum sæpe.

Salutant, ad cænam vocant: adventum gratulantur. *Cupedinarii, omnes qui esculenta & poculenta vendunt, à rebus Cupedinis ob alimentum cupedinarii appellantur.* CL. Salmasius, *dictos putat à foro Cup-*

pedinis: quod Varro perperam à Cuppedio quodam dictum autumat. Mirum est Varronem ignorasse, Cuppedinem veteribus Latinis idem esse quod Cupidinem. Cuppes, *veteribus erat cupidus & fastidiosus. Sic Cicero* Cuppediam *pro cupiditate posuit.* Lucretius *multis locis cuppedinem pro cupidine dixit.* Lib. V. *Quanta conscindunt hominem cuppedinis arces Sollicitum cura?* Lanii; *qui laniant pecora: unde & lanistæ dicti. Sic* macellum *à mactandis pecoribus dictum.* Piscatores, *qui recentem piscem præbent.* Fartores, *qui insitia & farcimina faciunt.* Cetarii, *qui cete, id est, magnos pisces venditant, & Bolonas exercent.* Bolonas exercere, *Muretus ait, qui solent non singulos pisces; sed universos retis jactus simul vendere. nam* Bolus, *id est, βόλος significat jactum retis. Fartores alio nomine,* Conditores, *solent dici* à condiendo.

Viden' otium & cibus quid faciat alienus?

Salva res est: nimirum homines frigent. *frigore & tepore gratiæ.* id est, *non placent.*

Nebulonem hunc certum est ludere. Plurimâ salute Parmenonem Summum suum impertit Gnato. *Nebulo vel fur, qui nebulas objicit.* Summum, *intellige amicum. Hæc tota locutio est parasitica elegantia, & simul ironica: plurimam dicit ei salutem. quem nec exiguam velit continere.*

Vro hominem. ut falsus animi est!

Omnium rerum heus vicissitudo est.

Ne sursum, deorsum cursites, neve usq; ad lucem vigiles.

Tu igitur pallum da mihi operæ. *Vrere hominem sumitur, pro molestiam exhibere.* Horat. *Vrit enim splendore suo qui prægravat artes Infra se positas. Sic* Catullus, *ardorem, vocat doloris morsum.* Mancipium: *Servi dicuntur mancipia, quasi manu capta. Bello enim capti in servitutem incidebant.*

Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus.

Næ tu iſtas, faxo, calcibus ſæpe inſultabis fruſtra.

Act. II. Sc. 3.

Vbi quæram? ubi inveſtigem? quem perconctet? quam inſiſtam viam? Incertus ſum: una hæc ſpes eſt, ubi, ubi eſt, diu celari non poteſt.

O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.

Tædet cottidianarum harum formarum. *hoc eſt, levium, & uſitatarum. eſt quippe huic contrarium, Nova figura oris. papæ.*

Vt illum Dî deæque Senium perdant, qui me hodie remoratus eſt, *à remorâ piſciculo deſumptum.*

Quid tu es triſtis? quidve es alacris?

Neſcio hercle, neque unde eam, neque quorſum eam. Ita prorſum oblitus ſum mei. *Senex ad ætatem refertur: Senium ad convitium.* Lucilius: *At quidem te ſenium, atque inſulſe ſophiſta.* Alacritas *eſt mutatio quædam vultus geſtientis in ſpem aliquam. Hîc proverbialiter ſumitur in hominem perturbatum & incerti vultus. Nam alacris,* L. *Litera pro* D. *poſita, non triſtis, id eſt ἄδακρυς intelligitur.* Floccifacit, *qui aliqua ex parte contemnit & vilipendit. nam floccus particula eſt lanæ, quæ inutilis à vellere divellitur. Qui ne flocci quidem facit. is plane nihili pendit, ac pro nihilo habet.*

In ea re utilitatem ego faciam ut cognoſcas meam:

Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum. *Servi in cellis habitabant. Val. Max. lib. 7. cap. 6.*

Fac ſis nunc promiſſa appareant.

Sive adeo digna res eſt, ubi tu nervos intendas tuos.

Haud ſimilis virgo eſt Virginum noſtrarum: quas matres ſtudent

Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles ſient;

Si qua est habitior paullò pugilem esse ajunt: deducunt cibum.

Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas. *Antiqui Graci quoque virginibus prabebant palaestram ad componenda corpora.* vincto pectore: *castigato ac tenui, & velut vincto.* Habitior: *hinc habitudo corporis.* Bona natura: *h. e. plena, magna, & pinguis.* Cura, *mentis est.* curatio, *medicina.* curatura, *diligentia.* Junceas: *tenues, & pallidas. Antiquitus moris quoque erat, puellas strophâ & Zonâ, seu fasciâ quadam fororiantes mammillas cohibere.*

Nova figura oris. *quod antea dixit: Tadet cottidianarum harum formarum.*

Color verus, corpus solidum, & succi plenum.

Anni? anni? sex decim. Flos ipse.

Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas. mea nihil refert, dum potiar modò.

Id equidem adveniens mecum stomachabar modò.

Nec quenquam esse ego hominem arbitror, cui magis bonæ.

Felicitates omnes adversæ fient. *Corpus solidum: plenum & forte.* id est, *non flaccidum.* Succi plenum: *quia nemo deduxit cibum. nam succus, est humor in corpore, quo abundant bene valentes. Succus propriè quasi fugus: quem sibi ex alimentis sugunt membra.* Sive: *succus est interior pinguedo membrorum.* Mecum stomachabar. *mecum; quia acriorem dolorem sustinet, qui ipse sibi irasci cogitur.* Lucilius, *ad corpus solidum: Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo.* Flos ætatis, *in virgine dicitur, cum primum est matura viro. Sic Catullus virginem* flore viridissimo *dixit. Hinc* deflorare *virginem.* Bonæ felicitates: *Epitheta tribus potissimum de causis nominibus adduntur.* Discretionis: *Phrygia molimur montibus Ida.* Proprietatis: *Terribili impexum seta & dentibus atris.* Ornatus: *Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam.*

Illum

Illum liquet mihi dejerare. Nonne hoc monstri simile est?

Continuò accurrit ad me, incurvus, tremulus, labiis demissis, gemens. Scin' quid ego te volebam? *Dejerare valde jurare est. sic deamare, demirari. Labra sunt superiora; Labia inferiora. Labra tamen proprie de asinis. Majora Labra, unde* Labeones.

Illa sese interea commodum huc advorterat
In hanc nostram Plateam.

Ipsa est: ilicet. Desine: jam conclamatum est, *h. e. transactum ac finitum est. ut conclamata corpora, quæ nihil reliqui habent ad vitæ officia. Aut conclamatum idem quod deploratum. de præficis vide indicem. Quoties causa ab oratoribus finiebatur, & à judice sententia ferri debuerat, semper conclamabatur*, ilicet, *h. e. ire* licet: *signum ergo finis & cognitionis plenæ.*

Quis est tam potens cum tanto munere hoc?
Duras fratris partes prædicas.
Quod donum huic dono contra comparet?
Homo quatietur certè cum dono foràs. *Pulchrè, & plus est quatietur, quàm rejicietur. Propriè canem feriendo foras ejicimus.*

Est ne, ut fertur, forma? at nihil ad nostram hanc.
Summa forma semper conservam domi videbit: conloquetur: aderit unà in unis ædibus.
Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum propter dormiet. *Amatoriè nimis quinque lineas amoris executus est, adeoque diligenter, ut etiam ordinem custodierit.*

Vide, ne nimium calidum hoc sit modò
Isthæc in me cudetur faba. *h. e. in me hoc malum recidet, in me hac vindicabitur culpa: ut laborat solum, in quo cuditur, id est batuitur faba, quum siliquis exuitur tunsa fustibus: ut in areis more rusticorum fit.* Vel quod *quidam malè coctam fabam supra caput coqui, velut ipsi faba irati, saxo comminuunt. tum universum malum & dolor ad coquum pervenit. Horrenda*

renda fuere supplicia servorum apud veteres. extendebantur in tabula ; suspendebantur ; torquebantur ; acetum in nares infundebatur , &c. Graphiis *quoque compungebantur ; oculi calamis* eruebantur ; *dentes illis confringebantur* ; morsu dominarum *ancillæ cruentabantur.*

An id flagitium est , si in domum meretriciam deducar ? & illis crucibus , quæ nos nostramque adolescentiam

Habent despicatam, & quæ nos semper omnibus cruciant modis,

Nunc referam gratiam ?

Nunquam defugiam authoritatem. Sequere, Dii vortant bene. *Non recusabo facere.*

CAP. VI. *Act. III. Sc. I.*

M*Agnas* verò agere gratias , Thais mihi : GN. Ingentes. TH. Ain' tu ? læta est ? GN. non tam ipso quidem , quam abs te datum esse. id verò serio triumphat.

Labore alieno magnam partam gloriam.

Verbis sæpe in se transmovet , qui habet salem. *Sal neutraliter, condimentum est : masculini, sapientia.* Salsitudo non inest illi , *quod in infacetos & insipidos jaciebatur. Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus.* Catull. *nulla est in tam magno corpore mica salis.* h. e. *nihil ridiculum. Salsum igitur erit, quod non erit insulsum , velut quoddam simplex orationis condimentum.*

Quasi ubi illam expueret miseriam ex animo. *miseria pro molestia. expuere inter amuleta habitum antiquitus. nam despuebant comitialem morbum, vide Plaut. in Capt. insputatur morbus.*

Invidere omnes mihi : mordere clanculum : ego non flocci pendere. illi invidere misere.

Imò sic homo est perpaucorum hominum.

Verum unus tamen impense , elephantis quem Indicis

Indicis præfecerat. *impensè & miserè idem significant hic.* hoc *ad dignitatem sumit, & sic pronunciat, ut magna esse præfectura videatur hæc ipsa. Et hoc à stolido milite, sic profertur, tanquam magnum hominem velit esse, qui sibi invideret. Hos, præfectos Elephantis, & olim procuratores ad elephantos Romani vocarunt. Elephantorum præstantissimi sunt Indici.*

Lepus tute es, & pulpamentum quæris. *Lepus pro infamia multa ponitur. vel quod magis à posteriori parte, hoc est, armis, pulpamentum de se præbeat, cum in convivio carpitur appositus. sic* Horat. *Fecundi leporis sapiens sectabitur armos. Vel quod venantur illum, & persectantur canes: quos pro amatoribus intelligimus. Vel quod à Physicis dicatur incerti sexus, ac esse modo mas, modò fœmina.* EUGRAPH. *sensus est: cum tute ipse præda sis, prædam quæris. Erasmus Donati commenta ridet ad hunc locum. Novi & veteres interpretes in explicando hîc dissentiunt.* Gesnerus in Calepino: *Lepus per transl. pro infami, impudico sumitur. sive quod hoc animal posteriore potissimum sui parte, h. e. lumbis & clunibus pulpamentum de se præbeat. sive quod puerorum amatores non secus illos sectentur venenturque atque canes leporem, &c. Verbis tectum, re impudens dictum est.*

Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.

Par pro pari referto; quod eam mordeat.

Iam dudum illi facilè fit quod doleat. *hoc ad illud refertur: quod supra dixit, par pro pari referto, quod eam mordeat.*

Act. III. Sc. 2.

O *Thais* mea, meum suavium, quid agitur? *Quidam putant suavium hîc non accipi pro osculo, sed suavitate. ut apud Plaut: meum mel, spes mea, suavitudo mea.*

Adibo atque adsimulabo, quasi nunc exeam.

Quàm liberali facie, quàm ætate integra!

Fac periculum in Literis, fac in palæstrâ, in Musicis:.

ficis : quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem, ſollertem dabo. *Quondam liberi pueri his artibus erudiebantur. Servi Literas docebantur, ut carius venderentur, & ut dominis eſsent utiliores. Hinc Horat.* 2. Epiſt. 2. *Si quis forte velit puerum tibi vendere, natum Tibure vel* Gabiis &c. Palæſtra *dicta* ἀπὸ τῆς πάλης *à luƈta quod hac ut ſimpliciſsima, ita fuerit antiquiſsima exercitatio. à quâ hac vox ad reliqua exercitia imò , & ſtudia tranſlata. Hic videtur exercitia corporis ſignificare. ſolet enim à Literis & Muſicâ diſtingui. Themiſtocles cum in epulis recuſaſset lyram, habitus eſt indoƈtior.*

Neque pugnas narrat , neque cicatrices ſuas oſtentat.

Tace tu , quem ego eſſe infra infimos omnes puto homines.

Nam qui huic animum aſſentari induxeris,

E flammâ petere te cibum poſſe arbitror. *Epulas in rogum conjicere ſolebant, locumque in quo hæ conſumebantur , culinam vocabant :* Feſtus. *extremæ a. mendicitatis & impudentiæ eſt inde cibum capere.* Donat : *in alio ſenſu. ſcilicet, unde ſine damno aut malo nihil poteſt auferri.*

Aƈt. III. Sc. 3.

Abi præ, curre, ut ſint domi parata.

Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum.

Inde me video ab ea aſtutè labefaƈtarier.

Ait rem divinam feciſſe, & rem ſeriam velle mecum agere.

Iam tum erat ſuſpicio , dolo malo hæc fieri omnia. *Veteres nihil aggrediebantur ſerium , quin diis primum ſacra feciſſent. Et ſacra fiebant horis matutinis præſertim,quod deos tunc adſidere templis putabant. Precationes matutinæ & veſpertinæ ſolemni fiebant carmine ex antiquis ſacris eruto. Sua a. Carmina , ſuæque precationes ſingulis diis erant inſtituta. Principium*

verò

verò precationis à Iano & Vestâ *fieri oportebat* : ut *per eos ad reliquos deos aditus pateret*. Dolus malus, *ad differentiam boni doli*: *qui pro solertia ponebatur*. Virg. *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

O capitulum lepidissimum! Thais maximo te orabat opere.

Act. III. Sc. 4.

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræo,

In hunc diem, ut de symbolis essemus. *vide indicem Plaut.*

Chæream ei rei præfecimus: dati annuli: locus, tempus constitutum est.

Præteriit tempus, quo in loco dictum est, parati nihil est.

Act. III. Sc. 5.

Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium? *pro emittere posuit. vel in gaudium erumpere.* sic Cic. *Erumpere stomachum in aliquem. quasi activum verbum posuit Terent. pro neutrali.*

Interfici cum perpeti me possum, Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.

Chærea, quid est, quod sic gestis? *Gestire proprie est, motu corporis monstrare quid sentias. sed magis brutorum est, quàm hominum.* Virg. *Et studio incassum videas gestire lavandi.*

O festus dies hominis! Amice! salve! *simile hoc Plaut. in Cas. sine, amabo, amari te, meus festus dies*: hoc est, homo mi jucundissime.

Quid ego tibi nunc ejus faciem prædicem atque laudem?

Cum ipsum me noris, quàm elegans formarum spectator siem? *Cui non quid facile placet. qui sc. fastidiosi est judicii.*

Quid multa verba, amare cœpi.

In interiore parte ut maneam solus cum sola.

Annuo,

. Annuo, terram intuens modeſte. *Pudoris hic ſignum & verecundia.* Virg. *vultum demiſſa profatur.*

Dum apparatur, virgo in conclavi ſedet, ſuſpectans tabulam quandam pictam, ubi inerat pictura hæc:

Iovem quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum.

Egomet quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat

Iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi.

Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque in alienas tegulas

Veniſſe clanculum per impluvium, fucum factum mulieri.

At quem Deum? qui templa cæli ſumma concutit.

Ego homuncio hoc non facerem? *conclave, eſt ſeparatior locus in interioribus tectis: vel, quod intra eum loca multa & cubicula clauſa ſint, adhærentia triclinio.* Suſpectans tabulam: *inhoneſtis picturis animi ad nequitiam incitantur: viſu enim maximè animus commovetur. igitur meritò Aegyptios commendat Plato, quod pictorum licentiam cohibuerint; & magni intereſſe judicarint, ut juvenes à teneris annis, honeſtis picturis & honeſtis cantibus aſſueſcerent. Nota hic imbrem aureum: quem meretrices inhiare ſolent. cæterum hæc pictura magis improbas meretricum aures afficit, quam piè Chriſtianas.* Fucum factum mulieri: *id eſt, ut fucum faceret, h. e. inſidias & fraudem.* Fucum *h. e. aſtutam fraudem. Et mulier pro fœminâ ponitur.* Impluvium: *locus eſt ſine tecto in ædibus, quo impluere imber ad domum poſſit.* Fucum factum: *factum hic ſupinum eſt, non participium. Fucus, herba genus, quam Græci φῦκον vocant, tingendis lanis utile. unde ſimpliciter pro colore reperire licet, & fucare pro colorare.* Horat. in od. *ſtercore fucatus crocodili.*

codili. Idem : *nec amissos colores Lana refert medicata fuco. sic* Plaut. *de vitiis mulierum : Vitia corporis fuco occulunt. Quin &* offucias *vocant inania quadam rerum simulachra, qua veluti prastigiis quibusdam, oculis intuentium imponunt. Graci simplici verbo* φιαρίζειν *vocant, &* φένακα *fuci artificem.*

Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamus. *Casaub : lecti veterum non erant vulgo ut nostri pannis clausi. ideo moris fuit ditioribus, quando meridianum somnum captarent, adstans aliquis ventulum faceret : simul refrigerandi causâ, & muscarum abigendarum causâ.* Claudian. *Et cum se rapido fessam projecerat astu Patritius roseis pavonum ventilat alis. Erant quoque flabella elegantiorum.* Propert. *Et modò pavonis cauda flabella superba. Vide plura hoc loco Terent. Edit. Hackiana Lugd. Batt. pag.* 215.

Foras simul omnes proruunt se. abeunt lavatum : perstrepunt.

Interea somnus virginem opprimit : ego limis specto sic per flabellum clanculum. simul alia circumspecto, Satin' explorata sint.

Pessulum ostio obdo. *Limis, si nominativus singularis est, transversus significat : si septimus pluralis, deest,* oculis. *nam* limis, *est transversus : unde* limen *dicitur quoque, quod ingredientibus exeuntibusque transversum sit.* Donat. *Quando igitur homines dissimulant se quid videre quod vident, & non rectâ facie, sed transversâ,* limis *dicuntur* adspicere. Limi oculi propriè sunt amatorum, Pessulus: A Græc. πάσσαλος, *Latinum* Pessulus : *quo obducto fores intus claudebantur. De hac plura vide Salmas. hoc loco.*

An ego occasionem mihi ostentatam tantam, tam brevem, tam optatam, tam insperatam

Amitterem ? *Perlongè est ; sed tantò ocyus properemus, muta vestem.*

Ibi proximum est ubi mutes. Consilium volo capere una tecum.

CAP.

CAP. VII. *Act. IV. Sc.* I.

NE quam ille hodie insanus turbam faciat, aut vim Thaidi. Id faciebat retinendi illius causâ. ad eam rem tempus non erat.

In convivium illam? Inde ad jurgium. interea aurum sibi clam mulier demit. *Græci olim prudenter muliebrem sexum à conviviis amoverunt. Fieri a. vix potest, quin vacuo & soluto animo jocantibus nonnunquam parum verecundum aliquid excidat. Meretrix, quæ aurum gestabat, esse publica debebat. vide plura hoc loco* Variorum.

Act. IV. Sc. 2.

Cæpi egomet mecum inter vias aliam rem ex alia cogitare.

Malè verò me habens; ubi ad ipsum veni diverticulum, constiti. *Diverticulum nonnunquam mansionem significat; sed temporariam, ubi declinanda aëris intemperiæ gratia: vel fessus ab itinere, pernoctationis causâ, viator subsistit. interdum significat locum, ubi incipit semita, quæ te digredientem à publicâ via in alicujus villam deducit.*

Si non tangendi copia est, ehone videndi quidem erit?

Si illud non licet, saltem hoc licebit: certe extrema linea amare haud nihil est. *Quinque lineæ sunt amorum. visus, colloquium, tactio, osculum, concubitus.* Donat. *sed* Salmas. *hoc modo: Nugæ sunt omnes, quæ hactenus prodiere interpretationes. Certe extrema linea amare haud nihil est. quasi diceret: Est aliquid amanti eam videre, quam non potest tangere. Igitur extrema linea amare dicitur, qui de longinquo amat. metaphora ducta ab extrema linea stadii, quia longinqua est, ac longè remota. Sed prima propior & interior. Hinc* primas metas *etiam* intimas *dixere, & partem circi intimam, in qua prima meta. contrario igitur sensu* prima linea amare, h. e. *interiore amore frui.*

Act. IV.

Act. IV. Sc. 3.

Hoccine tam audax facinus facere esse ausum?

Postquam ludificatus est virginem, vestem omnem miserè discidit: tum ipsam capillo conscidit.

Vt ego unguibus facilè illi in oculos involem venefico!

Nescio, quid profectò absente nobis turbatum est domi.

I hinc quò dignus cum donis tuis tam lepidis.

Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit!

Virginem, quam Heræ dono dederat miles, vitiavit.

Perii. PH. temulenta es. Py. utinam! sic sint, qui mihi malè volunt. Quid isthuc nam monstri facis? *Ebria sc. à temeto. quo nomine antiqui grave vinum appellabant. eo quod tentaret mentem. hoc est, labefactaret.* Virg. *tenuisque lagaos Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.*

Obsecro tam infandum facinus. Py. At pol ego amatores mulierum esse audieram eos maximos: sed nihil potesse. *ut sc. voluntatis rei sint, non facti.*

Verum miseræ non in mentem venerat: nam illam aliquò conclusissem, neque illi commisissem virginem.

Act. IV. Sc. 4.

Exi foras, sceleste! etiam restitas? Fugitive! prodi male conciliate.

Vide, ut os sibi distorsit carnifex! Quid huc reditio est? quid vestis mutatio? *servi solent sua malignitate dominos quasi excarnificare* ac *cruciare.* Epulas carnifices *appellat Claudianus, qua valde stomachum lædunt. Dicitur etiam carnifex qui multos necavit. Cic. appellat* sicarium. *vulgus* homicidam.

Ita

Ita jam ornarat fugam. Hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit.

Nec comparandus hic quidem ad illum est: ille erat honesta facie ac liberali. Ita visus

Dudum, quia varia veste exornatus fuit:

Nunc tibi videtur fœdus, quia illam non habet. *multum habet momenti vestium cultus. Indicat hoc Homerus, cum Nausicaam puellam ita de Vlysse loquentem facit:*

Ante videbatur specie fœdissimus esse;
Nunc divis similis, magnus quos pascit Olympus.

Hic est vietus, vetus, veternosus, senex, colore mustellino. *Vietus: h. e. mollis, flaccidusque & flexibilis corpore. unde &* vites, vimina, *&* vietores, *dicuntur. Et* Viere, *religare dicitur. quia* vietis virgis *magis religare possumus quidlibet.* Lucretius *aranea dixit vietam vestem, hoc est, putri mollitia praditam.* veternosus *h. e. morbo vetere confectus: qui veternus dicitur. quales sunt, qui hydropem patiuntur.* Varia veste: Varia vestis, & paragoda & colorea *est eadem. & ea, quam Græci ποικίλην vocant. qua sc. variis colorib. picta est. aut de variantibus liciis in figuras animalium effigiata, aut limbis picturatis prætexta.* Versicolor, *verò propriè dicitur, qua colorem subinde mutat, & alio modo refulget cum adspicitur, alio cum suspicitur, atque etiam alio, cum despicitur, & colores alternat. Vide plura hoc loco Salmas.*

Colore mustellino: *varius hic sensus authorum.* Donatus *stellionem ait, animal quod lacerta non dissimile, maculoso corio. Tali colore Eunuchos ait, quia plerique lentiginosi sunt. colore quasi sublivido.* Salmas. *vide hoc loco.*

Monstrum Hominis! *h. e. Eunuchum nec marem, nec fæminam esse. sic* senem mulierem *dixit.*

Fossumne ego hodie ex te exsculpere verum?

Alio pacto honesto quo modo hinc abeam, nescio.

Tu me hic etiam nebulo ludificabere?

Par-

Parmenonis tam scio esse hanc technam, quàm me vivere.

Inveniam pol hodie, parem ubi referam gratiam.

Hac re, & te omni turba evolves.

Act. IV. Sc. 5.

Atat! data hercle verba mihi sunt. vicit vinum, quod bibi. *h. e. fraus facta.*

Ac dum accubabam, quam videbar mihi esse pulchrè sobrius!

Postquam surrexi, neque pes, neque mens satis suum officium facit.

Quanto nunc formosior videre mihi, quàm dudum! Certe tu quidem pol & multo hilarior.

Sine Cerere & Libero friget Venus. *Pedes captat primò luctator dolosus: Plaut. de vino.* Aristophanes *vinum lac Veneris appellat.* Friget, *h. e. non adhaeret. translatum hoc verbum à picatione vasorum: quae frigida picem non tenent. De ritu accumbendi vide Plaut. in indice. vinum colorem formosiorem quod faciat, in Anacharside liquet: cui cum quidam ex conviviis objiceret, quod uxorem admodum deformem duxisset. Sane, inquit; sed heus tu puer, vinum funde meracius, ut illam formosam efficiam.* Sine Cerere: *Euripedes hoc verbotenus pene: Mortua res est Venus sine Baccho & Cerere.* Frigere *verbum, sumitur pro languere; remitti. Donatum ridet Erasmus, quando nimis affectatè metaphoram à picatis vasis sumit. Poëta* Vulcanum *fingunt* Veneris *maritum, quod Venereum officium non nisi calore consistat. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur.*

Lites sunt inter eos factae, maximae.

Act. IV. Sc. 6.

Atqui si illam digito attigerit uno, oculi illico effodi-

effodientur. *feminea mina. sic & alibi : ut ego unguibus facile illi in oculos involem venefico. Hac enim armatura muliebris.* Quia oculi sunt amoris illices. *Poëta quoque fingunt excubantem in oculis Cupidinem sua tela mittere.*

Viden' tu illum , Thais? Py. ubi sita ? in risco. odiosa cessas ?

Sed tu , quod cavere possis , stultum admittere est. *Riscum cistella genus de vimine factum & tectum corio.* Donatus , *cistam pelle contectam interpretatur. alii illud, in quo vestimenta reponuntur.*

Tu abi, atque obsera ostium intus.dum ego hinc transcurro ad forum. *de hisce longum & multis agit CL. Salmas. hoc loco.*

Volo ego adesse hîc advocatos in turba hac.

Si vim faciet, in jus ducito Hominem.

Fac animo hæc ut præsenti dicas. Attolle pallium. *est comœdia hac palliata. pallium erat extima vestis Græcorum , & quadrata ; ut toga extima vestis Romanorum , & teres : unde toga, pallium teres Tertulliano vocatur. quamvis pallia & palliola varia operimenta capitis mulierum appellentur. Viris quoque pallium tegumentum capitis vocatum sape.*

Act. IV. Sc. 7.

Hanccine ego ut contumeliam tam insignem in me accipiám, Gnatho ? Mori me satius est.

Quid ? ignave ? peniculone pugnare , qui isthuc huc portes , cogitas ? ubi centurio est , & manipulus furum ? *Manipulus à manu fit , & proprie significat manualem fasciculum. sic manipulos fani vocat* Plinius*: quos nostri botellos.* Ericius. *Quatuor manipulis præfuisse centurionem proditum est. igitur ,* manipulus, *exigua est militis manus.* Legio , *ut est autor Varro continet duodecies mille & quingentos milites, & in decem cohortes dividitur.* Cohors, *in quinquaginta manipulos. Singuli verò manipuli viginti*

quinque

quinque hominibus constant. Donatus *ex eo appellari manipulum scribit, quod sibi sertum vel coronam ex manipulo herbæ, vel hujusmodi conficiebant: quem pro signo sequebantur. Et,* Servius *ait, maniplos dici signiferos, quod sub uno signo pugnaturi, manipulo herbæ alligato, pro signo uterentur. Virg.* Convocat armatos extemplo ad signa maniplos. *Et Ovid.* Pertica suspensos portabat longa maniplos. *plura hoc loco vide in Edit. Hackianâ.* Peniculo: *Vide Indicem.*

Hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo. *sumptum à bellis, nam post principia tutissimus est locus. in prima enim acie stabant hastati: in secunda principes: hos sequebantur scutati, hos Triarii, ut indicat Livius. Principia milites ipsi dicebantur.*

Illuc est sapere! ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco.

Idem hoc jam Pyrrhus factitavit. *vide hoc loco variorum explicat.*

Fundam tibi nunc nimis vellem dari, ut tu illos procul hinc ex occulto cæderes: facerent fugam.

Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet.

Dii vestram fidem, quanti est sapere! nunquam accedo, quin abs te abeam doctior. *Isidoro funda dicta, quod ex eâ fundantur lapides. Fiebant autem vel ex cannabi, aut lino, vel è pilis, vel è nervis. nec aliud est, quàm funiculus in medio latior ovali formâ, & paulatim in strictius abit.*

Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? tuam autem Furcifer?

Faciam, ut hujus loci, dieique, meique semper memineris.

Diminuam ego caput tuum hodie, nisi abis. *Peccans servus* furcifer *dictus. maximè enim peccanti servo inferebatur hæc pœna, ut is plaustri lignum, cui temo affigitur, spectante viciniâ, ferens circumageretur.*

Quod ubi factum erat, infidus à domesticis & vicinis existimatus, furcifer appellabatur. Diminuam caput: *h. e. caput perdam. quod fiebat verè vel imaginariè. Quare minimâ capitis diminutione usufructus exstinguebatur, qui non nisi morte perimi solet.* Meamne tangam? *Cives liberique homines in alterius dominio esse non possunt, & qui pro servis habent, lege Flaviâ de Plagiariis puniuntur.* Plagiarius *e. est, qui liberum hominem pro servo habet.*

Os durum! Miles, nunc adeò edico tibi ne vim facias ullam in illam. Hic furti se alligat.

Novi ingenium mulierum: Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultrò.

Iam dudum animus est in patinis. *Furti te alligat,* ait Donatus, *id est, reum te efficit fraudis.* Furtum *pro omni fraude & dolo sæpe accipitur.* Alligat: *id est, adstringit, illaqueat, accusat.* Salmasius: *Quod rei ligantur propriè, & innocentes absolvuntur.* Virg. *Furta paro bellis. hoc est, insidias.*

CAP. VIII. *Act. V. Sc. I.*

PErgin', scelesta, mecum perplexè loqui?
Scio; nescio; abiit; audivi; ego non adfui.
Non tu istuc mihi dictura apertè es, quicquid est?
Ostendit, quid perplexè dixerit, & stomachum savientis expressit.
Virgo conscissa veste lachrymans obticet.
Infelix! siquidem tu isthæc vera prædicas.
Num id lacrymat virgo?
Quid ais sacrilega? Istucine interminata sum hinc abiens tibi?
Scelesta, Lupo Ovem commisisti, dispudet. *sic Plaut: in Pseud. Ut mavelis lupos apud oves relinquere, quàm hos domi custodes.* Et Cic. de Antonio: *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum.*
Sic mihi data esse verba. quid illic hominis est?

Vnam

Vnam hanc noxiam omitte: si aliam admisero unquam, occidito.

Act. V. Sc. 2.

Mater & pater, quasi dedita opera domi erant.
An paulum hoc esse tibi videtur, Virginem
Vitiare civem? CH. Conservam esse credidi.
Conservam? vix me contineo, quin involem in
Capillum: monstrum, etiam ultro derisum advenit.
Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque ædepol, quid nunc consilii capiam, scio:
Ita conturbasti mihi Rationes omnes.
Dehinc spero æternam inter nos gratiam fore. Thais.
Sæpe ex hujusmodi re quapiam, & malo principio, magna familiaritas conflata est. quid si hoc quisquam voluit deus?
Vnum hoc scito: contumeliæ non me fecisse causâ, sed amoris.
Non adeo inhumano ingenio sum, Chærea.
Neque ita imperita, ut, quid amor valeat, nesciam.
Nunc ego te in hac re mihi oro ut adjutrix sias.
Ego me tuæ commendo & committo fidei.
Te mihi patronam capio, Thais. *Apud Rom. à plebe homines, instituto Romuli, quos vellent, è patritiis patronos capiebant, quorum præsidio tuti essent: neque fas erat à patrono clientem deseri. vel, quod tanquam novus libertus ejus sit, cujus se paullo ante servum gesserat.*
Visne domi opperiamur potius, quam hîc ante ostium. Dabit hîc aliquam pugnam denuò.

Act. V. Sc. 3.

Qui referam illi Sacrilego gratiam, qui hunc ſuppoſuit nobis?

Move verò ocyus te, nutrix. Video, ſed nihil promoves. *Sic Virg. Illa gradum celerans ſtudio properabat anili.*

Virum bonum eccum Parmenonem incedere

Video. Vide ut otioſus it, ſi Dis placet! *novitas inceſſus indicatur.* Si Dis placet: *proprium eſt exclamantis propter indignitatem rei alicujus.*

Act. V. Sc. 4.

Reviſo quidnam Chærea hìc rerum gerat.

Quod ſi aſtu rem tractavit, Dii voſtram fidem!

Virginem, quàm amabat, eam confeci ſine moleſtiâ,

Sine ſumptu, ſine diſpendio.

Id verò eſt, quod ego mihi puto palmarium,

Me reperiſſe, quo modo Adoleſcentulus

Meretricum ingenia & mores poſſet noſcere:

Maturè ut cum cognorit, perpetuò oderit.

Quæ dum foris ſunt, nihil videtur mundius,

Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans.

Quæ cum amatore ſuo quum cænant, ligurriunt.

Harum videre ingluviem, ſordes, inopiam:

Quam inhoneſtæ ſolæ ſint domi, atque avidæ cibi:

Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vorent:

Noſſe omnia hæc, ſalus eſt adoleſcentulis. *Palmarium facinus pro inſigni, & quod triumpho dignum, vel, quod* in palma *eſt, hoc eſt, in laude, ut Priſcianus inquit.*

Ego pol pro iſtis dictis & factis, ſcelus,

Vlciſcar

Vlciscar: ut ne impune in nos illuseris.

Colligavit primum eum miseris modis.

'Nunc minatur porro, sese id, quod Mœchis solet. *Pœna adulterorum varia fuit. Apud Locrenses illis alter oculus effodiebatur. Lacedæmoniis lex in illos non fuit. adeo rarum apud hos tam grave scelus. Atheniensibus lege Draconis Capitale erat in adulterio deprehendi.* Hujus verba hæc: *si quis adulterum in ipsa turpitudine deprehenderit, de eo, quod libuerit, statuito.*

Dicam hercle, etsi mihi magnum malum scio paratum.

Act. V. Sc. 5.

Quem præstolare, Parmeno, hîc ante ostium?

Perii, lingua hæret metu.

Quidquid hujus factum est, culpâ non factum est mea.

Aliud ex alio malum. Me impulsore hoc non facit.

Act. V. Sc. 6.

Defessa jam sum misera te ridendo.

Nunquam pol hominem stultiorem vidi, neque videbo.

Non possum satis narrare, quos ludos præbueris intus.

Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas flagitiis. *h. e. vapulabis.* Horat. *In scalis latuit, metuens pendentis habenæ. Romani servos suos pendentes in scalis flagellabant.* Nobilitas: *hoc est, notum & conspicuum reddis. sic* Cicero *dixit: Cujus nobilitata est crudelitas.*

Hic pro illo munere tibi honos est habitus.

Egomet meo Indicio, miser, quasi sorex, hodie perii. *proprium soricum est, vel studere clarius, quàm mures, vel strepere magis, quum obrodunt frivola. ad quam vocem multi se intendentes, transfigunt eos.*

Act. V. Sc. 7.

Egone ut Thaidi me dedam, & faciam quod jubet?

Minus, quàm Hercules servivit Omphale. *Ferunt Lydos voluptatibus addictissimos fuisse, adeo ut palam in viridariis libidines exercerent. Apud illos regnavit* Omphale, *quæ omnes illorum uxores servorum libidini exposuit, in loco quem postea* mulierum certamen *vocitarunt. Ad eam cum venisset Hercules, eo prolapsus amoris ineptia dicitur, ut leonis exuvium, clavamque & arma ipsi gestanda concederet: ipse verò inter Virgines neret. unde & cognominatus* est, Crocotophoros. *Erat e. Crocoton genus vestimenti muliebris admodum delicati. Herculem e. quem mundi magnitudo vincere non potuit, libido compressit.*

Vtinam! tibi commitigari videam sandalio caput. *Sandalium est calceamenti genus, quo nunc utuntur Episcopi, cum in sacris operantur:* Vide Indicem.

Act. V. Sc. 8.

Ecquis me vivit hodie fortunatior? nemo hercle quisquam.

Nam in me planè Dii potestatem suam omnem ostendére, cui tam subitò tot contigerint commoda.

O Parmeno mi, ô mearum voluptatum omnium Inventor, inceptor, perfector!

Meo Fratri gaudeo amorem esse omnem in tranquillo.

Thais Patri se commendavit in clientelam & fidem. *Benè* in tranquillo, *quia amica mobilitas mari & tempestatibus comparatur. sic Horatius.*

Simplex munditiis, heu quoties fidem
Mutatosque deos flebit: & aspera
Nigris aquora ventis
Emirabitur insolens,
Qui te fruitur credulus aurea.

Sic in portu navigo *dictum in Andria.*

An

An Fortunam collaudem, quæ gubernatrix fuit:

Quæ tot res, tantas, tam opportunè in unum conclusit diem?

, O Iuppiter, serva obsecro hæc nobis bona. Dii vestram fidem! incredibilia.

Ita nostræ est omni fautrix familiæ.

Quodvis donum & præmium à me optato: id optatum feres.

Postulo, ut mihi tua domus, Te præsente absente, pateat. Do fidem futurum: *h. e. confirmo, spondeo.*

Prius audite paucis: quod quum dixero, si placuerit facitote.

Ad omnia hæc magis opportunus, nec magis ex usu tuo nemo est.

Fatuus est, insulsus, tardus. stertit noctesque & dies.

Vnum etiam oro, ut me in vestrum gregem recipiatis.

Satis diu hoc Saxum volvo. *Proverb. in eos, qui inexplicabili labore afflicti sunt. Velut Sisyphus apud inferos.*

Hunc comedendum & deridendum vobis propino. *Absurdè videtur dictum* propinare comedendum. *Interea dabitur Parasitis hæc festivitas: qui in cibo & potu salutem reponunt. Fortasse* propono *scribi debet.*

Nunquam etiam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum.

Dixine ego in hoc inesse vobis Atticam eloquentiam? *h. e. vera & germana. Excultior enim eloquentia Atticà dicta fuit. Et summi Oratores Attici dicti.*

FINIS EUNUCHI.

ELECTA TERENTIANA

Ex

HEAUTONTIMOR.

CAP. IX.

PROLOGUS.

HEautontimorumenos, ἑαυτὸν τιμωρέμενος, *nomen Fabulæ hujus, quod se ipsum excruciantem interpretamur.* τιμωρῦμαι *idem est, quod sævio. Inducitur senex Menedemus senex se ipsum excrucians, quod filium Cliniam duritia sua in militiam proficisci compulerit.*

Omnes vos oratos volo, ne plus iniquum possit, quam æquum oratio.

Facite æqui sitis: date crescendi copiam novarum, qui spectandi faciunt copiam sine vitiis. Cur insano serviat? *indecorum est, si populus servo in via decedat.*

Qui nuper fecit Servo currenti in via decesse populum. *servilis ingenii character est, per vias currere.* Plaut. *Liberos homines per urbem modico magis est gradu ire; servile esse duco, festinantem currere.* Hinc Severi Imp. dictum: *ingenuum currere nisi in sacro certamine non debere.*

Adeste æquo animo: date potestatem mihi Statariam agere, ut liceat per silentium. *Quidam* statariam *genus esse putant comœdiæ: alii in quibus stantes; unde hanc statariam nominant. Videtur id eo dixisse,* statariam agere ut liceat per silentium, *ut perpetuo & stabiliter agatur hac comœdia, neque populi adversis suffragiis foras pellatur. quod sequentia videntur*

tur satis innuere: Ne semper servus currens, iratus senex, &c. *Tum etiam agitur fabula.* ait Calphurn. *cum recitatur; stare, cum placet. Est quoque Comœdia, quæ dicitur* Stataria, *vel* Motoria, *à statariis quietisque actibus, vel motoriis turbulentisque.*

In hac est pura oratio: experimini in utramque partem, ingenium quid possit meum.

Si nunquam avarè pretium statui arti meæ.

Et eum esse quæstum in animum induxi maximum,

Quàm maximè servire vestris commodis.

Act. I. Sc. I.

Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,

Quod ego in propinquâ parte amicitiæ puto,

Facit, ut te audacter moneam & familiariter. *Vicinitas agrorum & domorum, quasi quædam pars amicitiæ est. Igitur* Hesiodus *quoque vicinos potissimum ad convivium vocandos monet.* Erasmus: *Fit enim vulgo, ut simul atque è conspectu necessariorum sejuncti sumus, nescio quomodo obrepat oblivio quadam familiarium. qui enim semotus ab oculis, ab animo quoque semovetur.*

Proinde quasi nemo siet, ita tute attentè illorum officia fungere.

Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi domum revortor, quin te in fundo conspicer

Fodere, aut arare, aut aliquid ferre. denique

Nullum remittis tempus: neque te respicis.

Quod in opere faciundo operæ consumis tuæ,

Si sumas in illis exercendis, plus agas.

Chreme, tantumne est abs re tua otii tibi,

Aliena ut cures, eaque, nihil quæ ad te attinent?

Homo sum: Humani nihil à me alienum puto.

Non est, te ut deterream. Mihi sic est usus: tibi ut opus facto est, face.

An cuiquam est usus homini, se ut cruciet?

Ne lacryma; atque istuc, quicquid est, fac me ut sciam:

Ne retice, ne verere, crede inquam mihi,

Aut consolando, aut consilio, aut re juvero. *Reticemus dolores, Obticemus pudenda, Tacemus secreta.*

Istos rastros interea tamen appone: ne labora. *Apponere positum est, pro deponere. quod testatur in Plaut. & Terent. fieri* Salmas. *quorum ille*, onus appone *dixit: Hic autem*, rastros oppone. Fabricius: *Apponere est non plane deponere, quasi opere aliquo perfuncti faciunt: sed apud se ponere, quasi idem statim sis rursus aggressurus.*

Filium unicum adolescentulum habeo, ah, quid dixi habere me? imo habui, Chreme;

Nunc habeam nec ne, incertum est.

Ejus filiam ille amare cepit perditè,

Prope jam ut pro uxore haberet: hæc clam me omnia.

Vbi rem rescivi, cœpi non humanitus,

Neque ut animum decuit ægrotum adolescentuli,

Tractare; sed vi, & viâ pervulgata patrum.

Quotidie accusabam; hem, tibine hæc diutius

Licere speras facere me vivo patre

Amicam ut habeas prope jam in uxoris loco?

Erras si id credis, & me ignoras, Clinia.

Ego te meum esse dici tantisper volo,

Dum, quod te dignum est, facies: sed si id non facis,

Ego, quod me in te sit facere dignum, invenero.

Ego isthuc ætatis, non amori operam dabam.

Sed in Asiam hinc abii propter pauperiem: atque ibi

Simul rem, & gloriam armis belli repperi,

Postremò adeo res rediit, &c.

Domum revortor mæstus, atque animo ferè

Ter-

Perturbato, atque incerto præ ægritudine:
Adsido, accurrunt servi, soccos detrahunt:
Video alios festinare, lectos sternere,
Cœnam apparare: pro se quisque sedulo
Faciebat, quo illam mihi lenirent miseriam.
Vbi video hæc, cœpi cogitare: Hem: tot mea
Solius solliciti sunt causa, ut me unum expleant?
Ancillæ tot me vestiant? sumptus domi
Tantos ego solus faciam? &c.
Quod illa ætas magis ad hæc utenda idonea est,
Eum ego hinc ejeci miserum injustitiâ meâ.
Malo quidem me dignum quovis deputem,
Si id faciam. nam usque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patriâ ob meas injurias,
Interea usque illi de me supplicium dabo:
Laborans, quærens, parcens, illi serviens.
Id facio prorsus: nihil relinquo in ædibus,
Nec vas, nec vestimentum: corrasi omnia,
Ancillas, servos, nisi eos, qui opere rustico
Faciundo facilè sumptum exercent suum. *Corrasi omnia, hoc est, collegi universa, quæ venderem.* Ancillæ: *hæ vocabantur veteribus* Vestiplicæ. *Etiam* Vestispicæ, *quod vestem spicerent.* Sumptum exercent: *h. e. in sumptu exercentur. sic apud Virg.* ferrum exercebant, *pro, in ferri fabrica exercebantur. Ferrum exercere igitur est, ferrum subigere, & erudire, multisque ictibus tundere, ac tanquam miserum habere.* In Georgicis: *Exercet crebrò tellurem, atque imperat arvis. Tellurem exercere, non est, exerceri in colendâ terrâ, sed id, quod continuò addit,* imperare arvis. Vide plura hoc loco.

Inscripsi ilico ædes mercede: quasi talenta ad quindecim collegi. agrum hunc mercatus sum: hic me exerceo. *ad laborem sc. non ad voluptates exercendas.*

Ingenio te esse in liberos leni puto,

Et illum obsequentem, si quis recte aut commodè

Tractaret. Verum, nec tu illum satis noveras,

Nec te ille. hocque fit, ubi non verè vivitur.

Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes,

Nec tibi ille est credere, quæ est æquum Patri.

Quanti penderes, h. e. quanti faceres. vera illa est unicaque ratio liberos educandi. Tractum ab antiquis, qui ante signatam pecuniam as & argentum pendebant.

Dionysia hîc sunt, hodie apud me sis, volo.

Non possum. Cur non? Quæso, tandem aliquantulum

Tibi parce. *Dionysia sunt apud Athenienses Liberi Patris sacra. Aliàs* Bacchanalia *dicta. Hi ludi in honore Bacchi instituti, propter victoriam ex India deportatam.* Liberalia *quoque appellata. Vide plura hoc loco. De Orgiis consule indices.*

Lacrymas excussit mihi, Miseretque me ejus.

sed, ut diei tempus est, monere oportet me hunc

vicinum Phaniam, ad cœnam ut veniat.

Ibo, visam si domi est. nihil opus fuit monitore.

Iam dudum domi præsto apud me esse ajunt. Egomet convivas moror. *Monitores propriè sunt* Vocatores, *qui ad cœnas vocabant. plura vide hoc loco, Ammiani & Apulei.* Convivas moror: *Antiquitus parum urbanum habebatur tardius ad convivium venire vocatum. unde Plutarch. in Sympofiacis ostendit olim cognomina quædam proverbiali joco jactata fuisse in eos, & vocatos κωλυσιδείπνους, ζοφοδόρπιδας, quod impedimento essent, ne aliis cœnare liceret.* Vide plura.

Act. 1. Sc. 2.

Proin tu sollicitudinem istam falsam, quæ te excruciat, mittas.

Nam

Nam mihi magna cum eo jam inde usque à Pueritia fuit semper familiaritas.

Voluptatem magnam nuncias.

Vt hanc lætitiam nec opinanti primus ei objicerem domi!

Propter eam hæc turba atque abitio evenit.

Quod reliqui est, quin habeat, quæ quidem in homine dicuntur Bona. *Insperatum gaudium semper solet esse majus: sicut & dolor si non opinanti objicitur. quod exempla docent. sic ignem quoque exstingui videmus, aut aqua copiósioris affusione, aut nimia flatus vehementia. Vide exempla apud Livium dec. 3. Lib. 2. Florum in Epitome. Val. Max. lib. 9. cap. 12.*

Atque hæc perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:

Qui uti scit, ei bona: illi, qui non utitur rectè, mala.

Nam quem ferret, si parentem non ferret suum?

Hunccine erat æquum ex illius more, an illum ex hujus vivere?

Et quod illum insimulat durum, id non est, nam parentum injuriæ,

Vnius modi sunt fermè: paullo qui est homo tolerabilis,

Scortari crebrò nolunt, nolunt crebro convivarier.

Præbent exiguè sumptum; atque hæc sunt tamen ad virtutem omnia.

Verùm ubi animus semel se cupiditate devinxit malâ,

Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia.

Scitum est: Periculum ex aliis facere, tibi quod ex usu siet. *injuria hîc pro severitate ponitur.. sic antea*: matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paternâ injuriâ solent esse. *Antiquus codex melius habet, & legit*, Hujusmodi.

CAP.

CAP. X. *Act. II. Sc. I.*

Q*Vàm* iniqui sunt Patres in omnes adolescentes judices,

Qui æquum esse censent, nos jam à pueris ilico nasci senes:

Neque illarum affines rerum esse, quas fert adolescentia.

Ex suâ libidine moderantur, nunc quæ est, non quæ olim fuit.

Mihi si unquam filius erit, næ ille facile me utetur patre.

Nam & cognoscendi & ignoscendi dabitur peccatis locus.

Perii. Is mihi, ubi adbibit plus paullo, sua quæ narrat facinora!

Nunc ait, Periculum ex aliis facito, tibi quod ex usu fiet.

Astutus: næ ille haud scit quàm mihi nunc surdo narret fabulam.

Nam hic Clinia, etsi is quoque suarum rerum satagit, attamen

Habet bene ac pudice eductam, ignaram artis meretriciæ.

Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa nobilis.

Tum, quod dem ei, rectè est. nam nihil esse mihi, relligio est, dicere.

Act. II. Sc. 2.

Si mihi secundæ res de amore meo essent, jam dudum scio, venissent.

Concurrunt multæ opiniones, quæ mihi animum exangeant:

Occasio, locus, ætas, mater, cujus sub imperio est, mala:

Cui nihil præter pretium jam dulce est. *observa hic*

hic ingenium amantium, qui suspicaces sunt, & impatientissimi, quippe quibus omnis celeritas in mora est, adeo ut neque remi, neque venti satisfaciant. Plin. Iun. Epist. 32. lib. 3. Ignosce, quia votis suis amor plerunque præcurrit. *Plaut: spissumistud amanti est verbum, veniet, nisi venit Amatori cupienti nihil satis unquam festinatur.* Exangeant. *apud vet. prima & tertia conjug. in multis iisdem verbis erant. Nunc* ango *&* exango.

Faciam: sed nescio, quid profectò mihi animus præsagit mali.

Pergin' istuc prius dijudicare, quam scis, quid veri fiet?

Non cogitas hinc longulè esse? & nosti mores mulierum:

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est. *Cic. de divinat. Sagire, sentire acutè est. ex quo saga anus; qua multa scire volunt: Et sagaces dicti canes. Præsagire igitur est futura ante sentire.* Dum moliuntur: *Plaut. mulier profectò nata ex ipsa morâ est.* Respira: *à viatorib. metaph. desumpta. Est hîc idem, quod animum recipere.*

Act. II. Sc. 3.

Verum interea dum sermones cædimus.

Væ misero mihi! quantâ de spe decidi.

Iupiter, ubinam est fides?

Dum ego propter te errans patriâ careo demens.
cadere sermones dicuntur, qui plurimum & frequenter loquuntur. à Græcis, qui dicunt κόπτειν λόγους, aut κόπτειν ῥήματα.

Nam & vita est eadem, & animus te erga idem ac fuit:

Quantum ex ipsâ re conjecturam cepimus.

Nam mihi nunc nihil rerum omnium est, quod malim, quàm me hoc falsò suspicarier.

Dromo pultat fores, Anus quædam prodit;

Hæc

Hæc ubi aperuit ostium, continuò hic se conjecit intrò. ego consequor

Anus foribus obdit pessulum : ad lanam redit.

Texentem telam studiosè ipsam offendimus.

Mediocriter vestitam veste lugubri,

Ejus Anuis causa, opinor, quæ erat mortua. *Apud antiquos regulare, ut nominibus quarta declin. sit genitivus in* nis. *sic Exercituis, Fructuis, Partuis, &c.*

Capillus passus, prolixus, circum caput

Rejectus negligenter.

Ne me in lætitiam frustra conjicias.

Anus subtemen nebat.

Sine auro tum ornatam, ita uti quæ ornantur sibi :

Nullâ malâ re esse expolitam muliebri. *Intellige hic pigmenta & offucias, quibus se inungere solent mulieres. Colorem de pixide quando mutuantur, ut Zeno ait.* Subtemen nebat : Salmasius : *servatum Poëta decorum; nam anus ob visus imbecillitatem vix posset texere. majoris autem artificii subtemen nere, quàm stamen. durius & retortiore filo stamen, molliore & minus laxo subtemen. vide hoc loco Ejusdem plura.*

Præterea una ancillula erat, ea texebat una : pannis obsita, neglecta, immunda illuvie.

Scin' hanc, quam dicit sordidatam & sordidam ?

Magnum hoc quoque signum est, dominam esse extra noxiam,

Quum ejus tam negliguntur internuncii :

Nam disciplina est eisdem, munerarier.

Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam.

Perge; obsecro te ! & cave ne falsam gratiam Studeas inire.

Mulier telam deserit continuò, & lacrymis opplet os totum sibi.

Præ gaudio, ita me DI ament ! ubi sim, nescio.

Ita timui. *sordidus à natura dicitur : sordidatus fit urgente necessitate. Lacrymæ non rarò præ gaudio prosiliunt, cujus causam Physici in calefactos & resolutos spiritus*

spiritus cerebri, qui in magnâ lætitiâ, si præsertim commiserationi misceantur, ut plurimum destillant per oculos. Volunt enim Physici; quod cerebrum affectu aliquo corporis de se fundat humorem ad palatum & nares diffluentem. Sic Masinissa, *Rex complexus* Scipionem Africanum *præ gaudio collacrumavit.* Plaut. in Sticho:

Ego te nunc conspicio libens, & præ lætitiâ lacrymæ prosiliunt mihi. Terent.

Homini ilico lacrymæ cadunt, quasi puero, præ gaudio.

O hominis impudentem audaciam!

Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.

Hoc vide, in mea vita tu tibì laudem is quæsitum scelus. *hoc est, meo periculo vis laudem tibi comparare.*

Orando surdas jam aures reddideras mihi.

Ademptum tibi jam faxo omnem metum,

In aurem utramvis otiosè ut dormias. *Plaut. Pseud. sc.* 1. *De isthac re in oculum utrumvis conquiescito. CA. oculum utrum? anne aurem? PS. at hoc pervulgatum est nimis.*

Ridiculum est, te isthuc me admonere, Clitipho,

Quasi istic minor mea, res agatur, quam tua.

Hîc si quid nobis adversi evenerit

Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.

Quapropter hæc res neutiquam neglecta est mihi.

In eum jam res rediit locum, ut sit necesse.

Verum illa ne quid titubet. Perdocta est probè.

In tempore ad eam veni, quod rerum omnium est primum.

Hæc arte tractabat virum, ut illius animum cupidum inopiâ incenderet.

Vide sis, ne quid imprudens ruas.

Patrem novisti, ad has res quàm sit perspicax.

Ego

Ego te autem novi, quàm soleas esse impotens.
Inversa verba, eversas cervices tuas.
Gemitus, screatus, tussis, risus, abstine. *inversa verba. id est, verba immutata, & ab eâ re, in qua propriè locum habent, ad aliam translata. Et talis inversio parit obscuritatem.* Gemitus, screatus, &c. *Græcum est. Ablativo enim carentes Græci genitivo utuntur. sic & Horat. Vbi lusi satis, abstine irarum.*

Act. II. Sc. 4.

Isti formæ ut mores consimiles forent:
Minimeque, ita me DI ament, miror si te sibi quisque expetit.
Nam mihi, quale ingenium haberes, fuit indicio oratio. *Sermo est animi index.* Cicero in Sallust: *Moribus semper oratio consonat. Et* Solon apud Laërt. *sermonem esse vivam animi imaginem* pronunciat. *Hinc illud Platonis: loquere, puer, ut te videam.*
Quippe formâ impulsi nostrâ, nos amatores colunt.
Hæc ubi immunita est, illi suum animum aliò conferunt.
Nisi si prospectum interea aliquid est, desertæ vivimus.
Vt nunquam ulla amori vestro incidere possit calamitas.
Vt ex illius commodo meum compararem commodum.
Hoccine me miserum non licere meo modo ingenium frui?

CAP. XI. *Act. III. Sc. 1.*

V*Erum* quum videam miserum hunc jam cruciarier
Ejus abitu; cælem tam insperatum gaudium,
Cum illi nihil pericli ex indicio siet?

Haud

Haud faciam: nam quod potero, adjutabo senem.

Nos quoque senes est æquum senibus obsequi.
Aut ego profectò ingenio egregiè ad miserias
Natus sum: aut illud falsum est, quod vulgo audio
Dici: Diem adimere ægritudinem hominibus.
Nam mihi quidem cotidie augescit magis
De filio ægritudo: & quanto diutius
Abest, magis cupio tanto, & magis desidero.
Menedeme, salve: nnncium apporto tibi,
Cujus maximè te fieri participem cupis.
Tuum conspectum fugitat propter peccatum: hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta sit.
ME. Non tu ei dixisti, ut essem? CH. non. ME. quamobrem, Chreme?
CH. Quia pessume isthuc in te atque in illum consulis,
Si te tam leni & victo animo esse ostenderis.
Vehemens in utramque partem Menedeme es nimis.

Aut largitate nimiâ, aut parsimoniâ. *Nos quoque* SENES. *pares cum parib. facilè congregantur.* Menander,: *Seni senilis lingua jucundissima: Puerque puero & apta mulier mulieri: & ager agro: pressus infortunio Lenimen est homini malis exercitio.* Ingenio: *certum est, scripsisse Terentium*: aut ego profectò genio egregio ad miseriam natus sum. *Genium enim infantibus, cum nascerentur, præficiebant. atque is deus à genendo dicitur: quem ut quisque habuisset, cum nasceretur, ita postea vitam vivere. Plaut. in Bacchid. illepidus vivo, Malevolente genio natus.* Diem adimere: *Sophoclis sententia est*, Tempus est facilis Deus, *quod scilicet omnia leniat & molliat.* Ovid. *Tempus enim sævas paulatim mitigat iras: hoc minuit luctus, mæstaque corda levat.* Seneca ad Lucil. Epist. 67. *Finem dolendi qui consilio suo non fecerit,* *tem-*

tempore inveniet. Propter peccatum : *Cicero pro Milone: Magna est vis conscientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserunt: & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.*

Proterruisti hinc: ea coacta ingratiis
Post illā cæpit victum vulgo quærere.
Nunc sine magno intertrimento non potest
Haberi, quidvis dare cupis.
Nam ut tu scias, quam ea nunc instructa pulchrè ad perniciem siet:
Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro: satrapes si siat
Amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat,
Nedum tu possis.
Pytissando modò mihi quid, quid vini absumpsit!
Relivi dolia omnia, omnes serias.

Apud Babylonios satrapæ appellantur ditissimi, & satellites regum. Universum Persarum imperium, in præfecturas, & provincias, quas illi Satrapias, *earumque rectores,* Satrapas *appellabant, distributum erat. Vide plura hoc loco in Edit. Hackianâ.* Oneratas, &c. *ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certe servili.* Intertrimenta *sunt, quæ intus terendo damna perficiunt.* Proterruisti: *Proterrere propriè sign. minis & clamore absterrere atque abigere, ut bestias solemus.* Varro: Detrimentum *dicitur à detritu; quod ea, quæ trita sunt, sint minoris pretii.* Intrimentum, *ab eo, quod duo vel tria inter se trita & diminuta sint.* Relivi dolia: *Linire, est contegere & operire contrarium est, Relivi h. e. aperui. Detrahendo sc. limum vel ceram, quâ foramen obstruitur.* Dolia *vasa sunt grandia, quibus vinum reconditur.* Seria *quoque formam certam vasis denotat, non certam mensuram. Vas erat varia capacitatis: ad multos usus accommodatum. Putant fuisse fictiles & oblongas urnas, in quibus aquam asservabant. qui mos hodie quoque Romæ perdurat.*

Pers.

Perſ. *Seriola veteris metuens deradere limum.* Livius: *Fontem tantâ vi aqua fluxiſſe, ut ſerias, doliaque velut impetus torrentis tulerit.*

Omnes ſollicitos habui: atque hæc una nox,
Quid te futurum cenſes, quem aſſiduè exedent?
Sic me DI amabunt, ut me tuarum miſeritum eſt
Menedeme fortunarum. ME. Faciat, quod lubet:
Sumat, conſumat, perdat: decretum eſt pati:

Sollicitos h. e. ebrios. ſignificat enim ſollicitos, *id eſt, ſolo citatos, quod ebriis contingit, quibus non ſunt firma veſtigia, ſed motu corporis citi ſunt.* Eugraphius. *Calphurnius hoc modo: variis officiis & miniſteriis diſtractos habui.*

Falli te ſinas technis per ſervulum.
Syrus cum illo veſtro conſuſurrat. conferunt conſilia Adoleſcentes.
Hui! quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris.
Tibi autem porrò ut non ſit ſuave vivere.
Nam deteriores omnes ſimus licentia.
Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis.
Concede hinc domum, ne nos inter nos congruere ſentiant. *Congrueo dictum à Terent. quemadmodum olim viveo & diceo dictum. Ex Nævio: Tibi, dum vivebo, fidelis ero.*

Paulum negotii mihi obſtat: Simus & Crito
Vicini noſtri hîc ambigunt de finibus: me cepêre arbitrum. *h. e. litem habent de limitibus.*

Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant & dijudicent, quàm ſua.
An eo fit, quia in re noſtrâ, aut gaudio
Simus præpediti nimio, aut ægritudine?

Hic

Hic mihi, quanto nunc plus sapit, quam egomet mihi!

Dissolvi me ocius, operam ut tibi darem. *hoc est, expedivi me.*

Act. III. Sc. 2.

Hac illac circumcursa: inveniendum est argentum:

Intendenda in senem est fallacia.

Visa verò est, quod dici solet, Aquilæ senectus.

CH. heja! Sy. Mulier commoda & faceta, hæc meretrix. CH. Sane. Sy. idem visa est tibi? Et quidem hercle forma luculenta. *Ajunt aquilam in senectute, quod ei rostri superior pars vetustate & incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere, & sic sanguinem in potum sumere, & quodammodò bibendo vivere. Hoc ait igitur servus domino, quasi bibendo totum tempus hesterna cœna egerit; visa verò est quasi aquila senectus.* Erasmus: *proverbium est in senes, bibaces qui magis sunt, quàm edaces. est enim senibus peculiaris bibacitas; sive quod natura frigus ætatis, vini calore pensare desiderat; sive quod vini hilaritas minuit senectutis molestias. Quare Plato juvenib. in totum interdixit vini usum, viris moderatum permisit, senibus largiores potationes concedit. Ideo vinum quoque* lac senum *vocatur.* Mulier commoda: *Commodi dicuntur, qui sese ad aliorum mores, vel suo judicio accommodant. Sic* Plaut. *dixit convivam commodum.*

Sed habet patrem quemdam avidum, miserum, atque aridum. *Rectè: ex habendi aviditate & animi quadam pusillanimitate & miseriâ, nascitur ariditas hæc, & summa aliquid dandi difficultas.*

Quid? ego nesciam Hominem pistrino dignum?

Quia magnarum sæpe id remedium ægritudinum est.

Iocone an seriò hæc dicat, nescio.

Nonne

Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit?
Si quid hujus ſimile forte aliquando evenerit,
Vt ſunt humana. *hoc eſt, cuivis accidere poteſt, quod cuiquam. de Piſtrino vide Indicem.* Fabricæ *ſunt propriè inſtrumenta bellica. ut & cuniculi & arietes. Hic pro dolo ponuntur.*

Act. III. Sc. 3.

Vidine ego te modo manum in ſinum huic meretrici inſerere? Sy. acta hæc res eſt! perii. CL. mene? CH. hiſce oculis; ne nega,
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abſtineas manum:
Nam iſthæc quidem contumelia eſt: *Eſt enim* injuria, *quaſi cum violentia aliquid in corpus efficitur.* Contumelia *verò cum præter violationem corporis eſt.*
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam ſubagitare. *ſc. contumelia eſt.*
Heri in convivio quàm immodeſtus fuiſti!
Novi ego amantium animum: advertunt graviter quæ non cenſeas.
At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum, pater.
An certè concedas hinc aliquò ab ore eorum aliquantiſper. Multa fert libido: ea prohibet facere tua præſentia.
Ego de me facio conjectuaam: nemo eſt meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta audeam.
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipſius facti pudet, ne ineptus, ne protervus videar.
Iube hunc abire hinc aliquò. Abi deambulatum.
DI te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis.
Vah! vide, quod inceptet facinus.

Huic

Huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.

Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. *Drachma. vide indic. Græca drachma Romano denario respondet. Romanus denarius trib. scripulis aut scriptulis. aliud est scripulum, aliud scrupulum. vide hoc loco.* Arrhabo: *pro pignore sumitur nunc in sordidis verbis haberi cœptus.* Arra *tamen videtur sordidius. Tamen apud veteres quoque invenitur.*

CAP. XII. *Act. IV. Sc. 1.*

Nisi me animus fallit, hîc profectò est annulus, quem ego suspicor.

Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit. Exposita est Gnata. *Fuit hæc magna immanitas veterum. cum fera nulla sit, quæ fœtus suos non diligat, eos recens natos aut interficere, aut exponere, fas putarent. non aliter ac Frisii vitulos, si jactura numerum supplesset.* Plutarch. de Rege Dejotaro *memoriæ prodidit, quod præter unum reliquos omnes liberos propria manu interfecerit. Vni enim relinquere imperium filio voluit. Quod tamen Thebani lege prohibuerunt.* Magno conatu nugas agere: *in veteres dicebant, Tragœdias in nugis agere.* Cic. lib. 2. de Orat. *Ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si tragœdias agamus in nugis.*

Nescio quid peccati portet hæc purgatio.

Si sic factum est, herus damno auctus est.

O Iupiter! tantamne esse in animo inscitiam! *damno auctus; sc. quod ei puella cohæres venerit. notans ingentes sumptus, qui in exornandâ, elocandâ atque dotandâ filia faciendi sint. utitur valde odiosè hac catachresi.*

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquum sciunt?

Melius, pejus; prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet.

Vt

Vt meæ ſtultitiæ in juſtitiâ tuâ ſit aliquid præſidii.

Scilicet equidem iſthuc factum ignoſcam. Verum Soſtrata, malè docet te mea facilitas multa.

Vt ſtultæ, & miſeræ omnes ſumus Religioſæ, quum exponendam do illi, de digito annulum detraho. *Cum dediſſem puellam exponendam; annulum de digito mihi detraho, ut una cum puellâ exponeretur. Et ſubjungit cauſam, ſi moreretur, ne aliena à noſtris bonis eſſe potuiſſet. Neque enim liberos mortuos fas erat fraudari bonis. Annuli ſigillaricii propriè ad matresf. pertinebant:* Caſaub. De *more exponendorum infantium vide Petrum Victorium, Var. Lect. lib. 2. cap. 3.*

Si moreretur, ne expers Patris eſſet de noſtris bonis. *Hæreditatem quidem Athenis non adibant filiæ ſi eſſent filii. in dotem tamen illius dari debebat decima pars bonorum paternorum.*

Animum non advorti primum: ſed poſtquam adſpexi, ilico cognovi: ad te exilui.

Non licet hominem eſſe ſæpe ita ut vult, ſi res non ſinit.

Act. IV. Sc. 2.

Niſi me animus fallit, haud multum à me aberit infortunium:

In hac re in anguſtum oppido nunc meæ coguntur copiæ. *oppido valdè ſignificat. Tranſlatio ab exercitu ſumitur, qui in anguſtum coactus periclitatur.*

Triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.

Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam ſubitò è faucibus.

Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio de integro ineunda eſt mihi. *hoc eſt, quibus utar argumentis.*

Nihil tam difficile eſt, quin quærendo inveſtigari poſſiet.

Retraham hercle opinor ad me idem illud fugi-

 tivum

tivum argentum tamen. *Triumpho: summum gaudium est, si tutus sine vulnere discedam. hoc est, latere tecto & custodito. varia hic interpretatio. Aliqui ad agmen, non ad gladiatorum certamen hac referunt. Vide hoc loco plura.* Bolum ereptum: *similitudo à canibus sumpta, qui ea non rarò coguntur deserere, qua jam ore gestant.* Fugitivum aurum: *Eleganter: nam retrahi dicitur, qui ex fugâ reducitur domum, ad quem allusit* Terentius.

Act. IV. Sc. 3.

Nulla mihi res posthac potest jam intervenire tanta,
Quæ mihi ægritudinem adferat: tanta hæc lætitia oborta est.
Isthuc tibi ex animi sententia tua obtigisse lætor.
Atque ita me DI ament, ut ego nunc non tam meapte causa Lætor, quàm illius.
Nam amici quoque res est videnda, in tuto ut collocetur.
Deorum vitam apti sumus. *sic in Andria, Deorum vitam propterea esse sempiternam arbitror.* Apti *significat adepti.*
Bonam atque justam rem oppido imperas, & factu facitem.
Satin' sanus es, aut sobrius? *Vanus & inconstans est, qui modo vult, modo non vult idem.*
Huic equidem consilio palmam do. *Attende quomodo spes infatuat homines. Exultat ob consilium Syrus, quod postea pessimum exitum habet.*
Quid, malum! me ætatem censes valle id assimularier? *Credis hoc me velle simulare.* Malum *autem interjectio nihil significat.*
Quid si nunc cælum ruat? *Stultus metus est, de cælestibus metuere. sic ille bis stultè facit, qui metuit de illo, quod fieri omninò non potest. Vide plura hoc loco de Atlanticis humeris.*

Nam

Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam. *Benè de filia committere dicit, quia propriè magna committimus, & ea, secundum donatum, quæ salutem in dubio habent.* Ætatem: *ætas aliquando pro breviori, aliquando pro longiori tempore sumitur.* Virg. *pro anno: ubi quarta accesserit ætas Pro centum annis* Ovid. *Vixi annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.*

Pax! nihil amplius. *adverbium Comicum, quod similiter Græcum est, cum tantummodo significat.*

Act. IV. Sc. 4.

Syrus mihi tergo pœnas pendet.

Satis scitè promittit tibi. *h.e. valde eleganter promissa tibi dabit.*

Curriculo transcurre: apud eum Miles Dionysia agitat. *hoc est, propera & festina. De Dionysiis vide Indic.*

Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, & tua pompa eo traducenda est. *id est, nobilis comitatus, sc. ancillæ decem, & cæteri comites.*

Egone argentum cudo, quod tibi dem?

Sperabit sumptum sibi senex levatum esse harum abitu.

Act. IV. Sc. 5.

Ita me Dii amabunt, ut nunc Menedemi vicem

Miseret me, tantum devenisse ad eum mali.

Ita magno desiderio fuit ei filius. *hoc est, Tantum desiderium filii absentis pater habuit, ut primis diebus damna à meretrice non sentiat;* Miseret me: *adversa cum sors ingruit, tunc maximè est videre, qui nostris malis condolescant.*

De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi. Bonâne fide? *hoc est, cum dixisses, factum continuo edidi.*

Non possum pati, quin tibi caput demulceam.

Accede huc, Syre: faciam boni tibi aliquid pro istâ re. *Demulcere caput alicui: quod solet fieri his, qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quædam videatur esse laudatio. Proverbiali vice* Blandiri *significat. In eundem sensum usurpavit Lucilius* Scabere caput, *apud Nonium: Hic ubi me videt, subblanditur, palpatur, caput scabit.*

Non mea est simulatio: ita tu isthæc tua misceto; ne me admisceas.

Verum illud, Chreme, dicunt, Ius summum sæpè summa est malitia. *Vulgo dicitur, Qui plus potest, pejus facit.* Erasmus: *id autem summum jus appellant, cum de verbis juris contenditur, neque spectatur, quid senserit is, qui scripsit. Nam voces ac literæ, quasi legum summa cutis est.* Columella: *nec sane est vindicandum nobis, quicquid licet. nam summum jus antiqui summam putabant crucem, &c.*

Omnes te in lauta, & bene parte acta putant. *Aliqui* aucta; *aliqui* uncta *volunt. Bene* aucta res, *ea est, quæ per fas crevit, nullius injuria. Intelligitur hic ampla res.* Vnctam *dicebant eandem, quam* lautam.

Act. IV. Sc. 6. *&* 7.

Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias: vel me hæc deambulatio
Quam non laboriosa, ad languorem dedit!
Nec quidquam magis nunc metuo, quàm ne denuo
Miser aliquò extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Vt te quidem omnes DI, Deæque quantum est, Syre,
Cum tuo isthoc invento, cumque incepto perduint!
Hujusmodi res semper comminiscere,

Vbi

Vbi me excarnifices. Næ ego fortunatus homo ſum!

I tu hinc, quo dignus es: quam penè tua me perdidit protervitas!

Hei, quid ſtas? lapis! Quin accipis? *convenit hoc in ignavum & ſtupidum. Hinc Ariſtippus rogatus, qui melior evaſurus eſſet filius? ut nihil aliud, inquit, certè in theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem.*

Quam multa injuſta ac prava fiunt moribus!

Act. IV. Sc. 8.

Quæſo, quid tu hominis es?
Res acta eſt, quantâ de ſpe decidi!
Vah! fruſtra ſum igitur gaviſus miſer.
Quidvis tamen jam malo, quàm hunc amittere.
Vt iſtam rem video, iſtius obſaturabere.
Sed hæc ut ſunt, cautim & paulatim dabis, ſi ſapies.
Ego domi ero, ſi quid me voles!
Nam te ſcientem faciam, quidquid egero. *Facilè iſtius faſtidium habere poteris.*

CAP. XIII. *Act. V. Sc. 1.*

EGo me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe, certò ſcio.

In me quidvis harum rerum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: Caudex, Stipes, Aſinus, Plumbeus. *Caudex eſt truncus arboris, converſo* o *in* au, *fit pro codex caudex. vide indicem, codex robuſtus.* & Lexicon noſtrum Philologicum brevi edendum: Tit. *Liber* & *caudex.*

In illum nihil poteſt: exuperat ejus ſtultitia hæc omnia.

Ohe, jam deſine Deos, uxor, gratulando obtundere. *proprium eſt ſtultitiâ aliorum vitia cernere, obli-*

tempore inveniet. Propter peccatum : *Cicero pro Milone*: *Magna est vis conscientia in utramque partem. ut neque timeant, qui nihil commiserunt : & pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.*

Proterruisti hinc : ea coacta ingratiis
Post illā cœpit victum vulgo quærere.
Nunc sine magno intertrimento non potest
Haberi. quidvis dare cupis.
Nam ut tu scias, quam ea nunc instructa pulchrè ad perniciem fiet :
Primum, jam ancillas secum adduxit plus decem,
Oneratas veste atque auro : satrapes si fiat
Amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat,
Nedum tu possis.
Pytissando modò mihi quid, quid vini absumpsit !
Relivi dolia omnia, omnes serias. *Apud Babylonios satrapa appellantur ditissimi,& satellites regum. Universum Persarum imperium, in præfecturas, & provincias, quas illi* Satrapias, *earumque rectores,* Satrapas *appellabant, distributum erat. Vide plura hoc loco in Edit. Hackianâ.* Oneratas, &c. *ut pudori sit ancillas tales ita vestitas levi cibo pascere, aut certè servili.* Intertrimenta *sunt*, *quæ intus terendo damna perficiunt.* Proterruisti : *Proterrere propriè sign. minis & clamore absterrere atque abigere, ut bestias solemus.* Varro : Detrimentum *dicitur à detritu ; quod ea, quæ trita sunt, sint minoris pretii.* Intrimentum, *ab eo, quod duo vel tria inter se trita & diminuta sint.* Relivi dolia : *Linire, est contegere & operire contrarium est, Relivi h. e. aperui. Detrahendo sc. limum vel ceram, quâ foramen obstruitur.* Dolia *vasa sunt grandia, quibus vinum reconditur.* Seria *quoque formam certam vasis denotat, non certam mensuram. Vas erat varia capacitatis : ad multos usus accommodatum. Putant fuisse fictiles & oblongas urnas, in quibus aquam asservabant. qui mos hodie quoque Romæ perdurat.*

Perf.

Perſ. *Seriola veteris metuens deradere limum.* Livius: *Fontem tantâ vi aqua fluxiſſe, ut ſerias, doliaque velut impetus torrentis tulerit.*

Omnes ſollicitos habui: atque hæc una nox,
Quid te futurum cenſes, quem aſſiduè exedent?
Sic me DI amabunt, ut me tuarum miſeritum eſt
Menedeme fortunarum, ME. Faciat, quod lubet:
Sumat, conſumat, perdat: decretum eſt pati:

Sollicitos h. e. ebrios. ſignificat enim ſollicitos, *id eſt, ſolo citatos, quod ebriis contingit, quibus non ſunt firma veſtigia, ſed motu corporis citi ſunt.* Eugraphius. *Calphurnius hoc modo: variis officiis & miniſteriis diſtractos habui.*

Falli te ſinas technis per ſervulum.
Syrus cum illo veſtro conſuſurrat. conferunt conſilia Adoleſcentes.
Hui! quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris.
Tibi autem porrò ut non ſit ſuave vivere.
Nam deteriores omnes ſimus licentia.
Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis.
Concede hinc domum, ne nos inter nos congruere ſentiant. *Congrueo dictum à Terent. quemadmodum olim viveo & diceo dictum. Ex Nævio: Tibi, dum vivebo, fidelis ero.*
Paulum negotii mihi obſtat: Simus & Crito
Vicini noſtri hìc ambigunt de finibus: me cepêre arbitrum. *h. e. litem habent de limitibus.*
Ita comparatam eſſe hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant & dijudicent, quàm ſua.
An eo ſit, quia in re noſtrâ, aut gaudio
Simus præpediti nimio, aut ægritudine?

Hic

Hic mihi, quanto nunc plus ſapit, quam egomet mihi!

Diſſolvi me ocius, operam ut tibi darem. *hoc eſt, expedivi me.*

Act. III. Sc. 2.

Hac illac circumcurſa: inveniendum eſt argentum:

Intendenda in ſenem eſt fallacia.

Viſa verò eſt, quod dici ſolet, Aquilæ ſenectus.

CH. heja! Sy. Mulier commoda & faceta, hæc meretrix. CH. Sane. Sy. idem viſa eſt tibi? Et quidem hercle forma luculenta. *Ajunt* aquilam *in ſenectute, quod ei roſtri ſuperior pars vetuſtate & incremento curvata foramen includat, ad cadavera accedere, & ſic ſanguinem in potum ſumere, & quodammodò bibendo vivere. Hoc ait igitur ſervus domino, quaſi bibendo totum tempus heſterna cœna egerit; viſa vero eſt quaſi aquila ſenectus.* Eraſmus: *proverbium eſt in ſenes, bibaces qui magis ſunt, quàm edaces. eſt enim ſenibus peculiaris bibacitas; ſive quod natura frigus ætatis, vini calore penſare deſiderat; ſive quod vini hilaritas minuit ſenectutis moleſtias. Quare Plato juvenib. in totum interdixit vini uſum, viris moderatum permiſit, ſenibus largiores potationes concedit. Ideo vinum quoque* lac ſenum *vocatur.* Mulier commoda: *Commodi dicuntur, qui ſeſe ad aliorum mores, vel ſuo judicio accommodant. Sic* Plaut. *dixit convivam commodum.*

Sed habet patrem quemdam avidum, miſerum, atque aridum. *Recte: ex habendi aviditate & animi quadam puſillanimitate & miſeriâ, naſcitur ariditas hac, & ſumma aliquid dandi difficultas.*

Quid? ego neſciam Hominem piſtrino dignum?

Quia magnarum ſæpe id remedium ægritudinum eſt.

Iocone an ſeriò hæc dicat, neſcio.

Nonne

Nonne ad ſenem aliquam fabricam fingit?
Si quid hujus ſimile forte aliquando evenerit,
Vt ſunt humana. *hoc eſt, cuivis accidere poteſt, quod cuiquam. de Piſtrino vide Indicem.* Fabricæ *ſunt propriè inſtrumenta bellica. ut & cuniculi & arietes. Hic pro dolo ponuntur.*

Act. III. Sc. 3.

Vidine ego te modo manum in ſinum huic meretrici inſerere? Sy. acta hæc res eſt! perii. CL. mene? CH. hiſce oculis; ne nega,
Facis adeo indigne injuriam illi, qui non abſtineas manum:
Nam iſthæc quidem contumelia eſt: *Eſt enim* injuria, *quaſi cum violentia aliquid in corpus efficitur.* Contumelia *verò cum præter violationem corporis eſt.*
Hominem amicum recipere ad te, atque ejus amicam ſubagitare. *ſc. contumelia eſt.*
Heri in convivio quàm immodeſtus fuiſti!
Novi ego amantium animum: advertunt graviter quæ non cenſeas.
At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum, pater.
An certè concedas hinc aliquò ab ore eorum aliquantiſper. Multa fert libido: ea prohibet facere tua præſentia.
Ego de me facio conjectuaam: nemo eſt meorum amicorum hodie,
Apud quem expromere omnia mea occulta audeam.
Apud alium prohibet dignitas: apud alium ipſius facti pudet, ne ineptus, ne protervus videar.
Iube hunc abire hinc aliquò. Abi deambulatum.
DI te eradicent, Syre, qui me hinc extrudis.
Vah! vide, quod inceptet facinus.

Huic

Huic drachmarum argenti hæc mille dederat mutuum.

Ea relicta huic arrhaboni est pro illo argento. *Drachma. vide indic. Græca drachma Romano denario respondet. Romanus denarius trib. scripulis aut scriptulis. aliud est scripulum, aliud scrupulum. vide hoc loco.* Arrhabo: *pro pignore sumitur nunc in sordidis verbis haberi captus. Arra tamen videtur sordidius. Tamen apud veteres quoque invenitur.*

CAP. XII. *Act. IV. Sc. 1.*

Nisi me animus fallit, hic profectò est annulus, quem ego suspicor.

Næ ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit. Exposita est Gnata. *Fuit hæc magna immanitas veterum. cum fera nulla sit, quæ fœtus suos non diligat, eos recens natos aut interficere, aut exponere, fas putarent. non aliter ac Frisii vitulos, si jactura numerum supplesset.* Plutarch. de Rege Dejotaro *memoriæ prodidit, quod præter unum reliquos omnes liberos propria manu interfecerit. Vni enim relinquere imperium filio voluit. Quod tamen Thebani lege prohibuerunt.* Magno conatu nugas agere: *in veteres dicebant, Tragœdias in nugis agere.* Cic. lib. 2. de Orat. *Ne aut irrisione, aut odio digni putemur, si tragœdias agamus in nugis.*

Nescio quid peccati portet hæc purgatio.

Si sic factum est, herus damno auctus est.

O Iupiter! tantamne esse in animo inscitiam! *damno auctus; sc. quod ei puella cohæres venerit. notans ingentes sumptus, qui in exornanda, elocanda atque dotanda filia faciendi sint. utitur valde odiose hac catachresi.*

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum atque æquum sciunt?

Melius, pejus; prosit, obsit: nihil vident, nisi quod lubet.

Vt

Vt meæ ſtultitiæ in juſtitiâ tuâ ſit aliquid præſidii.

Scilicet equidem iſthuc factum ignoſcam. Verum Soſtrata, malè docet te mea facilitas multa.

Vt ſtultæ, & miſeræ omnes ſumus Religioſæ, quum exponendam do illi, de digito annulum detraho. *Cum dediſſem puellam exponendam; annulum de digito mihi detraho, ut una cum puellâ exponeretur. Et ſubjungit cauſam, ſi moreretur, ne aliena à noſtris bonis eſſe potuiſſet. Neque enim liberos mortuos fas erat fraudari bonis. Annuli ſigillaricii propriè ad matresf. pertinebant:* Caſaub. De *more exponendorum infantium vide Petrum Victorium, Var. Lect. lib.* 2. *cap.* 3.

Si moreretur, ne expers Patris eſſet de noſtris bonis. *Hæreditatem quidem Athenis non adibant filiæ ſi eſſent filii. in dotem tamen illius dari debebat decima pars bonorum paternorum.*

Animum non advorti primum: ſed poſtquam adſpexi, ilico cognovi: ad te exilui.

Non licet hominem eſſe ſæpe ita ut vult, ſi res non ſinit.

Act. IV. Sc. 2.

Niſi me animus fallit, haud multum à me aberit infortunium:

In hac re in anguſtum oppido nunc meæ coguntur copiæ. *oppidò valdè ſignificat. Tranſlatio ab exercitu ſumitur, qui in anguſtum coactus periclitatur.*

Triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.

Crucior, bolum tantum mihi ereptum tam ſubitò è faucibus.

Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio de integro ineunda eſt mihi. *hoc eſt, quibus utar argumentis.*

Nihil tam difficile eſt, quin quærendo inveſtigari poſſiet.

Retraham hercle opinor ad me idem illud fugi-

tivum argentum tamen. *Triumpho: summum gaudium est, si tutus sine vulnere discedam. hoc est, latere tecto & custodito. varia hic interpretatio. Aliqui ad agmen, non ad gladiatorum certamen hac referunt. Vide hoc loco plura.* Bolum ereptum: *similitudo à canibus sumpta, qui ea non raro coguntur deserere, qua jam ore gestant.* Fugitivum aurum: *Eleganter: nam retrahi dicitur, qui ex fugâ reducitur domum, ad quem allusit* Terentius.

Act. IV. Sc. 3.

Nulla mihi res posthac poteſt jam intervenire tanta,

Quæ mihi ægritudinem adferat: tanta hæc lætitia oborta eſt.

Iſthuc tibi ex animi ſententia tua obtigiſſe lætor.

Atque ita me DI ament, ut ego nunc non tam meapte cauſa Lætor, quàm illius.

Nam amici quoque res eſt videnda, in tuto ut collocetur.

Deorum vitam apti ſumus. *sic in Andria, Deorum vitam propterea esse sempiternam arbitror.* Apti *significat adepti.*

Bonam atque juſtam rem oppido imperas, & factu facitem.

Satin' ſanus es, aut ſobrius? *Vanus & inconstans est, qui mòdo vult, modo non vult idem.*

Huic equidem conſilio palmam do. *Attende quomodo spes infatuat homines. Exultat ob consilium Syrus, quod postea pessimum exitum habet.*

Quid, malum! me ætatem cenſes valle id aſſimularier? *Credis hoc me velle simulare.* Malum *autem interjectio nihil significat.*

Quid ſi nunc cælum ruat? *Stultus metus est, de calestibus metuere. sic ille bis stultè facit, qui metuit de illo, quod fieri omninò non potest. Vide plura hoc loco de Atlanticis humeris.*

Nam

Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam. *Benè de filia* committere *dicit, quia propriè magna committimus, & ea, secundum donatum, quæ salutem in dubio habent.* Ætatem: *ætas aliquando pro breviori, aliquando pro longiori tempore sumitur.* Virg. *pro anno*: *ubi quarta accesserit ætas Pro centum annis* Ovid. *Vixi annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.*

Pax! nihil amplius. *adverbium Comicum, quod similiter Græcum est, cum tantummodo significat.*

Act. IV. Sc. 4.

Syrus mihi tergo pœnas pendet.

Satis scitè promittit tibi. *h.e. valde eleganter promissa tibi dabit.*

Curriculo transcurre: apud eum Miles Dionysia agitat. *hoc est, propera & festina. De Dionysiis vide Indic.*

Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, & tua pompa eo traducenda est. *id est, nobilis comitatus, sc. ancillæ decem, & cæteri comites.*

Egone argentum cudo, quod tibi dem?

Sperabit sumptum sibi senex levatum esse harum abitu.

Act. IV. Sc. 5.

Ita me Dii amabunt, ut nunc Menedemi vicem

Miseret me, tantum devenisse ad eum mali.

Ita magno desiderio fuit ei filius. *hoc est, Tantum desiderium filii absentis pater habuit, ut primis diebus damna à meretrice non sentiat*; Miseret me: *adversa cum sors ingruit, tunc maximè est videre, qui nostris malis condolescant.*

De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi. Bonâne fide? *hoc est, cum dixisses, factum continuo edidi.*

Non possum pati, quin tibi caput demulceam.

Accede huc, Syre: faciam boni tibi aliquid pro istâ re. *Demulcere caput alicui: quod solet fieri his, qui placent, ut manus per caput tractu ducta, quasi quadam videatur esse laudatio. Proverbiali vice* Blandiri *significat. In eundem sensum usurpavit Lucilius* Scabere caput, *apud Nonium: Hic ubi me videt, subblanditur, palpatur, caput scabit.*

Non mea est simulatio: ita tu isthæc tua misceto; ne me admisceas.

Verum illud, Chreme, dicunt, Ius summum sæpè summa est malitia. *Vulgo dicitur, Qui plus potest, pejus facit.* Erasmus: *id autem summum jus appellant, cum de verbis juris contenditur, neque spectatur, quid senserit is, qui scripsit. Nam voces ac literæ, quasi legum summa cutis est.* Columella: *nec sane est vindicandum nobis, quicquid licet. nam summum jus antiqui summam putabant crucem, &c.*

Omnes te in lauta, & bene parte acta putant. *Aliqui* aucta; *aliqui* uncta *volunt. Bene* aucta res, *ea est, quæ per fas crevit, nullius injuria. Intelligitur hîc ampla res.* Vnctam *dicebant eandem, quam* lautam.

Act. IV. Sc. 6. & 7.

Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet,
Quam invitus facias: vel me hæc deambulatio
Quam non laboriosa, ad languorem dedit!
Nec quidquam magis nunc metuo, quàm ne denuo
Miser aliquò extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Vt te quidem omnes DI, Deæque quantum est, Syre,
Cum tuo isthoc invento, cumque incepto perduint!
Hujusmodi res semper comminiscere,

Vbi

Vbi me excarnifices. Næ ego fortunatus homo ſum!

I tu hinc, quo dignus es: quam penè tua me perdidit protervitas!

Hei, quid ſtas? lapis! Quin accipis? *convenit hoc in ignavum & ſtupidum. Hinc Ariſtippus rogatus, qui melior evaſurus eſſet filius? ut nihil aliud, inquit, certè in theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem.*

Quam multa injuſta ac prava fiunt moribus!

Act. IV. Sc. 8.

Quæſo, quid tu hominis es?

Res acta èſt, quantâ de ſpe decidi!

Vah! fruſtra ſum igitur gaviſus miſer.

Quidvis tamen jam malo, quàm hunc amittere.

Vt iſtam rem video, iſtius obſaturabere.

Sed hæc ut ſunt, cautim & paulatim dabis, ſi ſapies.

Ego domi ero, ſi quid me voles!

Nam te ſcientem faciam, quidquid egero. *Facilè iſtius faſtidium habere poteris.*

CAP. XIII. *Act. V. Sc. 1.*

E*Go* me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe, certò ſcio.

In me quidvis harum rerum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: Caudex, Stipes, Aſinus, Plumbeus. *Caudex eſt truncus arboris, converſo* o *in* au, *fit pro codex caudex. vide indicem, codex robuſtus.* & Lexicon noſtrum Philologicum brevi edendum: Tit. *Liber* & *caudex.*

In illum nihil poteſt: exuperat ejus ſtultitia hæc omnia.

Ohe, jam deſine Deos, uxor, gratulando obtundere. *proprium eſt ſtultitiâ aliorum vitia cernere, obli-*

oblivisci suorum. Obtundere : *iterum iterumque alicui facessere negotium.*

Vultus quoque fingit hominum scelus. *id est, scelestus ille efficit, ut Clinia norit vultum suum componere, simulando quemlibet habitum. Est enim fronti, oculis vultuique suus sermo. Et vultus est animi index.*

Nescio. equidem miror, qui alia tam planè scias.

Sed tuum quoque Syrus idem mirè finxit filium. *hoc est, instruxit & informavit. sic* Horat. ad Pis. in arte Poët. *O major juvenum, quamvis & voce paterna Fingeris ad rectum, & per te sapis, &c.*

Vt me paullum quidem suboleat, esse amicam hanc Cliniæ.

Mitto jam osculari atque amplexari : id nihil puto.

Est mihi in ultimis conclave ædibus quoddam retro.

Huc est intro latus lectus ; vestimentis stratus est.

Dictum factum : huc abiit Clitipho. *Suboleat pro rescìscere positum. velut* Odorari. Odor *pro suspicione ac rumore sumitur.* Cic. *Est nonnullis odor Dictaturæ.* Olfacere *apud Terent. pro, deprehendere. Hic* subolere, *pro suspectum esse.* Obolere, *pro, molestum esse, aut esse in suspicione. Unde &* Nasuti *dicti, &* emunctæ naris, & mucosis naribus. *Denique* Nasus *ipse in proverbium abiit. Huc & illa :* Olet mendacium ; Redolent Atticismum, olent lucernam. *Latus lectus :* Lecti olim fuerunt exemptiles, & à loco ad locum deportari poterant. *Vide hic versus Homericos.*

Decem dierum vix mihi est familia. *Translatio desumpta à militum commeatu ; qui solent antiquitus in bellum ituri sibi de decem dierum commeatu prospicere.* Tridui commeatum *dicemus quoque minimas facultates.*

Quem-

Quemquamne animo tam communi esse aut leni putas.?

Qui se vidente Amicam patiatur suam. *Communis, ut Græce κοινὸς, significat civilem, popularem, & commodum inter cives hominem.* Ovid. *Ipse pater patriæ: quid enim communius illo? Sustinet in nostro carmine sæpe legi.* Patiatur: *subaudi*, subagitari. *& est honesta eclipsis in re turpi. sic Virg.* novimus & qui te.

Præ iracundiâ, Menedeme, non sum apud me.

Nonne id Flagitium est, te aliis consilium dare.

Foris sapere, tibi non posse auxiliarier. *Homo ad se redire dicitur, quando ira deferbuit.* Cato *dicit iratum ab insano tantùm tempore distare.*

Nam si illi pergo suppeditare sumptibus.

Menedeme, mihi illæc verè ad rastros res rediit. *sic alibi* ad restim res rediit. *ad incitas res rediit.* Vide Indic. *Incitas.*

Nihil nos dos movet. CH. duo talenta pro re nostra ego decrevi esse satis. *hoc est; pro meis facultatibus. Nostro sæculo dos maximo in pretio: & verè fit, quod Medea apud Tragicum conqueritur, quod mulieres cogantur maritos quasi emere seu mercari.*

Qui nunc luxuria & lascivia diffluit, retundam: redigam, ut, quò se vortat, nesciat.

Sine me in hac re gerere mihi morem.

Adeo exornatum, adeò depexum, ut dum vivat, semper meminerit mei.

Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat. *Depexum, hoc est, compositum pænis & tormentis.* Exornatum *hoc est, comptum, ironicè.*

Me mea omnia bona doti dixisse illi.

Act. V. Sc. 2.

Quid ego tantum sceleris admisi miser?

Vt te vidi animo esse omisso, & suavia in præsentia

Quæ essent, prima habere, neque consulere in longitudinem.

Cepi rationem, ut neque egeres, neque ut hæc posses perdere

Vbi, cui decuit primo, tibi non licuit per te mihi dare.

Abii ad proximos, tibi qui erant: eis commisi & credidi.

Ibi tuæ stultitiæ semper erit præsidium.

Victus, Vestitus, quo in tectum te receptes.

Disperii! scelestus quantas turbas concivi insciens! *Animo esse omisso. Reprehendit tria in ipso, animi mollitiem, quod nulli honesta rei impensè studeat: voluptatis studium, quod eam summum bonum faciat; & denique imprudentiam, quod in longitudinem non consulat*, prima habere, *pro, optimis, à probatissimis authoribus ponuntur.* Sallust. *Domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent.*

Emori cupio: CH. prius, quæso, disce, quid sit vivere:

Vbi scies, si displicebit vita, tum isthoc utitor.

Nec tu aram tibi, nec precatorem pararis. *Cum ratione & virtute vivere, ea demum suavis est vita. Sic* Diogenes *dicenti cuidam miserum esse vivere:* Non, *inquit*, vivere miserum est, sed malè vivere. *Ara confugii erat locus, quo qui confugissent, impunitatem consequebantur, qui aras amplexi fuissent.* Virg. *de arâ Hercæi Iovis, ad quam Priamus aliique Trojani confugerant, dum urbem Græci diriperent, ut ab injuriâ hostium tuti forent:*

Hic Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,
Præcipites atrâ ceu tempestate columbæ

Condensæ, & divum amplexæ simulachra, tenebant. *De* Asylis *Romuli vide Lips. & Rosinum. Athenis*

thenis urbe mediâ fuit Misericordiæ ara, *cujus religio à nullo poterat perfringi. Huc omnes calamitosi, qui se contra injuriam & potentiores defendere non poterant, confugiebant. Hoc altare Terentium intelligere hoc loco testatur Lactantius.* Precatorem: *si quando servi dominos graviter offendissent, solebant olim supplices conducere ad eos, quorum gratiâ putabant dominos suos nihil non facturos, ut precibus illorum placatis heris, supplicium evaderent.* Plaut: *Precator assiet, malam rem effugies nunquam.*

Satin' sanus es. Sy. ego dicam, quod mihi in mentem: tu dijudica.

Matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria solent esse.

Ad misericordiam ambos adduces citò.

Namque adolescens quam minimâ in spe situs erit.

Tam facillimè patris pacem in leges conficiet suas. *h. e. benevolentiam. Conficiet in leges suas, hoc est, ad arbitrium & voluntatem suam obtinebit translatum, à pactionib. bellicis, quæ certis legibus & conditionib. inter partes transiguntur.*

Act. V. Sc. 3.

Profectò, nisi caves, tu homo, aliquid gnato conficies mali.

Tam ineptum quidquam tibi in mentem venire, mi Vir, potuerit.

Pergin', mulier, odiosa esse?

In quâ re nunc tam confidenter restas, stulta?

Non vides, quantum mali ex eâ re excites? *Tu homo: in hac voce insignis impotentia muliebris exprimitur; quæ verba cum stomacho pronuncianda.* Mi Vir: *nunc incipit adblandiri. cum mulieres meticulosæ sint, non libenter planè exasperant maritos. igitur nunc mollius loquitur* Odiosa es: *hoc convitio irati à se dimittebant mulieres. sic* Plaut: *i foras, mulier es.*

Rixanti enim & garrienti dicunt: mulier es. *Garrientem mulierem* Malam *vocat*; quia *videtur fuisse proverb:* Mulier cum tacet, bona est. Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Egone confitear meum non esse filium, qui sit meus?

Id quod est consimilis moribus.

Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probè.

Nam illi nihil vitii est relictum, quin sit & idem tibi.

Sed ipse egreditur: quàm severus! rem, cum videas, censeas. *externa specie, qui tam gravis videtur, ut pro Censore Romano haberi possit. quod* Seneca *apertius dixit:* Censoreum supercilium.

Act. V. Sc. 4.

Obsecro, mi Gnate, ne istuc in animum inducas tuum, alienum esse te.

Et cave posthac, si me amas, unquam istliuc verbum ex te audiam.

At ego, si me metuis, mores cave in te esse istos sentiam. CL. Quos? si scire vis, ego dicam: Gerro, iners, fraus, helluo, Ganeo, damnosus. *proverbiales hyperbola in rapaces, edaces, helluones. sic illos charybdim & barathrum vocamus.*

Non, si ex capite sis meo natus idem, ut ajunt, Minervam esse ex Iove, eâ causâ magis patiar, flagitiis tuis me infamem fieri. *Matres indulgentiores in liberos, quia ex se natos sciunt, & partus molestiam sciunt.* Strabo lib. 14. *in insula Rhodiorum aurum pluisse ait cum Minerva è capite Iovis nasceretur.*

So. DI isthæc. CH. Deos nescio: ego, quod potero, sedulo. *impiam hanc vocem dolor Chremeti expressit.*

Eheu! quàm ego totus dispicco mihi!

Quàm

Quàm pudet! neque quod principium inveniam ad placandum, scio.

Act. V. Sc. 5.

Enim verò Chremes nimis graviter cruciat Adolescentulum, Nimisque inhumanè.

Exeo ergo, ut pacem conciliem optimè.

Cur non accersi jubes filiam, &, quod dotis dixi, firmas? *Dos*, ait Vlpianus, *aut dabatur, aut dicebatur, aut promittebatur.* Dabatur, *cum præsens erat dos, non quod ea statim traderetur viro; quamvis & hoc fieri potuisse constet* l. 1. D. pro dote: *sed pridie Nuptiarum, aut circiter, apud auspices deponebatur, ut in crastinum nuptiarum viro solveretur: quod in Messalina cum filio Nuptiis Suetonius, Tacitus & Juvenal. factum fuisse commemorant.* Dicere autem *hic est aliquid sponte polliceri. sic Plaut*: Quin tibi hanc operam dico.

Hæc dum incipias, gravia sunt; dumque ignores: ubi cognoris, facilia.

So. Gnate mi, ego pol tibi dabo illam lepidam, quam tu facile ames Filiam Phanocratæ nostri.

CL. Rufamne illam virginem, cæsiam, sparso ore, adunco naso? non possum, pater.

CH. Heja! ut elegans est! credas animum ibi esse. *Cæsiam hoc est, oculis obtortis, vel cæsuras hoc est, rugas habentem; aut lenticulosam.* Sparso ore: hoc est, dissoluto. *aut* ore *dixit vultu, & significat* sparso, *quasi maculis quibusdam infecto vultu.* illam lepidam: *Formosa facies, inquit Mimus, muta commendatio est.* Rufamne illam: *ὑποτύπωσις est deformis puella, à colore & totius corporis* rufa, *& oculorum, qui* cæsii, *hoc est, glauci erant.* Minerva *tamen Homero γλαυκῶπις est, de qua Gellius lib. 2. cap. 16.*

Valete & Plaudite. *Vetus consuetudo Romæ, ut viros*

viros primates venientes in theatra composito plausu exciperent; iisdem aßurgerent. utrumque honoris habendi causa. Econtrariò, eos, qui infames aut ingrati, sibilo & pastoritia fistula velut rejicerent & segregarent. Igitur valde ambitiosi in hoc honore sibi demerendo, populique plausu, &c.

FINIS HEAUTONTIMOR.

ELECTA

ELECTA TERENTIANA.

Ex

ADELPHIS.

CAP. XIV.

PROLOGUS.

Postquam Poëta sensit, scripturam suam
Ab iniquis observari, & adversarios
Rapere in pejorem partem, quàm acturi sumus, &c. *observari, captari significat, honorari & audiri. sic Plaut.* Observatote, ut blandè palpetur mulieri. *Rapere in pejorem partem,* id est, vitio dare, vituperare. *Ab iniquis,* h. e. ab inimicis. sic: *Fatis Iunonis iniqua. Per* Scripturam, *intellige stylum. apud Cic. aliosque ea erat, quam exercebant, qui agris, pascuis, aut pecoribus praerant. Hinc ii, qui portus aut portuaria curabant, vectigalia describentes aut colligentes, magistri scripturarum & portus dicebantur.*

Synapothnescontes Diphili comœdia est.

Eam Commorientes Plautus fecit fabulam. *Tale genus hominum apud Aegyptios fuit: ut docet* Athenæus. *De his quoque* Cæsar. *lib.* 3. *de bello Gall. Qui* Soldurii *dicti: quorum hac est conditio, ut omnibus vita commodis cum his utantur, quorum amicitia se dediderint. Si quoque impenderint mala, aut mors, tam fidi, ut nemo sit inventus, qui non libenter mori simul voluerit.* Sed & convivia *instituebant, qua συναποθανουμένων nuncupabant*, id est, commoriturorum. *Tale fuit convivium* M. Antonii & Cleop. *post Actiacam pugnam. Convenientes se ipsos vocabant συναποθανουμένους, Omnia quoque qua mortuo fuerant cordi,*

di, in ignem poni solita. Sic Romæ in Iulii *ipsius regum tibicines discissam vestem, legionarii arma, matronæ bullas, liberorumque prætextas injecerunt.*

Facite æquanimitas Poëtæ ad scribendum augeat industriam. *æquanimitas est patientia, & illa dispositio, quæ habet animum placidum, benevolum.*

Act. I. Sc. I.

Ego quia non rediit filius, quæ cogito!
E quibus nunc solicitor rebus: ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit.
Aliquid. Vah! quemquamne hominem in animum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quàm ipse est sibi!
Is adeo dissimili studio est jam inde ab adolescentiâ.
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium secutus sum:
Et quod fortunatum illi putant, uxorem nunquam habui. *Clementiâ à claritate mentis. Clementes qui mente colunt.* Vita clemens, *quæ clementes facit. Menander:* Ὦ μακάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω.
Ille contra, hæc omnia. Ruri vitam agere, semper parcè ac duriter se habere.
Vxorem duxit: nati filii duo. Inde ego hunc majorem adoptavi mihi.
Eduxi à parvulo; habui, amavi pro meo.
In eo me oblecto, solum id est carum mihi.
Ille item contra me habeat, facio sedulo! *Quod nos* educare *dicimus, hoc veteres* Educere. *sic*: Educet sylvis regem regumque parentem.
Non necesse habeo omnia pro meo jure agere: postremo alii clanculum Patres quæ faciunt.
Quæ fert adolescentia, ea ne me cælet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,

Aut

Aut audebit; tanto magis audebit cæteros.
Pudore & Liberalitate liberos retinere satius esse credo, qàum metu. *Ius & Æquitas differunt.* Ius *est, quod omnia recta & inflexibilia exigit.* Aequitas *est, quæ de jure multum remittit. Ergò hic sensus: non necesse est, etiam si liceat, sævum esse patrem. Et mirè ostendit jus suum, nisi necessitate, non esse servandum.* Retinere, *à vitiis sc.* Liberi, *à Liberalitate dicti.* Donatus. Clanculum Patres, *pro clam patribus Quintilianus, pueros minimè vult cædi, propterea quod servilem incutiat metum.*

Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Et errat longè, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio, & sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit
Ille, quem beficio adjungas, ex animo facit.
Studet par referre: præsens absensque idem erit. *Apud Veteres in Quarta declin. Ablat. & Genitivi eodem modo terminabantur. Virg.* Parce metu Cytherea. Venatu invigilant pueri. *Livius*: consul habendo delectu dat operam. *Iterum Virg.* Quod nec concubitu indulgent. *Agapetus: Existima, tunc demum te tuto regnare, cum volentibus imperas hominibus. quod enim invito animo subjicitur, seditionibus fluctuat captâ occasione: quod verò vinculis benevolentiæ regitur, stabilem servat erga rectorem obedientiam.* Officium, *quasi* Efficium *dicitur, ab efficiendo.* Redit ad ingenium: *hoc est, in mores genuinos remigrat. ductâ metaphora à ramis, qui appositâ furca torquentur aliò, quàm natura posuerat.* Pindarus:

darus: Ἄμαχον δὲ κρύψαι γὰρ συγγενὲς ἦθος, *difficile est occultare nativos mores.* Horat. *Tolle periclum, Iam vaga prosiliet frenis natura remotis.*

Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte rectè facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest; hoc qui nequit,
Fateatur se nescire imperare liberis. *Hinc verè Claud. - - - peragit tranquilla potestas,*
Quod violenta nequit. mandataque fortius urget
Imperiosa quies.

Act. I. Sc. 2.

Quem neque pudet quidquam, nec metuit quenquam, neque legem putat tenere se ullam.
Fores effregit, atque in ædes irruit alienas.
Ipsum dominum, atque omnem familiam mulctavit usque ad mortem. In ore omni populo est.
Homine imperito nunquam quidquam injustius.
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.
Quorsum isthuc? MI. quia tu, Demea, hæc malè judicas.
Non est flagitium mihi crede, adolescentulum
Scortari, neque potare: non est: neque fores
Effringere. hæc si neque ego, neque tu, fecimus,
Non sivit egestas facere nos, tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum fecisti inopia.
Injurium est. nam si esset unde id fieret
Faceremus. & tu illum tuum, si esses homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet:
Potius quam, ubi te exspectatum ejecisset foras,
Alieniore ætate post faceret tamen.
ME. Prô Iupiter! tu homo adigis me ad insaniam. *Alieniore, pro aliena.*

Non

Non eſt flagitium, facere hæc adoleſcentulum?
De coercendis liberis eorumque voluptatibus inhibendis pulchre perorat Cicero in Orat. pro M. Cælio, Detur aliquid ætati, *ſi adoleſcentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur. non ſemper ſuperet, vera illa & directa ratio. vincat aliquando cupiditas voluptaſque rationem, &c. parcat juventus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, &c.* Poſtremo cum *paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, &c.*

Ne me obtundas de hac re ſæpius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi,
Is meus eſt factus. ſi quid peccat, Demea,
Mihi peccat. Ego illi maximam partem feram,
Obſonat, potat, olet unguenta? de meo
Amat? dabitur à me argentum, dum erit commodum.
Vbi non erit, fortaſſe excludetur foras. *erant apud veteres adoleſcentuli oleo delibuti, tanquam voluptuarii. Etiam Athletarum erat corpus inungere, ut alacriores eſſent.*
Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. Eſt, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, & adhuc non moleſta ſunt.
Poſtremo aut deſine, aut cedo quemvis arbitrum.
Naturâ tu illi pater es, conſiliis ego. *Salluſt: Cura ſimilitudine patres appellabantur. plus enim eſt conſiliis alicui eſſe patrem, quàm naturâ. Quod ex Philippo Alexandri patre patet, nato filio tempore Ariſtotelis.*
Curemus æquam uterque partem, tu alterum,
Ego item alterum.
Quid iſthuc? tibi iſtud placet, profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Iam ſi verbum unum poſthac.
Et eſt dîs gratia; quum ita ut volo eſt.
Tamen non nihil moleſta hæc ſunt mihi. Sed oſten-

ostendere, me ægrè pati, illi nolui. nam ita est homo:

Quum placo, adversor sedulo & deterreo.
Postremo nuper, credo, jam omnium
Tædebat, dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam deservisse adolescentiam.
Gaudebam.

CAP. XV. *Act. II. Sc. 1.*

OBsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium: subvenite inopi.

Quanquam est scelestus, non committet hodie unquam ut vapulet.

At ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.

Tu quod te posterius purges, hanc injuriam mihi nolle factam esse, hujus non faciam.

Crede hoc, ego meum jus persequar.

Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malè feceris.

Jusjurandum dabitur, te esse indignum injuriâ hac; indignis quum egomet sim acceptus modis.

Cave nunc jam oculos à meis oculis quoquam dimoveas tuos.

Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus quotidie in malâ hæreat.

Verum in istam partem potius peccato tamen.

Quid hoc rei est! regnumne, Aeschine, hic tu possides?

Quid tibi rei mecum est? Tetigine tui quidquam? Si attigisses, ferres infortunium.

Nam si molestus pergis esse, jam intro abripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris. *Lora apud veteres,* Laura *dicebantur, à Lauro triumphorum: quâ mos erat captivos vinciri, ducique per pompam.* Ideo *autem ut conditionis reminiscantur, loris caduntur mancipia. nam* mancipia *dicuntur, quod manu*

sint

sint capta. Servi, *qui servati sunt. quum eos occidi oporteret jure belli.*

Leno sum, fateor. pernicies communis adolescentum.

Perjurus, pestis: tamen tibi à me multa orta est injuria.

Minis viginti tu illam emisti; quæ res tibi vortat malè.

Nam ego liberali illam adsero causa manu. *verba juris sunt. à quibus etiam* Assertores *dicti vindices alienæ libertatis. Nam & causa ipsa* liberalis *dicitur, quæ actionem in se continet libertatis. Vortat malè.* Vertumnus *dicitur Deus, qui ad opinata revertentibus praest. sæpe autem male cedit, quod bonum putatur; & hoc est malè vertisse: ut ille gladius, qui muneri datus, adminiculum fuerit reginæ pereunti. Virg. Ensemque recludit Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.* Liberali manu asserere. *hoc est, liberali judicio natalibus restituere.*

Homini misero plus quingentos colaphos infregit. *hoc est, inflixit. contumeliosa cædes colaphus.* Alapam infligere, *est diductâ manu verberare.* Colaphum infringere, *est compressâ in pugnum manu cædere.*

Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat. De argento somnium: mox; cras redi. *singula pronuncianda sunt, quæ solent dicere debitores, ut non reddant, quod debent.* somnium, *proverbio dicimus. significatur inanis & nihili res.* Apud Lucian. *Omnia illa subventanea somnia, sicut ajunt, & verborum umbra.*

Accipiunda & mussitanda injuria adolescentium est.

Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto. *hoc est, patienda, considerandа cum silentio. Mussitare enim propriè est dissimulandi causâ facere. Dictum vel à muto. vel ab M. quæ est littera nimium pressæ vocis, ac penè nullius, adeo ut sola omnium*

mnium quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Virgil. Mussat Rex ipse Latinus. Alii putant à my, quasi myxin, *quod muti non amplius sonare queant.*

Act. II. Sc. 2.

Nunquam vidi iniquius certationem comparatam, quàm quæ hodie inter nos fuit.

Ego vapulando, ille verberando, ambo defessi sumus.

Adolescenti morem gestum oportuit. *Quod de mollibus materculis meritò dici potest. Quæ suos liberos nimis amando sæpe interimunt. Hic in illam sententiam intellige, quod sc. facilius assentatione capetetur.*

Pecuniam in loco negligere, maximum sæpe est lucrum.

Si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque

Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,

Ne non tibi istuc fæneraret.

Ego spem pretio non emo.

Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines. *In loco, hoc est, in tempore, ut alibi Terent.* Obsecundare in loco. *Et quæ in loco sunt, aut fiunt, convenienter tempori locove, & attemperatè opportuneque fieri dicuntur.* Salmas. Fæneraret, *absolute hoc loco ponitur. Aliàs cum Accus.* Plinius: *Fænerat sol lumen suum sideribus reliquis.* Martialis. *Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ: Hæc sapit: hæc omnes fænerat una deos.* Spem pretio non emo. *Veluti si quis retium jactum emat in piscando, aut missilium prædam in venatu, aut si aliquid ejusmodi.* Inescare: *ab aucupibus desumptum, qui avibus capiendis offundunt cibum. sic Lenones sunt suis blandimentis.* Plato *voluptatem malorum escam dixit.*

Animus

Animus tibi pendet. Injeci ſcrupulum homini.

O ſcelera! illuc vide, ut in ipſo articulo oppreſſit.

Injeci ſcrupulum homini. Actum agam: ubi illinc rediero, Nihil eſt, refrixerit res. *Actum agam, hoc eſt, nihil agam. quod enim in jure ſemel judicatum fuerit, reſcindi atque iterum agi non poteſt.* Refrixerit. *hoc eſt, refrigeſcit.*

Labaſcit. dividuum face. Minas decem corradat alicunde.

Omnes dentes labefecit mihi! præterea colaphis tuber eſt totum caput.

Etiam inſuper defrudet? *Labaſcit ab arbore deſumptum, quæ multis ſuccisa ictibus, ferri tandem incipit in caſum ponderis, ruinamque minitari.* Dividuum face: *hoc eſt, divide.* Dividuum, *à diviſione.* Dimidium *à dimenſione dictum.*

Hei mihi etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer. *vide Indicem Sors & Vſura.* Defrudet: *hoc eſt, fraude decipiat.* Tuber *eſt genus cibi, collectum ex tumentibus & quaſi prægnantibus arenis.* Tuber *quoque & collus ſive tumor in corpore eminens.* Plin. *tubera bina in dorſo habent cameli.* Tubera *quoque ſunt tumentis terræ calli. Eſt &* tuber *arbor, poma ferens baccis quàm malis ſimiliora: cujus fructus tuberes dicuntur, &c.*

Memorem me dices eſſe & gratum. *Inducitur promiſſio præmiorum. Et benè utrumque narrat. nam non continuo eſt gratus, qui memor.*

Act. II. Sc. 2.

Verum enimverò id demum juvat, ſi quem æquum eſt facere, is benefacit.

Nunquam ita magnificè quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua.

Illius opera, Syre, nunc vivo, feſtivum caput!

Qui

viros primates venientes in theatra composito plausu exciperent; iisdem assurgerent. utrumque honoris habendi causa. Econtrariò, eos, qui infames aut ingrati, sibilo & pastoritia fistula velut rejicerent & segregarent. Igitur valde ambitiosi in hoc honore sibi demerendo, populique plausu, &c.

FINIS HEAUTONTIMOR.

ELECTA

ELECTA TERENTIANA.

Ex

ADELPHIS.

CAP. XIV.

PROLOGVS.

Postquam Poëta sensit, scripturam suam
Ab iniquis observari, & adversarios
Rapere in pejorem partem, quàm acturi sumus, &c. *observari, captari significat, honorari & audiri. sic Plaut.* Observatote, ut blandè palpetur mulieri. *Rapere in pejorem partem*, id est, vitio dare, vituperare. *Ab iniquis*, h. e. ab inimicis. sic: *Fatis Iunonis iniqua. Per* Scripturam, *intellige stylum. apud Cic. aliosque ea erat, quam exercebant, qui agris, pascuis, aut pecoribus praerant. Hinc ii, qui portus aut portuaria curabant, vectigalia describentes aut colligentes, magistri scripturarum & portus dicebantur.*
Synapothnescontes Diphili comœdia est.
Eam Commorientes Plautus fecit fabulam. *Tale genus hominum apud Aegyptios fuit: ut docet* Athenæus. *De his quoque* Cæsar. *lib. 3. de bello Gall. Qui* Soldurii *dicti: quorum hac est conditio, ut omnibus vita commodis cum his utantur, quorum amicitia se dediderint. Si quoque impenderint mala, aut mors, tam fidi, ut nemo sit inventus, qui non libenter mori simul voluerit.* Sed *&* convivia *instituebant, qua* συναποθανουμένων *nuncupabant*, id est, commoriturorum. *Tale fuit convivium* M. Antonii & Cleop. *post Actiacam pugnam. Convenientes se ipsos vocabant* συναποθανουμένους, *Omnia quoque qua mortuo fuerant cordi,*

di, in ignem poni solita. Sic Romæ in Iulii *ipsius rogum tibicines discissam vestem, legionarii arma, matronæ bullas, liberorumque prætextas injecerunt.*

Facite æquanimitas Poëtæ ad scribendum augeat industriam. *æquanimitas est patientia, & illa dispositio, quæ habet animum placidum, benevolum.*

Act. I. Sc. 1.

Ego quia non rediit filius, quæ cogito!
E quibus nunc solicitor rebus: ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit.
Aliquid. Vah! quemquamne hominem in animum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quàm ipse est sibi!
Is adeo dissimili studio est jam inde ab adolescentiâ.
Ego hanc clementem vitam urbanam, atque otium secutus sum:
Et quod fortunatum illi putant, uxorem nunquam habui. *Clementiâ à claritate mentis. Clementes qui mente colunt.* Vita clemens, *quæ clementes facit. Menander:* Ω μακάριόν με! γυναῖκα οὐ λαμβάνω.
Ille contra, hæc omnia. Ruri vitam agere, semper parcè ac duriter se habere.
Vxorem duxit: nati filii duo. Inde ego hunc majorem adoptavi mihi.
Eduxi à parvulo; habui, amavi pro meo.
In eo me oblecto, solum id est carum mihi.
Ille item contra me habeat, facio sedulo! *Quod nos* educare *dicimus, hoc veteres* Educere. *sic*: Educet sylvis regem regumque parentem.
Non necesse habeo omnia pro meo jure agere: postremo alii clanculum Patres quæ faciunt.
Quæ fert adolescentia, ea ne me cælet, consuefeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere insuerit patrem,

Aut

Aut audebit; tanto magis audebit cæteros.
Pudore & Liberalitate liberos retinere satius esse credo, quàm metu. *Ius & Æquitas differunt.* Ius *est, quod omnia recta & inflexibilia exigit.* Aequitas *est, quæ de jure multum remittit. Ergò hic sensus: non necesse est, etiam si liceat, sævum esse patrem. Et mirè ostendit jus suum, nisi necessitate, non esse servandum.* Retinere, *à vitiis sc.* Liberi, *à Liberalitate dicti.* Donatus. Clanculum Patres, *pro clam patribus Quintilianus, pueros minimè vult cædi, propterea quod servilem incutiat metum.*

Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
Vestitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Et errat longè, mea quidem sententia,
Qui imperium credat gravius esse, aut stabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adjungitur.
Mea sic est ratio, & sic animum induco meum:
Malo coactus qui suum officium facit,
Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet:
Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit.
Studet par referre: præsens absensque idem erit.

Apud Veteres in Quarta declin. Ablat. & Genitivi eodem modo terminabantur. Virg. Parce metu Cytherea. Venatu invigilant pueri. *Livius*: consul habendo delectu dat operam. *Iterum Virg.* Quod nec concubitu indulgent. *Agapetus: Existima, tunc demum te tuto regnare, cum volentibus imperas hominibus. quod enim invito animo subjicitur, seditionibus fluctuat captâ occasione: quod verò vinculis benevolentiæ regitur, stabilem servat erga rectorem obedientiam.* Officium, *quasi* Efficium *dicitur, ab efficiendo.* Redit ad ingenium: *hoc est, in mores genuinos remigrat. ductâ metaphora à ramis, qui appositâ furca torquentur aliò, quàm natura posuerat.* Pindarus:

darus: Ἄμαχον δὲ κρύψαι γὰρ συγγενὲς ἦθος, *difficile eſt occultare nativos mores.* Horat. *Tolle periclum, Iam vaga proſiliet frenis natura remotis.*

Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium
Sua ſponte rectè facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt; hoc qui nequit,
Fateatur ſe neſcire imperare liberis. *Hinc verè*
Claud. - - - peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit. mandataque fortius urget
Imperioſa quies.

Act. I. Sc. 2.

Quem neque pudet quidquam, nec metuit quenquam, neque legem putat tenere ſe ullam.
Fores effregit, atque in ædes irruit alienas.
Ipſum dominum, atque omnem familiam multavit uſque ad mortem. In ore omni populo eſt.
Homine imperito nunquam quidquam injuſtius.
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.
Quorſum iſthuc? MI. quia tu, Demea, hæc malè judicas.
Non eſt flagitium mihi crede, adoleſcentulum
Scortari, neque potare: non eſt: neque fores
Effringere. hæc ſi neque ego, neque tu, fecimus,
Non ſivit egeſtas facere nos, tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.
Injurium eſt. nam ſi eſſet unde id fieret
Faceremus. & tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per ætatem licet:
Potius quam, ubi te exſpectatum ejeciſſet foras,
Alieniore ætate poſt faceret tamen.
ME. Prô Iupiter! tu homo adigis me ad inſaniam. *Alieniore, pro aliena.*

Non

Non est flagitium, facere hæc adolescentulum? *De coercendis liberis eorumque voluptatibus inhibendis pulchre perorat Cicero in Orat. pro M. Cœlio,* Detur aliquid ætati, *si adolescentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur. non semper superet, vera illa & directa ratio. vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, &c. parcat juventus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, &c.* Postremo cum *paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, &c.*

Ne me obtundas de hac re sæpius.
Tuum filium dedisti adoptandum mihi,
Is meus est factus. si quid peccat, Demea,
Mihi peccat. Ego illi maximam partem feram,
Obsonat, potat, olet unguenta? de meo
Amat? dabitur à me argentum, dum erit commodum.
Vbi non erit, fortasse excludetur foras. *erant apud veteres adolescentuli oleo delibuti, tanquam voluptuarii. Etiam Athletarum erat corpus inungere, ut alacriores essent.*
Fores effregit? restituentur. discidit
Vestem? resarcietur. Est, Dis gratia,
Et unde hæc fiant, & adhuc non molesta sunt.
Postremo aut desine, aut cedo quemvis arbitrum.
Naturâ tu illi pater es, consiliis ego. *Sallust: Curæ similitudine patres appellabantur. plus enim est consilio alicui esse patrem, quàm naturâ. Quod ex Philippo Alexandri patre patet, nato filio tempore Aristotelis.*
Curemus æquam uterque partem, tu alterum,
Ego item alterum.
Quid isthuc? tibi istud placet, profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Iam si verbum unum posthac.
Et est dîs gratia; quum ita ut volo est.
Tamen non nihil molesta hæc sunt mihi. Sed osten-

oſtendere, me ægrè pati, illi nolui. nam ita eſt homo:

Quum placo, adverſor ſedulo & deterreo.
Poſtremo nuper, credo, jam omnium
Tædebat, dixit velle uxorem ducere.
Sperabam jam deferviſſe adoleſcentiam.
Gaudebam.

CAP. XV. *Act. II. Sc. I.*

OBſecro, populares, ferte miſero atque innocenti auxilium: ſubvenite inopi.

Quanquam eſt ſceleſtus, non committet hodie unquam ut vapulet.

At ita, ut uſquam fuit fide quiſquam optuma.

Tu quod te poſterius purges, hanc injuriam mihi nolle factam eſſe, hujus non faciam.

Crede hoc, ego meum jus perſequar.

Neque tu verbis ſolves unquam, quod mihi re malè feceris.

Jusjurandum dabitur, te eſſe indignum injuriâ hac; indignis quum egomet ſim acceptus modis.

Cave nunc jam oculos à meis oculis quoquam dimoveas tuos.

Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus quotidie in malâ hæreat.

Verum in iſtam partem potius peccato tamen.

Quid hoc rei eſt! regnumne, Aeſchine, hic tu poſſides?

Quid tibi rei mecum eſt? Tetigine tui quidquam? Si attigiſſes, ferres infortunium.

Nam ſi moleſtus pergis eſſe, jam intro abripiere, atque ibi uſque ad necem operiere loris. *Lora apud veteres,* Laura *dicebantur, à Lauro triumphorum: quâ mos erat captivos vinciri, ducique per pompam.* Ideo *autem ut conditionis reminiſcantur, loris caduntur mancipia. nam* mancipia *dicuntur, quod manu ſint*

sint capta. Servi, *qui servati sunt. quum eos occidi oporteret jure belli.*

Leno sum, fateor. pernicies communis adolescentum.

Perjurus, pestis: tamen tibi à me multa orta est injuria.

Minis viginti tu illam emisti; quæ res tibi vortat malè.

Nam ego liberali illam adsero causa manu. *verba juris sunt. à quibus etiam* Assertores *dicti vindices alienæ libertatis. Nam & causa ipsa* liberalis *dicitur, quæ actionem in se continet libertatis. Vortat malè.* Vertumnus *dicitur Deus, qui ad opinata revertentibus praeest. sæpe autem male cedit, quod bonum putatur; & hoc est malè vertisse: ut ille gladius, qui muneri datus, adminiculum fuerit reginæ pereunti. Virg. Ensemque recludit Dardanium, non hos quæsitum munus in usus.* Liberali manu asserere. *hoc est, liberali judicio natalibus restituere.*

Homini misero plus quingentos colaphos infregit. *hoc est, inflixit. contumeliosa cædes colaphus.* Alapam infligere, *est diductâ manu verberare.* Colaphum infringere, *est compressâ in pugnum manu cædere.*

Verum enim, quando bene promeruit, fiat: suum jus postulat. De argento somnium: mox; cras redi. *singula pronuncianda sunt, quæ solent dicere debitores, ut non reddant, quod debent.* somnium, *proverbio dicimus. significatur inanis & nihili res.* Apud Lucian. *Omnia illa subventanea somnia, sicut ajunt, & verborum umbræ.*

Accipiunda & mussitanda injuria adolescentium est.

Sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes puto. *hoc est, patienda, consideranda cum silentio. Mussitare enim propriè est dissimulandi causâ facere. Dictum vel à muto. vel ab M, quæ est littera nimium pressæ vocis, ac penè nullius, adeo ut sola omnium*

mnium quum inter vocales inciderit, atteratur atque subsidat. Virgil. Mussat Rex ipse Latinus. Alii putant à my, quasi myxin, *quod muti non amplius sonare queant.*

Act. II. Sc. 2.

Nunquam vidi iniquius certationem comparatam, quàm quæ hodie inter nos fuit.

Ego vapulando, ille verberando, ambo defessi sumus.

Adolescenti morem gestum oportuit. *Quod de mollibus materculis meritò dici potest. Quæ suos liberos nimis amando sæpe interimunt. Hic in illam sententiam intellige, quod sc. facilius assentatione capetur.*

Pecuniam in loco negligere, maximum sæpe est lucrum.

Si nunc de tuo jure concessisses paululum, atque

Adolescenti esses morigeratus, hominum homo stultissime,

Ne non tibi istuc fæneraret.

Ego spem pretio non emo.

Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines. *In loco, hoc est, in tempore, ut alibi Terent.* Obsecundare in loco. *Et quæ in loco sunt, aut fiunt, convenienter tempori locove, & attemperatè opportuneque fieri dicuntur.* Salmas. Fæneraret, *absolute hoc loco ponitur. Aliàs cum Accus.* Plinius: *Fænerat sol lumen suum sideribus reliquis.* Martialis. *Quid petis à Phœbo? nummos habet arca Minervæ: Hæc sapit: hæc omnes fænerat una deos.* Spem pretio non emo. *Veluti si quis retium jactum emat in piscando, aut missilium prædam in venatu, aut si aliquid ejusmodi.* Inescare: *ab aucupibus desumptum, qui avibus capiendis offundunt cibum. sic Lenones sunt suis blandimentis.* Plato *voluptatem malorum escam dixit.*

Animus

Animus tibi pendet. Injeci ſcrupulum homini.

O ſcelera! illuc vide, ut in ipſo articulo oppreſſit.

Injeci ſcrupulum homini. Actum agam: ubi illinc rediero, Nihil eſt, refrixerit res. *Actum agam, hoc eſt, nihil agam. quod enim in jure ſemel judicatum fuerit, reſcindi atque iterum agi non poteſt.* Refrixerit. *hoc eſt, refrigeſcit.*

Labaſcit. dividuum face. Minas decem corradat alicunde.

Omnes dentes labefecit mihi! præterea colaphis tuber eſt totum caput.

Etiam inſuper defrudet? *Labaſcit ab arbore deſumptum, quæ multis ſucciſa ictibus, ferri tandem incipit in caſum ponderis, ruinamque minitari.* Dividuum face: *hoc eſt, divide.* Dividuum, *à diviſione.* Dimidium *à dimenſione dictum.*

Hei mihi etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer. *vide Indicem Sors & Uſura.* Defrudet: *hoc eſt, fraude decipiat.* Tuber *eſt genus cibi, collectum ex tumentibus & quaſi prægnantibus arenis.* Tuber *quoque & collus ſive tumor in corpore eminens.* Plin. *tubera bina in dorſo habent cameli.* Tubera *quoque ſunt tumentis terræ calli. Eſt &* tuber *arbor, poma ferens baccis quàm malis ſimiliora: cujus fructus tuberes dicuntur, &c.*

Memorem me dices eſſe & gratum. *Inducitur promiſſio præmiorum. Et benè utrumque narrat. nam non continuo eſt gratus, qui memor.*

Act. II. Sc. 2.

Verum enimverò id demum juvat, ſi quem æquum eſt facere, is benefacit.

Nunquam ita magnificè quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua.

Illius opera, Syre, nunc vivo, feſtivum caput!

Qui

Qui omnia ſibi poſt putavit eſſe præ meo commodo :

Maledicta , famam , meum amorem, & peccatum in ſe tranſtulit.

Act. II. Sc. 4.

In tuto eſt omnis res : omitte verò triſtitiam tuam.

O mi germane ! ah ! vereor in os te laudare amplius.

Ne id aſſentandi magis , quàm quod habeam gratum, facere exiſtimes.

Tali genere atque animo , natum ex tanta familia.

Age, inepte, quaſi nunc non norimus nos inter nos. *In os laudare : κατὰ στόμα ἐπαινεῖν , eſt præſentem laudare.*

Turpe dictu : deos quæſo, ut iſthæc prohibeant.

Hominem iſtum impuriſſimum quam primum abſolvitote ; ne ſi magis irritatus ſiet,

Aliqua hoc ad patrem promanet ; atque ego tunc perpetuo perierim.

Non fiet : bono ánimo eſto : tu cum ille te intus oblecta interim.

Et lectulos jube ſterni , & parari cætera :

Ego jam tranſacta re convortam me domum cum obſōnio.

Ita quæſo : quando hoc bene ſucceſſit , hilarem hunc ſumamus diem. *Convertere ſe , dicitur quem pompa præcedit. & imperator propriè convertit exercitum.* Obſonium *videtur more Attico de piſcib. inintellexiſſe : nam ab Atticis ὄψον ſic uſurpatur.* Sumamus diem : *non accipiamus. hoc eſt, impendamus atque inſumamus. unde & nomen* Sumptus.

E re nata melius fieri haud potuit.

CAP.

CAP. XVI. *Act. IIII. Sc. 2.*

NVnc illud eſt, quod ſi omnes omnia ſua conſilia conferant,

Atque huic malo ſalutem quærant, auxilii nihil adferant.

Tot res repente circumvallant, unde emergi non poteſt. *velut inimica acies.*

Vis, egeſtas, injuſtitia, ſolitudo, infamia.

Hoccine ſæculum! ô ſcelera! ô genera ſacrilega! ô hominem impium!

Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum miſericordia repreſſit, neque reflexit: neque quod partus inſtabat propè.

Cui miſeræ indignè per vim vitium obtulerat.

Me miſerum, vix ſum compos animi: ita ardeo iracundiâ.

Vt ego iram hanc in eos evomam omnem, dum ægritudo hæc eſt recens. *Hujus contrarium eſt, impos animi. Salluſt. neque animo neque lingua ſatis compotem.* Egregria eſt *irati deſcriptio. nam verborum congeries varios per æſtus inſurgit; quam ad rem* ἀσυνδετα *plurimum faciunt. Vt furentium certa indicia, ſint, ait Seneca. Vide, Iræ deſcriptionem apud eundem: audax & minax vultus, triſtis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color verſus, crebrius & vehementius acta ſuſpiria. Flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, &c.* In eos evomam: *metaphora à ſerpentibus ſumpta.*

Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos ulciſcar modo.

Seni animam primum exſtinguerem ipſi.

Vâh! quibus illum lacerarem modis.

Sublimem medium primum arriperem, & capite in terram ſtatuerem,

Vt cerebro diſpergat viam. Adoleſcenti ipſi eriperem oculos: poſt hæc præcipitem darem.

Cæteros

Cæteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & posternerem.

Oppido opportune, te mihi obtulisti obviam.

Quid festinas mi Geta? Animum recipe. *Bene exstinguerem: quia ignis est anima.* Virgil. *Igneus est illis vigor, & cælestis origo. Benè* oculos *adolescenti eriperet, quia amoris indices, & adjutores flagitii.* Sublimem medium: *qui sic tenetur, ut extricare sese nulla ratione possit.* Ruere, *activam vim habet.* Ruere *enim est toto corpore uti ad depellendum: quod faciunt, qui ipsi præcipites alios sternant. Vnde propriè* sues ruere *dicuntur.* Virg. *Ipse ruit, dentesque Sabellicus exacuit sus.* Horat. *Hanc rabiosa fugit canis, ac lutulenta ruit sus.*

Certè, hisce oculis egomet vidi. *Thales Milesius interrogatus, quantum mendacium à veritate distaret,* quantum, *inquit,* oculi ab auriculis. Plaut. *Pluris oculatus testis unus, quàm auriti decem.*

In quo nostra spes, omnesque opes sitæ.

Qui sine hac jurabat se unum nunquam victurum diem.

Hera lacrymas mitte; ac potius quod ad rem hanc opus est, porro consule. Mi homo, sanusne es? *Lacrymis & luctu nihil proficitur. quam in sententiam elegantes sunt versus* Trabeæ *in Harpace:*

> *Here, si querelis, ejulatu, fletibus*
> *Medicina fieret miseriis mortalium,*
> *Auro paranda lacrymæ contra forent.*
> *Nunc hæ ad minuenda mala non magis valent,*
> *Quam næniæ præficæ ad excitandos mortuos.*
> *Res turbidæ consilium, non fletum expetunt.*

Iam primum illum alieno animo à nobis esse, res ipsa indicat.

Nunc si hoc palam proferimus, ille inficias ibit, sat scio.

Tua fama, & gnatæ vita, in dubium veniet.

Quapropter quoquo pacto tacito est opus.

Pejore

Pejore res loco non poteſt eſſe, quam in hoc in quo nunc ſita eſt.

Primum indotata eſt. tum prætereà, quæ ſecunda ei dos erat,

Periit: pro virgine dari nuptum non poteſt. *Pudorem intelligit, qui vere dos altera; vel potius prima. Hinc* Plautus.

Non ego illam dotem mihi duco eſſe, quæ dos dicitur.

Sed pudicitiam & pudorem, & ſedatum cupidinem.

Deûm metum, parentum amorem, & cognatum concordiam.

Quare pulchre Hieronymus: *In pudicitiâ mulie-brium virtutum principatus eſt. hæc pauperem commendat, divitem extollit, &c.*

Tu quantum potes, experiar. *hoc eſt, apud judices agam. verbum* experiri *ſignificat actionem intendere in judicio. Hinc* Cicero *in Quintio: ſi quid in controverſiam veniret, intra parietes aut ſummo jure expireretur.*

Act. III. Sc. 3.

Diſperii: Cteſiphonem audivi filium
Vna ad fuiſſe in raptione cum Aeſchino.
Id miſero reſtat mihi mali, &c.

Raptio ad perſonam refertur. Rapina ad rem. Ratus propriè ad ſtuprum.

Atque hercle hic de grege illo eſt: ſi me ſenſerit

Eum quæritare, nunquam dicet carnifex. *Quaritare, eſt inſtanter quærere.*

Credo abductum in ganeum. *Ganeum dicitur fornix. quaſi Græcè, γάνειον. Ganeum*, ait Pompejus, *antiqui locum abditum*, ab *velut* ſub *terrâ dixerunt. Pro lupanari ac ſcortorũ proſtibulo fere ſemper ſumitur. veteres ganeum, meritoriam tabernam dixerunt.* ἀπὸ

Q τῆς

τῆς γᾶς τέτ' ἐςὶ, τῆς γῆς. *quod ipsa sit in terrâ. non ut canacula superius. Vnde* & taberna, *quasi* trabena, *à validioribus dicta trabibus, quibus superiora suspensa sunt.*

Prô Iupiter hominis stultitiam.

Dedit præterea in sumptum dimidium minæ.

Id distributum sane est ex sententia

Hem huic mandes, si quid rectè curatum voles.

Ironica dictio, plena stomachi.

Est hercle inepta, ne dicam dolo,

Atque absurda, pisces cæteros purga, Dromo:

Congrum istum maximum in aqua sinito ludere

Paulisper: ubi ego venero, exossabitur.

Salsamentaria hæc, Stephanio,

Fac macerentur pulchrè. *Sic ostendit benè obsonasse, qui vivos attulit pisces.* Ludere, *hoc est, non lasum vivere.* natare *etiam possunt languidi pisces.* Purga, *exossa significat*; exossabitur, *comedetur.* Donatus.

Videre videor jam diem illum, quum hinc egens

Profugiet aliquò militatum. O Demea,

Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est videre, sed etiam illa, quæ futura sunt.

Prospicere.

Inepta lenitas patris, & facilitas prava.

Tu quantus, quantus, nihil nisi sapientia es:

Ille, somnium.

An non sex totis mensibus prius olfecissem, quàm ille quicquam cœperit? *Patres sæpe in causâ sunt, quod peccent liberi,* Totis mensib. *hoc est, integris, quasi longi sint.* Olfecissem: *totum ridicule. nam quid olfecisset, qui nondum quicquam scire cœpisset, cujusque naribus nihil objectum fuisset? nam ideo* nares à naritate *dicta sunt, quod nos odoratu doceant præsto & prope esse, quod adhuc oculi non vident.*

Vt

Vt quisque suum vult esse, ita est.

Adortus jurgio fratrem apud forum, de Psaltria isthac.

Intervenit homo de improviso: cœpit clamare, ô Aeschine,

Hæccine flagitia facere te? hæc te ad mittere

Indigna genere nostro?

Domi habuit, unde disceret. Cicero: domi ista nobis discuntur, *hoc est, hæc oratorum sunt propria. id domi quoque habemus quod in nobis situm, neque necesse est, ab aliis mutuo sumere.*

Inspicere, tanquam in speculum, in vitas omnium

Iubeo, atque ex aliis sumere exemplum sibi. *igitur Anacharsis Scytha interrogatus, pacto quis abstemius fieret; respondit: si ebriosorum mores sibi ob oculos ponat. Et Plato voluit, ut ebrii se suosque mores in speculo contemplarentur.*

Non hercle otium nunc mihi auscultandi: pisces ex sententia nactus sum.

Hi mihi ne corrumpantur, cautio est.

Conservis ad eundem isthunc præcipio modum:

Hoc salsum est, hoc adustum est, hoc lautum est parum,

Illud rectè: iterum sic memento: sedulo

Moneo quæ possum, pro mea sapientia.

Postremo, tanquam in speculum, in patinas, Demea,

Inspicere jubeo: & moneo, quid facto usus sit.

Verum quid facias? ut homo est, ita morem geras.

Numquid vis? DE. mentem vobis meliorem dari.

Homo amicus nobis jam inde à puero. Dii boni,

Ne illusmodi jam nobis magna civium

Penuria eſt. antiquâ homo virtute ac fide :
Quàm gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias reſtare video : vah! vivere etiam nunc libet.

CAP. XVII. *Act. III. Sc. 4.*

PRô Dii immortales! facinus indignum, Geta, quid narras?
Ex illane familiâ tam illiberale facinus eſſe ortum? ô Æſchine, pol haud paternum iſtuc dediſti. *hoc eſt, feciſti. adde facinus.*
Te ſolum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendavit, Senex.
Si deſeris tu, periimus.
Salvere Hegionem plurimum jubeo. *Nemo enim moriens non vera loquitur & urgentia. unde in jure ultima judicia certiora ſunt.*
Neque boni, neque liberalis functus eſt officium viri.
Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia:
Humanum eſt. *Nox & amor vinumque nihil moderabile ſuadent. Illa pudore vacat: Liber, amore, metu. Pulchrè Parens meus,* E. Neuhuſius *in Poëmatibus ſuis:*

Mente caret Bacchus: nox fronte, Cupido pudore.
Et loca ſola metu: quattuor iſta fuge.

De muliere notum illud eſt Græcum: ἐκ τοῦ ὁρᾷν γίνεται τὸ ἐρᾷν. *Vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis.* D. Hieronymus.
Venit ipſus ultro, lacrymans, orans, obſecrans,
Fidem dans, jurans ſe illam ducturum domum.
Compreſſu gravida facta eſt: menſis hic decimus.
Ille bonus vir nobis pſaltriam, ſi Dis placet,
Paravit, qui cum vivat: illam deſerat. *Orare eſt placidos petere. Obſecrare, eſt iratos rogare. Cic. orare & rogare conjungit.* menſis decimus: *Mirum pleriſque videtur eſſe, cur olim decimo menſe mulieres parerent,*

parerent, cum hodie nono soleant. Sed breviores erant veterum menses, quàm nostri, cum ad Lunæ cursum eos metirentur, non solis. Hinc Virgilius : *Matri longa decem tulerint fastidia menses.*

Mater virginis in medio est ; ipsa virgo ; res ipsa, &c. *Res ipsa, id est, pondus uteri, exactis ad pariendum mensibus.* In medio est ; *quasi retineri non possit, nec cohiberi, quin rem probet. lentius dixisset :* præsto est.

Præterea, ut captus est servorum, non malus,

Neque iners, alit illas. Solus omnem familiam

Sustentat. *Captus servorum : an, ut captus est servorum, quemadmodum sæpe aucupium in servis habendis bonum evenit? sive : ut se habet conditio servorum.* Donat.

Miseram me, differor doloribus.

Iuno Lucina, fer opem : serva me obsecro.

Hæc fidem nunc vestram implorat, Demea.

Quod vos vis cogit, id voluntate impetret. *Iuno Lucina, Diana est, quæ à parturientibus invocabatur, teste Macrobio, sic dicta, quod partum ferret in lucem. Luna & Lucina Synonyma sunt. Invocant Iunonem Lucinam in pariendo, quod ii maturescunt, aut septem nonnunquam, aut ut plerunque novem Lunæ cursibus. Synonyma verè sunt,* Luna & Lucina. Menses *dicti, quod mensa spatia conficiunt.*

Vna à pueris parvulis sumus educati : una semper militiæ & domi fuimus.

Paupertatem una pertulimus gravem.

Quam estis maximè Potentes, dites fortunati, nobiles :

Tam maximè vos æquo animo æqua noscere

Oportet, si vos vultis perhiberi probos.

Verum nimia illæc licentia profectò evadet in aliquod magnum malum.

Ibo ut in eum hæc evomam *Nimia licentia* : Plutarchus, *Novi quosdam parentes, quibus nimius amor*

 sobolis,

ſobolis, cauſa fuit, ut illam non amarint amplius.

Act. IV. Sc. 1.

Vtinam quidem, quod cum ſalute ejus fiat, ita ſe defatigarit velim, ut triduo hoc perpetuo prorſum è lecto nequeat ſurgere.

Hunc diem miſerè nimis cupio, ut cœpi, perpetuum in lætitiâ degere.

Vah! quam vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari.

Quin tu otioſus es: ego illius ſenſum pulchrè calleo.

Cum fervit maxime, tam placidum, quàm ovem reddo.

Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum. virtutes narro.

Homini ilicò lacrymæ cadunt quaſi puero, gaudio.

Lupus in fabula. *ſilentii indictio eſt hoc prov. Lupum vidiſſe hominem dicimus, qui repentè obmutuerit. quod fere iis evenit, quos prior viderit lupus. ut cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce & verbis careat. Hinc* Virgil, *vox quoque Mœrin Iam fugit ipſa, lupi Mœrin videre priores.* Apud illum Deum, *hoc eſt, vir ſingularis ac ſummus.* Laconib. *peculiare erat, cum vehementer quempiam admirarentur,* Divum virum *appellarent. Idem commemorat* Socrates *apud* Platonem. *Et Lacones*, ait, *quoties laudant aliquem virum bonum, divinus, inquiunt, vir hic.*

Act. IV. Sc. 2.

Næ ego homo ſum infelix! primum fratrem nuſquam invenio gentium.

Niſi me credo huic eſſe natum rei, ferundis miſeriis,

Primus ſentio mala noſtra: primus reſciſco omnia. primus porrò obnuncio: ægre ſolus ſi quid fit,

fit, fero. *Solamen misero est, socios habuisse malorum.*

Vide ne ille huc prorsus se irruat

Nunquam hercle hodie ego istuc committam tibi.

Nam me jam in cellam aliquam cum illâ concludam, ita tutissimum est.

Non hercle hic quidem durare quisquam, si sic fit, potest. *Cella & cellarium à reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis dicitur. sic dicimus,* concludere aliquem in locum. *Vt arctius asservaretur, cellam hic dicit.* Durare: *Durandi verbum fullonum erat proprium, quod vestu coacta & incretata durescat. Syrus hoc verbo se verberatum indicat.*

Ctesipho me pugnis miserum, & istam Psaltriam, usque occidit.

Hem, vide, ut discidit labrum!

Non puduisse verberare hominem senem,

Quem ego modo puerum tantillum in manibus gestavi meis. *Hi veteribus vocabantur* Torarii & Toranii, *deducta voce* à Toris, *id est, ulnis. Eleganter Græcis,* ἀλ[illegible]οτρόφος, *qui in ulnis suis assiduè gestitando alumnum nutricaret.* SALMAS.

Diminuetur tibi quidem jam cerebrum.

Nostine porticum, apud macellum, hanc deorsum?

Præterito hac recta platea sursum: ubi eo veneris.

Clivus deorsum vorsus est: hac te præcipitato. postea est ad hanc manum sacellum. Ibi angiportum propter est. *Propter hoc est, prope.* Virg. *templum de marmore ponam Propter aquam.* Et Lucret. *Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ.* Porticus *olim ædificata erant propter imbres evitandos & propter umbram captandam.* Romæ *in singulis regionibus aliquot erant porticus.*

Id angiportum non est pervium. Sane hoc multo propius ibis, & minor est erratio.

Vbi eas præterieris, ad sinistram hac recta platea: ubi ad Dianæ veneris,

Ito ad dextram prius, quàm ad portam venias: apud ipsum lacum est Pistrilla, & ex adversum est fabrica: ibi est.

Quid ibi facit? Lectulos in sole ilignis pedibus faciendos dedit. *Angiportus est angusta via, quasi anguiportus. In urbe sunt viarum genera tria. Vici, qui latiores exitus habent.* Fundulæ *à fundo, quæ exitu carent.* Angiportus, *hinc dicti, quod propter angustiam nihil per eos agi possit in portus maris.* Pistrilla, *hoc est, pistrina.* Lectulos: *solitum convivium instrui, in urbe, aut in sole, aut in umbra pro conditione temporis* ilignis *hoc est, ligno solido ilicis, ob firmitatem.*

I sane, ego te exercebo hodie, ut dignus es, silicernium. Ctesipho in amore est totus. *Cana, quæ infertur Diis Manib. quod eam silentes cernant, id est, umbra possideant. vel, quod hi, qui hac inferant, cernant tantum, neque degustent. nam de his, quæ libantur inferis, quisquis comederit, aut biberit, funestatur. Aut erit* silicernium, *senex, jam jam silentibus umbrisque cernendus. vide de hoc plura dicentem* Salmas. *in Edit. Hackiana pag.* 502.

Nam jam adibo, atque unum quidquid, quod quidem erit bellissimum

Carpam, & cyathos sorbilans hunc producam diem. Plaut. *Hem mihi jam video propter te victitandum sorbilo.*

CAP. XVIII. *Act. IV. Sc.* 3.

MEum officium facio: quod peccatum à nobis ortum est, corrigo.

Nunquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.

Nam & illi animum jam relevabis, quæ dolore ac miseria tabescit.

Omnes,

Omnes, quibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt neſcio quomodo, ſuſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis:

Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi.

Act. IV. Sc. 4.

Diſcrucior animi: hoccine de improviſo mali mihi objici

Tantum, ut neque quid me faciam, nec quid agam, certum ſiet?

Membra metu debilia ſunt: animus timore obſtupuit.

Pectore conſiſtere nihil conſilii quit, vah!

Quomodo me ex hac expediam turba

Tantâ? nunc ſuſpicio de me incidit.

Sat adhuc tua nos fruſtrata & fides

Hem, quid iſthuc obſecro inquam eſt! valeas; habeas illam, quæ placet.

Id metuo ut credant: tot concurrunt veriſimilia.

Aperite aliquis actutum oſtium, prodit neſcio quis: concedam huc.

Act. IV. Sc. 5.

Sed quis oſtium hoc pultavit?

Tune has pepuliſti fores?

Nam mirabar quid hîc negotii eſſet tibi. Erubuit, ſalva res eſt. *Ariſtoteles inquit, pudorem in ætate adoleſcentiore commendationem, in confirmatâ virili, vituperium mereri. Eſt enim tremor juſti vituperii, quod in virum cadere eſt probroſum; in adoleſcentem, tolerabile, & veniâ dignum.*

Factum à vobis duriter, immiſericordialiterque.

Quid illi tandem creditis fore animi miſero, qui cum illâ conſuevit prius.

An ſedere oportuit domi virginem tam grandem?

 Ita

Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater.

Nam ingenium tuum novi liberale: sed vereor ne indiligens nimium sies.

In quâ civitate tandem te arbitrare vivere?

Virginem vitiasti, quam te jus non fuerat tangere. *sic Cic. Prô Dii immortales! ubinam gentium sumus?*

Iam id peccatum, primum magnum: magnum, at humanum tamen: Fecere alii sæpe, item boni.

Dormienti hæc tibi confecturos deos?

Nolo cæterarum rerum te socordem eodem modo. Sallust. *Non votis neque suppliciis muliebrib. auxilia deorum parantur; sed vigilando, bene consulendo, &c.*

Obsecro non ludis tu nunc me?

Dii me, pater, omnes oderint, ni magis te, quam oculos nunc amo meos.

Abi domum ac deos comprecare, ut uxorem arcessas. *Plinius in Panegyrico: Bene itaque ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere: quod nihil ritè nihilque providenter homines, sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur.*

Hiccine non gestandus in sinu?

Tu potius deos comprecare. *videtur hoc pro sacris & sacrificiis positum. nec enim conjux duci, neque ager coli sine sanificiis poterat.*

Act. IV. Sc. 7.

O stulte! tu me de Psaltriâ somnias agere? hoc peccatum in virginem est civem. *Lex Solonis erat, Qui virgini ingenua vim intulerit, drachmis centum mulctator. Postea lege sancitum est, ut is, qui virginem imminuerat, eam in uxorem duceret.*

Dii benè vortant. Quid facias si non ipsa re tibi istuc

istuc dolet. *simulare certè est hominis. Non quod quis mentiri debeat: sed quia sæpe iracundiæ simulatio, custodia disciplinæ est.*

Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris:

Si illud quod maxime opus est jactu, non cadit,

Illud quod cecidit fortè, id arte ut corrigas.

Aliquò abjicienda est, si non pretio, gratiis.

Prô divum fidem! Meretrix & Materfamilias una in domo?

Factum credo, ut habeas qui cum cantites, *sc. carmen amatorium. quale fuit bubsequa* Virgiliani*: Formosam resonare doces Amaryllida sylvas.*

Tu inter eas restim ductans saltabis.

Iam verò omitte, Demea, tuam isthanc iracundiam. *Restim ductans: à Virgiliano illo videtur sumptum: Funemque manu contingere gaudent.*

O Iupiter, hanccine vitam! hoscine mores! hanc dementiam! uxor sine dote veniet: intus Psaltria est: domus sumptuosa: adolescens luxu perditus:

Senex delirans: ipsa si cupiat Salus

Servare prorsus hanc familiam non potest.

Hilarum ac lubentem te fac Gnati in nuptiis. *Agellius: lubentiæ conviviorum sunt lautitiæ, & quæ ultro citroque reciprocant invitationes.* Plaut. *nec salus saluti esse, si cupias, potes.* Salus, *à Romanis non aliter ac à Græcis* ὑγίεια, *cujus ædes à. C. Iulio* Bu-*bulco censore locata fuit. Romæ ab antiquis* Salus *effingebatur mulieris formâ, in solio sedentis, pateram tenentis, apud quam ara erat, cui anguis involutus caput attollebat.*

Act. V. Sc. I.

Aedepol, Syrisce, te curasti molliter,

Lauteque munus administrasti tuum.

Abi. Sed postquam intus sum omnium rerum satur,

Prodeambulare huc libitum est.

Illud sis vide Exemplum disciplinæ. illud sis. Sis, *Pro*, si vis, *veterib. usitatiss.*

Ohe ! jam : tu verba fundis hic, sapientia ? Quasi re bene gesta. *Rem gerere, dicebant propriè cum hostib. confligere.* Horat. *Rem gerere, & captos ostendere civib. hostes, Attingit solium Iovis.*

Act. V. Sc. 2.

Est alius quidam, parasitaster parvulus :

Nostine ?

Non manum abstines Mastigia ?

An tibi jam mavis cerebrum dispergam hîc ? *Mastigia est Latinis mancipium, quod aut flagris caditur, aut certe iisdem dignum est.*

Ædepol commessatorem haud commodum.

Nisi dum hæ silescunt turbæ, interea in angulum

Aliquò obeam, atque edormiscam hoc villi. *Ingrata est parentum præsentia in liberorum hilaritatibus.* Igitur *Menander :*

Ὁ σκληρὸς ἀνὴρ ἐστιν ἐν νέοις γέρων.

Cicero aliter 1. Off. *Adolescentes cum relaxare animos, & dare se jucunditati volent, caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod erit facilius, si ejusmodi quoque rebus majores natu interesse velint.* Villum, *est diminut, à vinum : sicut ullus ab unus.*

Act. V. Sc. 3.

O Cælum, ô Terra, ô maria Neptuni !

Paratæ lites. succurrendum est.

Eccum adest communis corruptela nostrum liberûm ?

Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.

DE.

DE. Repressi, redii: mitto maledicta omnia:
Rem ipsam putemus.

Quando ego tuum non curo, ne cura meum.

Vetus verbum hoc quidem est: *communia esse amicorum inter se omnia. Re atque verbo Romano dicitur, sive Græco potius κοινόβιον, id est, Cœnobium: nimirum à vita fortunarumque societate.* Martialis *in quendam candidum, cui semper hoc adagium in ore, cum tamen amicis nihil impartiret:*

Candide, κοινὰ φίλων, sunt hæc tua, Candide, πάντα,
Quæ tu magni loquus nocte diéque sonas.

De summa nihil decedet: quod hinc accesserit, id de lucro putato esse omne.

Multa in homine, Demea, signa insunt, ex quibus conjectura facile fit.

Duo quum idem faciunt, sæpe, ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit.

Scire est liberum ingenium, atque animum: quo vis illos tu die
Reducas: at enim metuas, ne ab re sint tamen
Omissiores paulò. O noster Demea,
Ad omnia alia ætate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium Senectus adfert hominibus,
Attentiores simus ad rem omnes, quam sat est:
Quod illos sat ætas acuet.

Tace; non fiet: mitte jam isthæc: da te hodie mihi. Exporrige frontem. Ita tempus fert, faciundum est.

Cum primo lucu ibo hinc. Hodie modo hilarum fac te. *veteres dicebant lucum, pro luce. pro sole ponentes. hoc est, igitur: cum sol primum cœperit lucescere.* Horat. *sollicitam explicare frontem. sic dicimus*

corru-

corrugare frontem, caperare, contrahere. spem frontē serenat. *Hinc & alia: frons matutina, frons nubila contracta, &c.* Plaut. *Caperat frons severitudine,* quod quidem à caprinis cornibus deducunt.

Eo pacto prorsum illic alligaris filium. DE. Ego istuc videro, atque illi favillæ plena, fumi ac pollinis

Coquendo sit, faxo. & molendo: præter hæc

Meridie ipso faciam ut stipulam colligat.

Tam excoctam reddam, atque atram, quàm carbo est. *Ligare est alicui injicere vincula. Proprie ad amicam alligari adolescentem dicimus.* Molere *prius est quàm coquere: sed illud prius posuit, quo pulchritudo magis fadatur.* Coquendo sit faxo. *hoc est, ne ametur.* Meridiem *dixerunt Veteres, quasi* Medidiem. ut stipulam colligat: *quod sub sole fieri necesse est.*

Tum etiam si nolit, cogam, ut cum illâ una cubet.

I ergo intro, & cui rei opus est, ei hilarem hunc sumamus diem.

CAP. XIX. *Act. V. Sc.* 4.

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,

Quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi.

Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias.

Et quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Facilitate nihil est homini melius, neque clementiâ.

Ille suam semper egit vitam in otio & conviviis.

Clemens, placidus, nulli lædere os, arridere omnibus.

Sib

Sibi vixit : ſibi ſumptum fecit : omnes benedicunt, amant.

Ego ille agreſtis, ſævus, triſtis, parcus, truculentus, tenax,

Duxi uxorem , quam ibi miſeriam vidi ! nati filii.

Alia cura.

Contrivi in quærendo vitam atque ætatem meam.

Nunc exacta ætate hoc fructi pro labore ab his fero,

Odium.

Ille alter ſine labore patria potitur commoda.

Illum amant , me fugitant. illi credunt conſilia omnia,

Illum diligunt : apud illum ſunt ambo : ego deſertus ſum.

Nulli lædit os , hoc eſt, neminem offendit, vel pudore affecit. id fit , cum moleſtum verbum proferimus, quo ſe læſum teſtatur ipſo vultu, in quem dictum eſt.

Illum ut vivat , optant : meam autem mortem exſpectant.

Miſeriam ego omnem capio , hic potitur gaudia.

Ego quoque à meis me amari , & magni pendi poſtulo.

Act. V. Sc. 7.

Occidunt me quidem , dum nimis ſanctas nuptias ſtudent facere. in apparando totum conſumunt diem.

Qui te amant plus quam hoſce oculos.

Sed cur non domum uxorem accerſis ? *Vxores quaſi* unxores. *Moris fuit , ut puellæ nubentes, ſimul ac veniſſent ad limen mariti, poſtes , antequam ingrederentur , ornarent laneis vittis, & oleo ungerent. ſic & Dea* Vnxia *his ſacris præfuit.* Plinius : *novas nuptas adipe lupino poſtes inungere ſolitas, ne quid mali me-*

li medicamenti inferretur. Dum nimis ſanctas : *ſanctum*, ait Feſtus, *veteres dicebant, quicquid ſplendide apparatum , magnificum , & lautum eſſet.* Occidunt me *: ſcilicet de alieno cùm ſint liberales.*

Verum hoc mihi moræ eſt , Tibicina, & Hymenæum qui cantent.

Miſſa hæc face, Hymenæum, turbas , lampadas, tibicinas :

Atque hanc in horto maceriam jube dirui,

Quantum poteſt *:* hac transfer. unam fac domum.

Traduce & Matrem,& familiam omnem ad nos. *Maceria eſt paries demaceratus.* Varro *eſſe dicit congeriem lapidum ſine cœmento. Præter lampada erat & tibia , quæ dum deduceretur nova nupta , inflabatur. quod* in Plauti Caſina *liquet : Age tibicen , dum illam educunt huc novam nuptam foras , ſuavi cantu concelebra hanc plateolam.* Apulejus Mileſ. 4. *Iam feralium nuptiarum miſerrimæ virgini choragium ſtruitur , jam tædæ lumen atræ fuliginis cinerem accerſit. & ſonus tibiæ Zigiæ mutatur in querulum lydii modum, cantuſque lætus hymenæi,lugubri finitur ululatu, & puella nuptura deterget lacrymas ipſo ſuo flammeo.* HYMENÆUS : ἀπὸ τῶ ὑμνῳδεῖν , τῶτ' ἔςι ὁμονοεῖν , *quod concorditer noviter maritatos ſemper vivere optarent.*

Act. V. Sc. 8.

Parere jam diu hæc per annos non poteſt.

Nec , qui eam reſpiciat, quiſquam eſt. ſola eſt

Novus maritus anno demum quinto & ſexageſimo

Fiam ! atque anum decrepitam ducam ?

Idne eſtis authores mihi ? *decrepitam : cui ſæpe moribunda crepuerit planctu familia, hoc eſt, clamaverit.* Morum *diſſimilitudo , ait* Ariſtoteles , *haud quaquam conſtare amicitiam poteſt.* Antigonus Deme-

metrio Poliorcetæ *suasit, juveni admodum*, Phillam *uxorem duceret: quumque is, ut decrepitam anum aspernaretur, insusurrarit pater* Euripideum *illud*: ubi affulserit lucrum, ibi verò præter naram ducenda uxor. *sed experientia testatum facit, quam sæpe infidi sint amores, qui pecuniâ conciliantur.*

Vitium commune omnium est, quod nimium ad rem in senectâ attenti simus:

Hanc maculam nos decet effugere.

Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo.

Suo sibi gladio hunc jugulo. *id est, suo proprio gladio.* Suum sibi, *valet suum proprium.* Plaut. *Quo pacto serviat suo sibi patri.* Iterum: *inscientes suâ sibi fallacia.* Erasmus: *suo gladio jugulari dicitur, qui suis ipsis dictis convincitur; Desumptum ab illis, qui in bello propriis armis cadunt.*

Act. V. Sc. 9.

Res apparet: & quidem porro hæc; obsonare cum fide,

Scortum adducere, apparare de die convivium.

Non mediocris hominis hæc sunt officia. Sy. ô lepidum caput!

Siquidem tu vis, Syre, eho accede huc ad me, liber esto. *De manumissione servorum, vide alibi in Indice.*

Vtinam! hoc perpetuum fiat gaudium,

Phrygiam ut uxorem meam unà mecum videam liberam,

Hodie primum mammam dedit hæc.

Dii tibi, Demea, omnes semper omnia optata offerunt.

Syræ processisti hodie pulchrè.

Quæ

Quæ res tamen repente mores mutavit tuos?
Quod prolubium? quæ isthæc subita est largitas?
Prolubium: quod Græci προθυμίαν *vocant. id est, promptus animus ad largiendum.* Proluere, *est decoquere, bona sua lancinare, &c.*

FINIS ADELPHORUM.

ELECTA

ELECTA TERENTIANA

Ex

HECYRA.

CAP. XX.

PROLOGUS.

HEcyra est huic nomen fabulæ: hæc cum data est

Nova, novum intervenit vitium & calamitas. *Dari dicitur fabula, quum agitur.* Stare, *cum placet.* Vitium est, *si tonet tantum & grandinet simul & etiam fulminet. Translatio ab augurio.* Et vitio creari *dicuntur Coss.* Calamitas, *παρὰ τὴν καλάμην dicitur: clades, quia clamatur: ut aliud sit grandinis culmum frangentis, aliud furti, aut doli mali.*

Ita populus studio stupidus in funambulo

Animum occuparat. *Funambuli sunt, qui per funem intensum ingrediuntur.* Petron.

Stuppea suppositis tenduntur vincula lignis,

Quæ super aërius prætendit crura viator.

Orator ad vos venio, sinite exorator ut sim. *Oratorem audire opportere, jus gentium est: oratorem non licet injuriam pati.* Plaut. *Impia, secretè oratorem verberas.*

Novas qui exactas feci ut inveterascerent

Ne cum Poëta scriptura evanesceret,

Quia dubiam sciebam fortunam esse scenicam.

Spe incertâ certum mihi laborem sustuli.

Vbi sunt cognitæ, placitæ sunt. Ita poetam restitui in locum.

Prope jam remotum injuriâ adversarium

Ab

Ab ſtudio, atque ab labore, atque arte Muſicâ.
Vt in otio potius eſſet, quàm in negotio.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per ſilentium
Nunquam agere licitum eſt, ita eam oppreſſit calamitas.
Eam calamitatem veſtra intelligentia
Sedabit, ſi erit adjutrix noſtræ induſtriæ.
Comitum eventus, ſtrepitus, clamor mulierum
Fecere, ut ante tempus exirem foras. *Republicâ Romæ conſtituta, ne turbæ eſſent in theatro, ſuus cuique locus attributus eſt. Orcheſtra Senatoribus; quatuordecim ordines Equitibus; media cavea viris; ſumma fæminis. Viatoribus quoque tribunitiis ſuus locus.* Tacitus lib. 16. *Liberto,* inquit, *accuſatori præmium locus in theatro inter viatores tribunitios datur.* Deſignator *viros illuſtres ſeſſum ducebat, priuſquam hiſtriones in ſcenâ ſtarent.* Plaut. in Pœnulo: *Ne Deſignator præter os obambulet, Ne ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcena ſtat.*
Quum interea rumor venit, datum iri gladiatores, populus convolat, tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Ego interea meum non potui tutari locum.
Nunc turba nulla eſt; otium & ſilentium eſt.
Vobis datur poteſtas condecorandi ludos ſcenicos. *Val. Max. lib. 2. cap. 1. Romæ theatra inchoata ſunt, anno V. C. C. I X C. Meſſala & Caſſio Cenſoribus, ſed authore P. Scipione Naſica omnem apparatum operis eorum ſubjectum haſtæ venire placuit. Vide plura hoc loco pag. 572.* Per *quingentos autem & quinquaginta annos Senatus populo miſtus ſpectaculo ludorum interfuit. Hunc morem Attilius Serranus & L. Scribonius Aediles immutarunt, &c.*
Nolite ſinere per vos artem muſicam
Recidere ad paucos: facile ut veſtra authoritas

Meæ

Meæ authoritati fautrix adjutrixque sit.
Si nunquam avarè pretium statui arti meæ,
Et eum esse quæstum in animum induxi maximum,
Quam maximè servire vestris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum, & se in vestram commisit fidem.

Act. I. Sc. I.

Per pol quam paucos reperias meretricibus
Fideles evenire amatores.
Vel hic Pamphilus jurabat quoties Bacchidi,
Quam sanctè!
Et moneo & hortor, ne cujusquam misereat,
Quin spolies, mutiles, laceres, quemquam nacta sis.

PH. Vtin' eximium neminem habeam? Sy. neminem. *Eximia pecora dicuntur, quæ à grege excepta sunt. Propriè* Eximii *sunt porci majores qui ad sacrificandum excepti liberius pascuntur: Etiam boves, qui ad hoc electi sunt, Egregii dicuntur.* Virgil. *lectas de more bidentes.*

Quin ita paret sese, abs te ut blanditiis suis
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.

Act. I. Sc. 2.

Aedepol te desiderium Athenarum arbitror,
Philotium. PH. non dici potest,
Quam cupida eram huc redeundi, abeundi à milite,
Vosque hîc videndi, antiquâ ut consuetudine
Agitarem inter vos liberè convivium.
Nam illic haud licebat, nisi præfinito, loqui.
sc. loco, tempore, modo.(Cujus vide exemplum in Asin. Plauti Act. 4. Sc. I. Suspiciones omnes abs se segreget, &c.

Ego

Ego nunquam credidi fore, ut ille hac vivâ posset

Animum inducere uxorem habere.

Habet, sed firmæ hæ vereor ut sint nuptiæ.

Ita dii deæque faxint, si in rem est Bacchidis.

Non est opus prolato: hoc percontarier desine.

Nunquam dices tam commodè, ut tergum meum

Tuam in fidem committam.

Ita me dii amabunt, haud propterea rogo. *pro, ament. Fit allusio ad servorum pænam, quorum tergum erat flagellorum & stimulorum seminarium & seges.*

At te dii deæque perduint, cum isthoc odio, Laches.

Vt ad pauca redeam, uxorem deducit domum.

Nocte illâ primâ virginem non attigit.

Quæ consecuta est nox, eam nihilo magis.

Quid ais? cum virgine una adolescens cubuerit

Plus potus, se illâ abstinere ut potuerit?

Non verisimile dicis: nec verum arbitror.

Diebus sane pauculis Post, Pamphilus me solum seducit foras,

Narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet.

Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.

Maligna multo, & magis procax facta ilico est.

Atqui ea res multo maxime disjunxit illum ab illâ:

Postquam & ipse se & illam, & hanc quæ domi erat, cognovit satis. *Malignus est, qui difficultatem sui ostendit.* Procax, *quæ petax & dispoliatrix.* Virgil. *Procacib. austris, hoc est, impudentibus. Hinc* Proci Penelopes, *qui vehementer illam petierunt.* Postquam & ipse se: Dotes honestæ uxoris *hic varia enumerantur. Philumena exemplo honesta matrona proponitur. prima est* liberalitas *ingenii, quæ omnem*

omnem fucum excludit. ſecunda eſt pudor, *quare Demades pudorem in muliere τῦ κάλλυς ἀκρόπολιν eſſe dicebat.Tertia eſt*, Modeſtia, *qua eſt σωφροσύνη, & ad voluptates, & ad veſtitum refertur, & utrobique moderationem ſtatuit. Laudanda igitur* Philonis *uxor, qua pro ornamento ſibi ſufficere virtutem ajebat. Et bene ſtatuunt Graci, γυναικὸς μάλιστα ἀρετὰ σωφροσύνα. Quarta eſt*, Patientia, *quâ mariti injurias perfert. Quinta*, Paritas conjugii, *& Gracis dicta συζυγία. Eſt enim uxor laborum domeſticorum & fortunarum ſocia.*

Ita uti liberali eſſe ingenio decet, Pudens, modeſta: incommoda atque injurias Viri omnes ferre, & tegere contumelias.

Atque huc tranſtulit amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt. *hoc eſt, eandem voluntatem. nam idem velle, idem nolle, ea demum firma amicitia eſt.* Salluſt.

Ea ad hos redibat lege hereditas. Rus abdidit ſeſe, huc rarò in urbem commeat.

Quid ad huc habent infirmitatis nuptiæ?

Primo dies compluſculos bene conveniebat ſane inter eas: interim miris modis odiſſe cæpit Soſtratam.

Neque lites ullæ inter eas, poſtulatio nunquam,

Act. II. Sc. 1.

Prô Deûm atque hominum fidem! quod hoc genus eſt? quæ hæc eſt conjuratio?

Vt omnes mulieres eadem æque ſtudeant, nolintque omnia:

Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio ullam reperias? *Menander*: Γυνὴ γυναικός πόποτ' οὐδὲν διαφέρει, *à famina nil femina unquam diſcrepat.*

Itaque adeo uno animo omnes ſocrus oderunt nurus:

Viris

Viris esse advorsas: æque studium est, similis pertinacia est.

In eodemque omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam:

Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse satis certò scio. *Eodem in ludo doctos dicimus, qui similibus vitiis laborant, & improbitate pares sunt. Et ut* Plato ait: *in eodem quasi furno cocta, aut eadem currente rota efficta.*

Meque abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces.

LA. scio: Te immeritò? an quicquam pro istis factis dignum te dici potest?

Quæ me, & te, & familiam dedeceras: filio luctum paras

Tum autem, ex amicis inimici ut sint nobis adfines, facis:

Tu inquam, mulier, quæ me omninò lapidem, non hominem putas.

An quia ruri crebrò esse soleo, nescire arbitramini

Quo quisque pacto hic vitam vestrorum exigat?

Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero famâ foris. *hoc est, qualis vestra vita hîc in urbe est, talia ego ruri audio. Ita, si vos rectè vixeritis, bene audio. sin prave, malè.*

Gaudeo, ita me dii ament, gnati causâ: nam de te quidem,

Satis scio, peccando detrimenti nihil fieri potest. *servas, inquit, numerum peccatorum, nec fit ullum copiæ detrimentum. sed quum plurimum delinquas, tantumdem semper admittitur.*

Act. II. Sc. 2.

Et si scio ego, Philumena, meum jus esse, ut te cogam,

Quæ

Quæ ego imperem, facere: ego tamen patrio animo victus, faciam

Vt tibi concedam: neque tuæ lubidini adversabor.

Vt mea facilitas corrumpat illorum animos. *hoc est, indulgentia.*

Si quid est peccatum à nobis, profer:

Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,

Te judice ipso.

Ego sum animo leni natus: non possum adversari meis.

Act. II. Sc. 3.

Aedepol nos sumus mulieres inique æque omnes invisæ viris

Propter paucos: quæ omnes faciunt, dignæ ut videamur malo.

Nam ita me dii ament, quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam.

Sed non facile est expurgatu: ita animum induxerunt, socrus

Omnes esse iniquas, haud pol me quidem: nam nunquam secus

Habui illam, ac si ex me esset nata.

CAP. XXI. *Act. III. Sc. 1.*

NEmini ego plura acerba credo esse ex amore homini unquam oblata,

Quam mihi. heu me infelicem. hancine ego vitam parsi perdere?

Cui quanto fuerat præstabilius, ubivis gentium agere ætatem,

Quàm huc redire, atque hæc ita esse miserum me rescíscere?

Sic, citius qui te expedias his ærumnis, reperias.

R Si non

Si non rediisses, hæ iræ factæ essent multo ampliores.

Rem cognosces: iram expedies: rursum in gratiam restitues.

Levia sunt hæc, quæ tu pergravia esse in animum induxti tuum.

An quisquam usquam gentium est æquè miser?

Priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum.

Tamen nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater.

Vix me illinc abstraxi, atque impeditum in ea expedivi animum meum.

Nam matris ferre injurias me, Parmeno, pietas jubet.

Tum uxori obnoxius sum: ita olim sua me ingenio pertulit: tot meas injurias.

Sed magnum nescio quid necesse est evenisse, Parmeno,

Vnde ira inter eas intercessit, quæ tam permansit diu.

Non maximas, quæ maximæ sunt interdum iræ, injurias

Faciunt: nam sæpe est, quibus in rebus alius ne iratus quidem est. *hoc est, levi quandoque irritatur offensa iracundus.*

Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt!

Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.

Itidem illæ mulieres sunt fermè ut pueri, levi sententiâ:

Fortasse unum aliquod verbum inter eas iram hanc conciverit.

Nescio quod magnum malum profectò, Parmeno, me celas.

Act. III.

Act. III. Sc. 2.

Malè metuo, ne Philumnæ magis morbus aggravescat:

Quod te, Aesculapi, & te, Salus, ne quid sit hujus, oro.

Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit ægra?

Nam qui amat cui odio ipsus est, bis facere stultè duco.

Hem isthoc verbo animus mihi rediit, & cura ex corde excessit.

Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente invasit?

Act. III. Sc. 3.

Nequeo mearum rerum initium ullum invenire idoneum,

Vnde exordiar narrare, quæ nec opinanti accidunt.

Partim quæ perspexi his oculis; partim quæ percepi auribus.

Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.

Postquam me adspexere ancillæ advenisse, ilico omnes simul

Lætæ exclamant, Venit.

Sed continuò vultum earum sensi immutari omnium,

Quia tam incommode illius fors obtulerat adventum meum. *Cic. Vultus, quot animi motus sunt, tot significationes & commutationes potest efficere.*

Iam ut limen exirem, ad genua accidit lacrymans misera,

Omnibus nobis ut res dant sese, ita magni atque humiles sumus. *Græci alterâ manu mentum, alterâ genua apprehendebant.*

Vitium est oblatum virgini olim, ab nescio quo improbo.

Sed cum orata ejus reminiscor, nequeo quin lacrymem miser.

Quæque fors fortuna est, inquit, nobis quæ te hodie obtulit,

Per eam te obtestamur ambæ, si jus, si fas est, uti

Advorsa ejus per te tecta, tacitaque apud omnes sint. *Varro: Nemini Fortuna currum missum à carcere intimo labi inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit. Humana fingit, arctatque ut lubet.*

Nam ajunt tecum post duobus concubuisse mensibus. *Post duob. simpliciter accipiendum. non* post duos. est ἀντιστροφὴ, *pro* duobus post. *hoc est, non statim ut nupta sit, sed postquam nupta est, post duos menses nuptiarum, &c.*

O Fortuna, ut nunquam perpetuò es bona! *Orestes modò fuit rex, modò mendicus factus est. Quare* Thebanus Cebes *eam cæcam fingit & insanam. Ideo* Apelles, *cum eam sedentem pinxisset, rogatus cur id fecisset, respondit*: quia nunquam stetit. *Ideo apud* Scythas *fingebatur sine pedibus, manus tamen & pennas habens.*

Act. III. Sc. 4.

Non hercle verbis, Parmeno, dici potest

Tantum, quam re ipsâ navigare incommodum est.

O fortunate! nescis quid mali præterieris, qui nunquam es ingressus mare.

Dies triginta, aut plus eo, in navi fui,

Cum interea semper mortem exspectabam miser:

Ita usque adversa tempestate usi sumus. *Horatius meritò: Illi robur & æs triplex circa pectus erat, qui fragilem truci commisit pelago ratem, &c.* Bias *nautam neque inter vivos, neque inter mortuos reponebat*

bat, propter instantia quotidie pericula. Anacharsis, *cum audiret spissitudinem tabularum nauticarum esse quatuor digitorum, dixit:* tantillum à morte abesse eos, qui navigant.

In arcem transcurso opus est. At faciam, ut noveris:

Magnus, rubicundus, crispus, crassus, cæsius

Cadaverosa facie. *Cæs. hoc est, glaucis oculis, quasi felis oculos habens. fulgor est visu horrendus.* Cæsar & Cæso à cædendo. *ita* Cæsius *à cade videtur dictus: ut qui* Cæsius *sit, cadem oculis minari videatur. sic cæde gaudens* Minerva *dicitur* Cæsia, & glauca. Cadaverosa *hoc est, sævitiam arguens, sublivida facies. potest & pulposa intelligi; & carnosa.* Caro *enim dicta, quod careat anima.* Virgil. *& corpora luce carentum.* Turnebus, *cadaverosam faciem turpem & fœdam interpretatur.* Rubicundus *hoc est, cruentus.* Scaliger, cadaverosa *Morticina explicat.* Morticinus, *erat convitium in tetros & exangui facie homines.*

Nam me parenti potius, quàm amori obsequi oportet. *sic* Plaut. *Nunquam nimis curare possunt parentem filii.*

Act. III. Sc. 5.

Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi: *hoc est, adversus omnia obstinatè agere. hoc est, contra omnes.*

Sane hercle homo voluptati obsequens

Fuit: dum vixit, & qui sic sunt, haud multum hæredem juvant.

Sibi verò hanc laudem relinquunt: VIXIT, dum vixit bene. *Amphibolia est in voce* Vivere*: quod interdum signif. genialiter vivere.* Catull. *Vivamus mea Lesbia atque amemus. Et alibi:* Non est, crede mihi, sapientis dicere, Vivam.

Noli fodere. Eo pacto maximè apud te meo erit ingenio fides. *Fodere hîc est, latus alicui pungere vel tundere, vel simili sensu.*

Neque mea culpâ hoc dissidium evenisse, id testor deos.

Neque alio pacto componi potest inter eas gratia.

Haud invito ad aures sermo mihi accessit tuus,

Vide, ne impulsus irâ pravè insistas.

Tibi id in manu est, ne fiat.

Quia paulum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt.

Atque in eum hoc omne, quod mihi ægrè est, evomam. *Cic. in Catil. quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit.*

CAP. XXII. *Act. IV. Sc. 1.*

PErii! quid agam? quò me vertam? quid viro meo respondebo

Misera? nam audivisse vocem pueri visus est vagientis:

Ita corripuit derepente tacitus sese ad filiam.

Viticanus *Deus nominatus, penes quem essent initia vocis humanæ: quia pueri primum nati eam vocem primo edunt, quæ in prima in Vaticano syllaba est.*

Sed ostium concrepuit: credo ipsum ad me exire. nulla sum.

Non sic ludibrio tuis factis habitus essem.

At pol jam aderit, se quoque etiam quum oderit,

Nullam pol credo mulierem me miseriorem vivere.

Act. IV. Sc. 2.

Nunc tibi me certum est contra gratiam

Referre, ut apud me præmium esse positum pietatis scias.

Hæc mihi nunc cura est maxima, ut ne cui meæ

Longinquitas ætatis obstet, mortemve exspectet meam.

Sic

Sic optimè, ut ego opinor, omnes causas præcidam omnibus.

Et me hac suspicione exolvam, & illis morem gessero. *Senes ut plurimum sunt tadio omnibus, contemptui & odio.* Cic. *Tum etiam in senectute hoc deputo miserrimum, Sentire eâ atate esse odiosum se alteri.* Et Menander. πικρὸν ἐστὶ γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων : *amarulentus est senex domi manens.* Senium, *pro tadio quoque accipitur.*

Act. IV. Sc. 3.

Istuc est sapere, qui ubicunque opus sit, animum possis flectere.

Quod faciundum si post fortasse, idem hoc nunc si feceris.

I ergo intro, & compone, quæ tecum simul ferantur.

Sed non minuam meum consilium, & usu quod est, id persequar.

Sed video Phidippum egredi per tempus, accedamus.

Act. IV. Sc. 4.

Tibi quoque ædepol sum iratus, Philumena;

Graviter quidem: nam hercle abs te factum est turpiter. turbent porrò, quam velint.

Ego Pamphile, esse inter nos, si fieri potest,

Adfinitatem hanc sanè perpetuam volo.

Hunc videre sæpe optabamus diem,

Quum ex te esset aliquis, qui te appellaret Patrem.

Censen' te posse reperire ullam mulierem, quæ careat culpâ.

Erras, si tui animi esse ignarum me putas.

Nunc animum rursum ad meretricem induxi tuum.

Fingis falsas causas ad discordiam. Planè hic divinat: nam id est. Dabo jusjurandum.

Amaræ mulieres sunt, non facilè hæc ferunt.
Nam omninò abhorrere animum huic video à nuptiis.

Act. V. Sc. 1.

Non hoc de nihilo est, quod Laches nunc me conventam esse expetit,
Offerre injuriam tibi me; immerenti, iniquum est.
Qui post factam injuriam se expurget, parum mihi prosit.
Quære alium tibi amicum firmiorem, dum tempus consulendi est.
Aliud si scirem, qui firmare meam apud vos possem fidem,
Sanctius quàm jusjurandum, id pollicerer tibi.
Hinc pejerare, crimen grave habitum fuit apud Aegyptios, ut perjuri omnes capite damnarentur: ut pote qui pietatem in deos violarent, & fidem inter homines tollerent.

Act. V. Sc. 2.

Nihil apud me tibi defieri patiar, quin quod opus sit, benignè præbeatur:
Nec pol istæ metuunt deos: neque has respicere deos opinor.
Quo lubet cruciatu per me exquire.
Cito ab eo hæc ira abscedet. Profectò in hac re nihil mali est, quod sit dissidio dignum.
Vt gratiam ineat sine suo dispendio, & mihi prosit?

Act. V. Sc. 3.

Aedepol meam Herus esse operam deputat parvi pretii.
Parmeno, opportune te offers; properè curre ad
Pamphilum. Dic me orare, ut veniat.

Tua

Tua quod nihil refert, percontari desine.

Ita cursitando, atque ambulando totum hunc contrivi diem.

Quantam obtuli adventu meo lætitiam Pamphilo hodie.

Quot commodas res attuli? quot autem ademi curas!

Homo se fatetur vi, in via, nescio quam compressisse.

Dicitque sese illi annulum, dum luctat, detraxisse.

Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam parteis.

Multa ex quo fuerint commoda, ejus incommoda est æquum ferre. Plaut. *voluptas & mæror in propinquo habitant.*

Act. V. Sc. 4.

Deus sum, si hoc ita est. *hoc est, supra modum fortunatus.*

Quis me est fortunatior? venustatisque adeo plenior?

Egone, qui ab orco mortuum me reducem in lucem feceris.

O Bacchis, ô mea Bacchis, servatrix mea! *plenus venustatis dicitur, cui in amoribus omne ex sententiâ succedit. quia Venus conciliare gratiam videtur. sic,* invenustus, *est infelix in amore.*

Antiquamque adeo tuam venustatem obtines,

Vt voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocunque adveneris,

Semper siet. *Obitus, hoc est, occursus. Ob enim significat* contra. *Inter obitum & adventum hoc interest: quod* obitus *est, quem casus offert:* adventus, *quem voluntas & destinatus locus.*

Ac tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines:

Vt unus hominum homo te vivat nunquam quisquam blandior.

Nunquam ante hunc diem meis oculis eam, quod nôssem, videram. Perliberalis visa est.

Spero hanc rem esse eventuram nobis ex sententiâ.

Egone hunc ab Orco mortuum? Nescis, Parmeno, quantum hodie profueris mihi, & ex quantâ ærumnâ extraxeris.

FINIS HECYRÆ.

ELECTA TERENTIANA.

Ex

PHORMIONE.

CAP. XXIII.

PROLOGUS.

Postquam Poëta vetus Poëtam non potest
Retrahere à studio, & transdere hominem in otium:
Maledictis deterrere, ne scribat, parat. *Transdere hoc est, tradere.* Maledictis: *nam postrema imperitorum tela sunt convitia.* Poëta, vetus: *ad contemptum & vituperationem, ut quæ ætate corrupta sunt.*

Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui esse oratione, & scripturâ levi:
Qui nusquam insanum scripsit adolescentulum
Cervam videre fugere, sectari canes,
Et eam plorare, orare, ut subveniat sibi.
Quod si intelligeret, quum stetit olim nova,
Actoris operâ magis stetisse quàm sua. *Qui ita dictitat: per hoc impudentia & contemptus alicujus ostenditur.* Cervam videre: *per allegoriam Amica significatur, quam multi depereant amatores, &c.* Magis stetisse: *Horatius significare volens fabulam non ejectam, sed ad finem usque peractam, dicit illam stetisse fixo talo.*

Quem diceret, nisi haberet, cui malediceret,
In medio omnibus palmam esse positam, qui artem tractant Musicam. *Palma, per se victoriam non signif. sed arborem, perpetuò virentem foliis,* quam

Græci φοίνικα *vocant. Hæc una fuit communis omnium sacrorum certaminum corona, cum alioqui singuli ludi peculiares quasdam arbores aut herbas haberent, quib. victores insigniebantur.* Phæbo *quoque hæc sacra fuit ante laurum.*

Benedictis si certasset, audisset bene. *Audire bene, hoc est, laudari.* Virgil. *Nec te certasse priorem Pœniteat.*

Ille ad famem hunc ab studio studuit rejicere. *Studium enim sive Ars portus est miseriæ.* Menander *artem vocat* βακτηρίαν τοῦ βίου, *baculum vitæ. Grande doloris ingenium, miserisque venit solertia rebus,* Ovid. *Hinc illud* Persii: *Quis psittaco exprobret suum* χαῖρε, *Picasque docuit nostra verba conari? Ingenii largitor venter, negatas artifex sequi vias. Paupertas enim docet artes.* Apul. *Nemo unquam magnus, nisi quem paupertas in suis incunabulis nutricata fuit.*

Nunc quid velim animum adtendite. Adporto novam,

EPIDICAZOMENON quàm vocant Comœdiam

Græci. Latini Phormionem nominant:

Quia primas partes qui agit, is erit Phormio,

Parasitus, per quem res agetur maximè.

Voluntas vestra si ad Poëtam accesserit,

Date operam: adeste æquo animo per silentium.

φόρμιον *tegiculum dicunt Græci, quo insternitur pavimentum. inde parasitus, vilissima conditionis homo, nomen accepit.* EPIDICAZOMENON: Ἐπιδικάζεσθαι, *est in judicio quippiam asserere, quæ actio Latinis* Vindicium *dicitur. Unde cum Phormio litem Vindiciarum Antiphoni de puella intendit, Phormio fabula dicta est.*

Act. I. Sc. I.

Amicus summus meus & popularis Geta,
Heri ad me venit: erat ei de ratiunculâ
Iam pridem apud me paxillulum

Num-

Nummorum. *propter cognationem* E & I, *non dubitaverunt antiqui* here & heri *dicere, &* mane *&* mani, vespere *&* vesperi. Ratiuncula, *ut peculium servorum intelligamus, quod semper fere exiguum est. Ratiuncula significat supputionem aliquam restantem.* Pauxillulum, *Quartus gradus diminutionis est*, paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum.

Nummorum. id ut conficerem; confeci; adfero. *Nam* fieri pecunia *dicebatur*. Sallust. *Qua pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.*

Quam inique comparatum est! qui minus habent,

Vt semper aliquid addant divitioribus?

Quod ille unciatim vix de demenso suo,

Suum defrudans genium, comparsit miser. *Cum expensa pecunia ferretur more veterum: non ut nunc, annumeraretur,* Assis *libra erat: ejusque partes* unciæ. *Rursus uncia unius duodecima pars,* Libella *dicebatur. Meritò igitur non per singulos sestertios aut asses, sed unciatim dixit.* de Demenso: *Servi quaternos modios accipiebant frumenti in mensem, & id,* demensum *dicebatur,* à metiendo, *non à mense.* I. Lipsius l. 1. elect. 8. *quinos eos facit modios.* Demensum *metaphoricè appellatur, quod Senatoribus ad certum numerum & tempus dabatur.* Genium defrudans: Turnebus: *Junones & Genios, sibi, inquit Plinius, homines adoptant. Sed* Iunones *mulierum sunt, & mulieres, ut ait Petronius, jurabant* Iunonem *suam. Sic* Ejuno, ut Ecastor *dicebatur. sc. per ædem Iunonis & Castoris quando jurabant.* comparsit. *hoc est, parcendo conservavit de demenso suo.*

Porrò autem Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit:

Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:

Vbi initiabunt. *Qui olim susceptis liberis parentes erant facti epulas solebant dare, quas* repotia *vocabant.* Ausonius: *Conjugioque dapes, & sacra repotia Patrum. Vocabantur illa convivia* repotia, quia *sæpius novanda*

da hac erant convivia. cum sæpius maritis soboles nascatur. Tum autem servi etiam & liberi dona ac munera dabant. *Hinc*, Ferietur alio munere Geta. Amphidromia *quoque dies erat familiæ festus, quo natum puerum circum focum ferebant, propinquique & amici dona dabant.* Vbi initiabunt: *Legitur apud* Varronem, *initiari pueros* Eduliæ, & Poticæ, & Cubæ, *divis edendi & potandi, & cubandi. ubi primum à lacte & à cunis transierunt. Hinc illud* Virgilii: *Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili.*

Act. I. Sc. 2.

Præsertim ut nunc sunt mores: adeo res rediit,
Si quis quid reddit, magna habenda est gratia.
Cujus tu fidem in pecunia perspexeris,
Verere verba ei credere? *Fides est eorum, quibus datur. creditores dicuntur ipsi, qui dant.*

Is senem per epistolas pellexit, modo non montes auri pollicens. *à Persarum arrogantia deductum, qui propter auri venas, aureos montes jactabant.* Plaut. in Sticho: *Neque ille sibi mereat Persarum montes, qui esse aurei perhibentur.*

Sic est ingenium. O! regem me esse oportuit.
O Geta provinciam cepisti duram. *Acquisita bello longè ab Italià regiones*, Provinciæ *dicta sunt, à* porrò, vel procul, & vincendo. *ad quas quia pratores cum officio mittebantur, officia quoque provincia nominantur.*

Memini relinqui me Deo irato meo.
Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.
Hanc amare cepit perditè.
Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere,
Sectari, in ludum ducere & reducere. *Hunc Genium malum sive iratum Graci ἀλάςορα dicunt. Veteres singulis binos Genios tribuunt, quos* Dæmones *vocant. Etiam locis tribuuntur hi Genii. Quò pertinet illud* Bruti, *cui cum dies ille fatalis immineret, & de*

more:

more noctu vigilaret in tabernaculo, videre visus est personam quandam tragicam, & humanâ specie majorem. At ille protinus percontatus est, quisnam esset aut hominum, aut deorum: cui illa cum murmure: Tuus sum, Brute, genius malus.

Nam quæ inscitia est, advorsum stimulum calces. *quod uno verbo Græci* λακτίζειν. *Est autem frustra repugnare iis, quos vincere nequeas. Metaphorâ ducta à bobus, quos agricola lignis praacutis à tergo fodiunt.* In ludum: *hoc est in locum, ubi fortè discebat. Locus exercitii Græcis* Scholâ, *Latinis* ludus *dictus.*

Paupertas mihi onus visum est & miserum & grave:

Modo quamdam vidi virginem hic viciniæ
Miseram, suam matrem lamentari mortuam.

Hic viciniæ: adverbium in loco est.

Virgo ipsa facie egregiâ. quid verbis opus est?
Commôrat omnes nos: ibi continuo Antipho,
Voltisne eamus visere? alius, Censeo:
Eamus, duc nos sodes. Imus, venimus,
Videmus, virgo pulchra! & quo magis diceres,
Nihil aderat adjumenti ad pulchritudinem:
Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida.
Lacrymæ, vestitus turpis: ut, ni vis boni
In ipsa inesset forma, hæc formam exstinguerent.

plus est, vis boni, quam ipsum bonum. Veteres *ignem & colorem quemdam, quasi fervorem dixerunt* Formam: *& ideo* Fornaces, forcipes, formam & formosos? *ex quib. ignis amoris exoritur. Laudandus igitur Terentius proprietate servatâ: qui quum formam prætulisset, subjecit,* exstinguerent.

Illene indotatam virginem atque ignobilem daret illi? nunquam faceret.

Lex est, ut orbæ, qui sint genere proximi Eis nubant: & illos ducere eadem hæc lex jubet. *orba proximo nubat. Orbam proximus ducat, Atticum jus est.*

Ego te cognatum ducam, & tibi scribam dicam:

Pater-

Paternum amicum me assimulabo virginis:
Ad judices veniemus: qui fuerit Pater,
Quæ mater, qui cognata tibi sit. *Graci dicunt* δίκην γράφεσθαι. *hoc est, litem intendere, litem dicere.*
Persuasit homini: factum est: ventum est: vincimur: duxit.
Quod fors feret, feremus æquo animo. DA. Placet. Hem istuc viri officium est. In me omnis spes mihi est.
Ad precatorem adeam credo, qui mihi sic oret: &c. *hoc est, pro me. Duo profugia servi habebant, aram & deprecatorem. unde illud*: nec hic tibi aliquam aram, aut deprecatorem paraveris. *Vide & asylum:* quod *apud* Romanos *injuriam passis aperiebatur. nunc, pro pudor! injuriam facientibus patet.*
Non multum habet, quod det fortasse. G. imò, nihil nisi spem meram.
Sed epistolam ab eo allatam esse audivi modo, & ad portitores esse delatam. *more veterum magistri erant tributorum; hoc est, publicani, operam in portu dantes, & inferendarum rerum & efferendarum vectigal exigentes.*

CAP. XXII. *Act. 1. Sc. 3.*

Fuisset tum illos mihi ægrè aliquot dies,
At non cottidiana cura hæc angeret animum.
Aliis, quia desit quod amant, ægrè est: tibi, quia superet, dolet.
Amore abundas, Antipho.
Nam tua quidem hercle certò vita hæc expetenda optandaque est.
Ita me dii benè ament, ut mihi liceat tam diu, quod amo, frui. jam depacisci morte cupio. tu conjicito cætera,
Quid ego ex hac inopiâ nunc capiam & tu quid ex istac copiâ. *Liceat tam diu:* hoc est, *ut tam diu amore meo fruar, quam diu tu tuo, paratus sum mortis passione transigere.*

Vt

Vt ne addam, quod ſine ſumptu ingenuam, liberalem nactus es:

Quod habes, ita ut voluiſti, uxorem ſine mala fama: palam

Beatus: in unum hoc deſit, animus qui modeſtè hæc ferat.

Et ſi tibi res ſit cum eo lenone, quocum mihi, tum ſentias.

Ita plerique ingenio ſumus omnes, Noſtri noſmet pænitet. *ſic Horat. Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus, &c.*

Cui de integro eſt poteſtas etiam conſulendi, quid velis;

Retinere, amare, amittere: Ego in eum incidi infelix locum,

Vnde neque mihi ejus ſit amittendi, nec retinendi copia.

Act. I. Sc. 4.

Nullus es, Geta, niſi jam aliquod tibi conſilium celere repereris:

Ita nunc imparatum ſubito tanta te impendent mala:

Quæ neque uti devitem ſcio, neque quo modo me inde extraham.

Temporis mihi punctum ad hanc rem eſt.

Quæ ſi non aſtu providentur, me aut herum peſſum dabunt.

Quod ejus remedium inveniam iracundiæ?

Abſque eo eſſet, &c. *Locutio antiqua perelegans: qua Plautus quoque uſus in Menæchmis.*

Eheu! me miſerum, laterem lavem. *quod Eraſmus ita tranſtulit: Et nigram ſilicem laviſſe liquentibus undis.*

Aliquid convaſaſſem, atque hinc me conjicerem protinus in pedes. *à colligendis vaſis inſtante periculo.*

Quod ſi eo fortunæ meæ redeunt, Phanium, abs

abs te ut diſtrahar, nulla eſt mihi vita expetunda.

Tanto magis te advigilare æquum eſt! Fortes Fortuna adjuvat.

Si ſenſerit te timidum eſſe pater, arbitrabitur commeruiſſe culpam. PH. hoc verum eſt. AN. non poſſum immutarier. *Cic. Fortes enim non modo fortuna adjuvat, ut eſt in veteri proverbio; ſed multo magis ratio.*

Hoc nihil eſt, Phædria: ilicet. quid conterimus operam fruſtra?

Ne te iratus ſuis ſævidicis dictis protelet.

Vobis commendo Phanium, & vitam meam. *Protelet: hoc eſt, protrahat, exagitet.* Protelet & protelum, *à* πρὸ *&* ἑλεῖν, *quod eſt ante & trahere.*

Nunc prior adito tu: ego in inſidiis hîc ero

Succenturiatus, ſi quid deficies. *qui enim ſuccenturiantur, in ſubſidiis ſunt. Vide Indicem*, Succenturio.

Act. II. Sc. I.

Itane tandem uxorem duxit Antipho injuſſu meo?

Nec meum imperium: age, mitto imperium: non ſimultatem meam

Revereri ſaltem? non pudere? ô facinus audax! *Cicero: præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quæ venientia longè antè videris.* Et nimirum hæc eſt illa *præſtans & divina ſapientia.*

Ita ſum irritatus, animum ut nequeam ad cogitandum inſtituere.

Quam ob rem, Omnes, quum ſecundæ res ſunt maximè

Meditari ſecum oportet, quo pacto advorſam ærumnam ferant:

Pericla, damna, exitia peregre rediens ſemper cogitet,

Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ. *Cicero Tuſc. lib. 3.*

Futu-

Futuras mecum commentabar miserias,
Aut mortem acerbam, aut exilii mæstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali,
Vt siqua in vecta diritas casu foret,
Ne me imparatum cura laceraret repens.

Communia hæc esse : fieri posse : ut ne quid animo sit novum,

Qnidquid præter spem eveniat, omne id deputare esse in lucro.

O Phædria, incredibile est, quantum Herum anteeo sapientiâ :

Meditata mihi sunt omnia mea incommoda. Herus si redierit,

Molendum usque in pistrino : vapulandum : habendæ compedes.

Opus ruri faciundum. horum nihil quidquam accidet animo novum. Lipsius : *Servi vincti erant in ergastulis perpetim, sed pedib. tantum. nam manibus aut brachiis si fuissent; quomodo processisset iis opus? Elect.2. c.15. Rurestre inprimis.*

Ecce autem similia omnia : omnes congruunt :

Vnum cognoris, omnes noris. *Virgil. crimine ab uno Disce omnes.*

Nam ni hæc ita essent, cum illo haud stares, Phædria. tradunt mutuas operas. *Stare cum quopiam : hoc Græci dicunt πρός τινος εἶναι, hoc est, alicui studere,* Mutuæ operæ *: manus manum fricat, mutuo mulos scabere.*

Nostrane ea culpa est, an Iudicum,

Qui sæpe propter invidiam adimunt diviti

Aut propter misericordiam addunt pauperi?

Functus adolescentuli est officium liberalis

Postquam ad Iudices ventum est, non potuit cogitata proloqui :

Ita eum tum timidum obstupefecit pudor.

Ho! bone custos, salve : columen familiæ,

Cui commendavi filium hinc abiens meum. *Quasi columella, culmen, columna.* Horat : *Injuriosa*

rioso ne pede proruas stantem columnam. Columen familiæ *hoc est, decus & sustentatio. Ridet* CL. Salmas. *Donatum primos familia servos vocasse columellas.* Vide pag. 735. Edit. Hach. *Columella*, inquit, *est cippus sepulchralis, &c.*

Servum hominem causam orare leges non sinunt.

Neque testimonii dictio est.

Non ratio, verùm argentum deerat. *Idonei enim non videntur testes, quibus imperari potest, ut testes fiant. Qui libertate donati erant poterant testes esse, sed nisi per tormenta.*

Sumeret alicunde. GE. Alicunde! nihil est dictu facilius.

DE. Postremo, si nullo alio pacto, fœnore.

GE. Hui! dixti pulchre, si quidem quisquam crederet

Te vivo. *Cautum enim fuit, patre vivente, filio, qui sub patris jure est, credi pecuniam non licere. ut & hodie jure Civili.*

Nempe Phormionem. DE. istum patronum mulieris?

Act. II. Sc. 2.

Ad te summa solum, Phormio, rerum redit:

Tute hoc intristi, tibi omne est exedendum; accingere. Intero, *est terendo immitto.* ut interere panem lacti. Intritum *genus edulii ex aliis, caseo, oleo, ovis & porro concinnatum. Ita dictum quod* in mortario teratur. *Est etiam* intritum, *vel potius* intrita, *calcis genus manibus subactum. Etiam &* intrita *emplastri genus, quod constabat ex argillâ manibus subactum.* CL. SALMAS. Intrita *ex vino, ex posca, ex aquâ, apud Celsum, est panis intritus & friatus in aquam, aut poscam, aut vinum.* Vide plura Ejusdem hoc loco.

Iam instructa sunt mihi corde consilia omnia.

Ne

Ne isthæc fortitudo in nervum erumpat denique.

Iam pedum visa est via: *hoc est, eam fortunam nunc demum non periclitor.* Nervus, *vinculi genus est, quo alligabantur, qui in servitutem aliis tradebantur.*

En unquam injuriarum audisti mihi scriptam dicam? *hoc est, litem.*

Non rectè accipitri tenditur, neque Milvo.

In illis opera luditur. Aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest.

Ducent damnatum domum. Alere nolunt hominem edacem.

Sapiunt mea quidem sententia, pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

Nemo satis pro merito gratiam Regi refert. *hoc est, suis superioribus ac dominis.*

Ten' asymbolum venire, unctum atque lautum è balneis?

Otiosum ab animo? quum ille & cura, & sumptu absumitur,

Dum tibi fit quod placeat; ille ringitur, tu rideas:

Prior bibas, prior decumbas: cæna dubia apponitur?

GE. Quid isthuc verbi est? PH. ubi tu dubites, quid sumas potissimum. *Docent Grammatici συμβολὴν id esse, quod pro suâ parte quisquis ad communes dapes confert. unde ἀσύμβολος, qui nihil solvit.* Vnctores: *ἀλεῖπται, servi sunt, qui in balneis dominos ungebant, atque illi muneri destinati erant.* Ringi, *dicuntur canes, cum irritati rictum edunt, quasi latraturi aut morsuri. Transfertur ad eos, qui taciti stomachantur.*

Prima coitio est acerrima. Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet *Metaphora à prælio sumitur, nam & congredi milites & coire dicuntur.*

Act. II. Sc. 3.

Nunquam cuiquam contumeliosius audistis factam injuriam, quam hæc est mihi.

Iam ego hunc agitabo. Prô deum immortalium! *hoc est, perturbabo, irritabo.*

Vide; Avaritia quid facit!

Si herum insimulabis avaritiæ, malè audies. Cicero: *Avaritiâ sanctissima quoque violari, & eo vitio nihil esse tetrius neque odiosius.*

Pergin' hero absenti male loqui, impurissime?

Ain' tandem, Carcer? Bonorum extortor, legum contortor.

Memoriter progeniem vestram usque ab avo atque atávo proferens.

Magistratus adi, judicum de eadem causa iterum ut reddant tibi. *juris axioma est, Lite semel terminata, de eadem re actio iterum ne detur.*

Ha ha he, homo suavis. DE. quid est? num iniquum postulo?

An ne hoc adispicar ego, quod jus publicum est?

Nam tua præterierat jam ad ducendum ætas.

Itane es paratus facere me advorsum omnia?

Tuis dignum factis feceris, ut amici inter nos simus.

Si concordabis cum illa, habebis quæ tuam senectutem oblectet: respice ætatem tuam.

Si tu illam adtigeris secus, quam dignum est liberam,

Dicam tibi impingam grandem.

Quanta me cura & sollicitudine afficit Gnatus, qui me & se hisce impedivit nuptiis!

Videtis quo in loco res hæc siet.

Ego quæ in rem tuam sint, ea velim facias.

Quot Homines, tot Sententiæ. Suus cuique Mos.

CAP.

CAP. XXIV. *Act. III. Sc. I.*

Cvjus nunc miseræ spes opesque sunt in te uno sitæ.

Phormio in hac re ut in aliis, strenuum hominem præbuit.

Confutavit verbis admodum iratum patrem.

Sic habent principia sese: adhuc tranquilla res est.

Quantus metus est mihi venire huc nunc salvum Patruum. ERASMUS: *Patruorum in nepotes peculiaris genuinaque severitas proverbio locum fecit:* ne sis Patruus mihi. Horatius: *Metuentis patrua verbera lingua.*

Act. III. Sc. 2.

At enim tædet jam audire millies,

Hei, metuo lenonem, ne quid suo suat capiti. *Suere apud Latinos interdum valet idem, quod alicui damnum struere, machinari quid.*

Fæneratum isthuc beneficium tibi pulchrè dices.

Hariolare. *Sumptum à divinis, qui prædicunt eventura. Futurorum autem nulla certa cognitio.*

Crede mihi, gaudebis facto. Contilenam eandem canis.

Vt Phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis? *Ductare, in obscanâ significatione sumitur.* Phalerata dicta, *sunt speciosa ac dapsilia verba, quib. facile quis decipitur.*

Imo, id quod ajunt, Auribus teneo Lupum.

Nequeo te exorare, ut maneas triduum hoc?

Ego hunc esse aliter credidi: nam hic me ejusmodi sciebat esse. Ego isti nihilo aliter sum, ac fui.

Dii tibi omnes id, quod es dignus, dent.

Da locum melioribus. Sterquilinium?

Mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum

dum eſt. Au r. Lup. *Dicitur in eos, qui ejuſmodi negotio involvuntur, quod neque relinquere ſit integrum, neque tolerari poſſit. Aut inde certe, quod, ut lepus auribus quippe prælongis, commodiſſime tenetur; ita*, Lupus, *quod aures pro corpore habeat breviores, teneri iis non poteſt, neque iterum ſine periculo dimitti tam minax bellua.*

Vnde ego nunc tam ſubito huic argentum inveniam miſer?

Quoquo hinc adſportabitur terrarum, certum eſt perſequi.

Dii bene vortant quod agas: pedetentim tamen.

Præſto eſt: audaciſſime oneris quidvis impone, & ferat.

Solus eſt homo amico amicus.

Quam ego nunc intus ſcio eſſe exanimatam metu.

Act. IV. Sc. 1.

Senectus eſt morbus. Ego meorum ſolus ſum meus.

Nam hanc conditionem ſi cui tulero extrario. *ſic apud Livium:* conditionem filiæ quærere. Invenire conditionem, *apud Plaut.*

Iſthæc mihi res ſollicitudini eſt. neque adeo defatiſcar unquam experirier.

Ego hominem callidiorem vidi neminem.

Vixdum dimidium dixeram, intellexerat.

Commodius eſſe opinor duplici ſpe utier. *Pind. utiles ſunt in tempeſtuoſa nocte, celeri ex nave dependere ad firmandum, duæ anchoræ.*

Act. IV. Sc. 3.

Nam hercle ego quoque id agitans mecum ſedulo,

Inveni, opinor, remedium huic rei.

Inter

Inter vos si hæc potius cum bona ut componantur gratiâ, quàm cum mala. *Mala gratia: est qua per simultatem, dissidium & contentionem ad fidem perducitur. Sic lites in judicio mala gratia componuntur.*

Si cum eo inceptas homine : ea eloquentia est.

Non capitis ejus res agitur sed pecuniæ.

Nam sat scio si tu aliquam partem æqui bonique dixeris, ut est ille bonus vir,

Tria non commutabitis verba hodie inter vos.

Dic siquis daret talentum magnum. CH. imò, malum hercle, ut nihil pudet!

Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias,

In servitutem pauperem ad ditem dari:

Sed mihi opus erat, ut apertè tibi nunc fabuler, qui dissolverem, quæ debeo.

Quid si animam debes? GE. ager oppositus est pignori. *Animam debere dicimus, qui immodico ære alieno tenetur, ac denique se ipsum debet. Erat antiquitus lex, ut qui solvendo non esset, is nexus addiceretur creditori, luiturus corpore, id est, operâ, quod ære non posset. Exstat apud* Gellium lex XII. Tabb. *qua jubebat dissecari corpus ejus, qui multis creditorib. debebat.*

Vxori emunda ancillula est: tum pluscula

Supellectile opus est: opus est sumptu ad nuptias.

DE. Sexcentas proinde scribito jam mihi dicas, nihil do. illis repudium renunciet.

Act. IV. Sc. 4.

Emunxi argento senes.

Eho! verbero! aliud mihi respondes, ac rogo?

Ad restim mihi quidem res rediit planissime:

Vt te quidem omnes dii, deæque, Superi, Inferi

Malis exemplis perdant. Hem, si quid velis,

Huic mandes, quod quidem rectè curatum velis.

Quid minus utibile fuit, quàm hoc ulcus tangere?

Dotem si accipiat, uxor ducenda est domum.

Introiit in ædes ater alienus canis,

Anguis per impluvium decidit de tegulis,

Gallina cecinit: interdixit hariolus;

Aruspex vetuit ante brumam aliquid novi

Negotii incipere.

Hoc temere nunquam amittam ego à me quin mihi testes adhibeam.

Act. V. Sc. 1.

Quid agam? quem mihi amicum inveniam misera? aut cui consilia hæc referam? aut unde mihi auxilia petam?

Matrem ipsam ex ægritudine miseram mors consecuta est.

Dii vostram fidem! quam sæpe forte temere eveniunt, quæ non audeas optare.

Act. V. Sc. 2. & 3.

Nostrapte culpâ facimus, ut malos expediat esse,

Dum nimium dici nos bonos studemus & benignos.

Ita fugias, ne præter casam, quod ajunt.

His nunc præmium est, qui recta prava faciunt.

De jurgio siletur: provisum est. in eodem luto hæsitas: vorsuram solves. hoc est, *vulgo, ut dicunt, tu nihil perdis, nisi exspectationem, quia debitas tandem pœnas dabis etiam cum fœnore. Metaphorâ ab illis ductâ, qui syngrapham unam dissolvunt, & pecuniam mutuam majori fœnore iterum accipiunt.*

Præsens quod fuerat malum, in diem abiit: plagæ crescunt, nisi prospicis,

Quia

Quia uterque utrique est cordi.

Act. V. Sc. 4.

Quas, cum res adversæ fient, paulo mederi posſis.

Hic ſimul argentum reperit, curâ ſeſe expedivit.

Ego nullo poſſum remedio me evolvere ex his turbis.

O Fortuna! ô Fors fortuna quantis commoditatibus quam ſubitò ope veſtrâ hunc onerâſtis diem.

Omnium, quantum eſt qui vivant, homo hominum ornatiſſime:

Nam ſine controverſia ab Diis ſolus diligere, Antipho.

Satin' eſt, ſi te delibutum gaudio reddo?

Quin tu hinc pollicitationes aufer.

Summa eludendi occaſio eſt mihi nunc ſenes,

Et Phædriæ curam adimere argentarium.

Act. V. Sc. 7. & 8.

Dis magnas meritò gratias habeo atque ago:

Quando evenere hæc nobis.

Priuſquam dilapidet noſtras triginta minas.

Quanta quanta hæc mea paupertas eſt, tamen

Ad huc curavi unum hoc quidem, ut mihi eſſet fides.

I hinc, in malam rem cum iſthac magnificentia, Fugitive?

Hi gladiatorio animo ad me affectant viam.

Venias nunc precibus lautum peccatum meum.

Vel oculum exclude: eſt, ubi vos ulciſcar, locus.

Hæcine erant itiones crebræ, & manſiones diutinæ Lemni?

Ea mortem obiit: è medio abiit, qui fuit in re hac ſcrupulus.

Faxo tali eum mactatum, atque hic est, infortunio.

Dilirat miser timore.

Redeat sanè in gratiam : jam supplicii satis est mihi.

Et quod tuo viro oculi doleant ?

Ei, quod dum vivat, usque ad aurem obganniat ?

FINIS PHORMIONIS TERENTIANI.

Quod bene vortat Iuventuti.

INDEX

INDEX PHILOLOGICUS.

IN

PLAUTUM.

INDEX IN PLAUTUM.

B.

C.

Capularis

Deleni-

E.

Exauspicavi

F.

G.

H.

I.

L.

M.

Muro-

N.

Nauteam

O.

P.

Plagi-

Perdere

Sermones

Q.

R.

S.

Semi-

T.

V.

INDEX

INDEX
PHILOLOGICUS
IN
TERENTIUM.

INDEX PHILOLOGICVS IN TERENTIVM.

A. *pag:*

B.

C.

Censo-

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

Ludi

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

Sphynx

S.

T.

V.

Vitium

FINIS.

58